This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Lh 8.425.



BOUGHT WITH
THE GIFT OF
WILLIAM GRAY,
OF BOSTON, MASS.
(Class of 1829).

Nov. 15, 1861.

Q. HORATII FLACCI OPERA OMNIA.

Q. HORATII FLACCI

OPERA OMNIA.

EDIDIT

GODOFREDUS STALLBAUM.

EDITIO STEREOTYPA.

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ.
LIPSIAE MDCCCLIV.

h8.425

HARVARD COLLEGE LIBRARY
1801, Nov. 13.
Gray Fund.
97 vols.

DE VITA ET SCRIPTIS Q. HORATII FLACCI.

[1]Quintus Horatius Flaccus,[2] clarissimus, quem Roma antiqua vidit, carminum lyricorum, satirarum et epistolarum poeticarum scriptor, natus est Venusiae sive Venusii, colonia Romanorum in Apulia sita, Lucanorum agris confini,[1] a. d. VI. Id. Decembres L. Aur. Cotta, L. Manlio Torquato coss. anno post u. c. sexcentesimo octogesimo nono secundum aeram Varronianam, sive ante Chr. n. sexagesimo quinto; diem autem supremum obiit quinquagesimo septimo aetatis anno, hoc est anno post u. c. septingentesimo quadragesimo sexto, qui est octavus ante aeram Christianam, ante d. V. Kal. Novembres M. Censorino et C. Asinio Gallo coss. De tempore eius natali satis certo constat ex ipsius carminibus, Od. III. 21, 1. Epod. 13, 6. Epist. I. 20, 27., ut aliis rei testimoniis non opus sit. De anno autem atque mense, quo obiit, planissime edocemur a Suetonio, qui idem scribit, humatum eum atque conditum esse extremis Exquiliis iuxta Maecenatis tumulum. Ex quo sponte intelligitur, eum post Maecenatem fato functum esse, quem tamen et ipsum extremo anno p. u. c. 746. obiisse ex Dione Cass. LV. 7. intelligitur. Errore igitur factum est, quod Eusebius Chronic. obitum poetae ad Olymp. 192. 2. = 743. vel 744. refert, neque consentaneum veritati est, quod auctor Vitae cuiusdam Horatii ex cod. vetust. Blandin. descriptae ipsum post nonum et quinquagesimum aetatis annum decessisse narrat. Quorum errorum fontem nunc demonstrare non attinet.

Considerantibus autem nobis et quasi uno mentis obtutu contuentibus totum hoc sexaginta fere annorum spatium, quod poeta nobilissimus vivendo exegit, paene ultro sese offerunt singularia quaedam rerum

1 De vita Horatii iam antiqua aetate scripsit C. Suetonius Tranquillus, cuius opusculum primus ex bibliotheca Blandiniana in lucem protraxit P. Nannius Miscell. lib. III. c. 2. Videtur illud fragmentum esse amplioris operis, quod nobilissimus historicus, sicuti ex Isidor. Origg. VIII. 7. discimus, *de poetis* inscripserat. Iniuria illud quidam pro suppositicio habuerunt, quum nec ipsum per se fraudis suspicionem moveat, neque ab antiquis scriptoribus non ut genuinum commemoretur. Certe illud Suetonio tribuunt Schol. Porphyr. ad Ep. II. 1, 1. et Schol. Cruq. ad Carm. IV. 1. Illustravit hanc vitam, quantivis pretii opusculum, et operosissimis commentariis instructam edidit E. I. Richter. Zwiccav. 1833. 4. Praeterea decem aliae vitae Horatii antiquae ex codicibus evulgatae circumferuntur, quas enumerant Kirchner. Quaest. Nov. Horat. p. 43. ann. 5. et Strodtmann Praef. ad Horat. Carm. Lyric. Lips. 1852. 8. p. 66 sqq. Sed his nihil fere tribuendum est, quum non modo sint breviores, sed etiam ex Suetonio et ipso Horatio temere consarcinatae. Recentioribus temporibus post Io. Massonum (*Q. Horatii Flacci Vita ordine chronologico delineata. Lugd. Bat.* 1708. 8. min.) multi de vita Horatii commentati sunt, quorum notitiam si qui desiderent, hi ipsam petant a Guil. Ernesto Webero, qui in libro: *Quintus Horatius Flaccus als Mensch u. Dicht.*, p. 2 sqq. ea de re exposuit, itemque a Theodoro Obbario Praef. ad Horat. Carmina. Jen. 1848. 8. init. Addas vero opus doctissimum: *Horatiana Prosopographia; scripsit I. G. F. Estré.* Amstelodami 1846. 8. cuius operis ibi nulla dum iniecta mentio est.

2 Haec fuisse Horatii nomina, ex ipsius carminibus condiscimus; v. Sat. II. 6, 32. ubi se *Quintum* nominari iubet, Carm. IV. 6, 44. Epist. I. 14, 5., ubi se *Horatium* appellat; et Sat. II. 1, 18. Epod. 15, 12. quibus locis sese *Flaccum* (i. e. *Welk*) nominat. Horatium suspicantur inde dictum, quod omnes Venusini tribui Horatianae adscripti fuerint. Quod ut vere statuatur, tamen meminisse iuvabit, libertos fere praenomen atque nomen eorum accepisse, a quibus manumissi essent. Itaque nomen *Q. Horatius* videtur proxime ab eo repetendum esse, qui patrem Horatii poetae libertate donaverat. Horatios enumerat Glandorp. Onom. Rom. p. 402. sq.

1 v. Sat. II. 1, 34. sq. Carm. III. 4, 9. sqq. coll. Carm. IV. 6, 27. IV. 9, 2. al. Saepissime enim poeta natalis soli mentionem facit.

illa aetate publice gestarum discrimina, ut omnis eius tanquam fabula haud incommode in actus quosdam describi posse videatur. Potest enim illud pro varietate rerum, quae tum evenerunt, et pro fortunae, quam res Romana subiit, vicissitudine nullo negotio in tres dividi partes. Etenim prima quidem eius particula complectitur temporis illius memoriam, quo pristinae reipublicae status quantumvis dudum esset misere labefactatus vehementerque conquassatus, tamen nondum plane deiectus erat de fundamento suo, usque dum tandem optimatium partibus devictis penitus convelleretur. Quod quidem temporis spatium pertinet usque ad pugnam apud Philippos a. u. 712. sive 42. a. Chr. n. commissam, qua ita evenit, ut, quemadmodum Tacitus ait,[1] Bruto et Cassio caesis, nulla iam amplius *publica* arma superessent. Ex quo tempore orditur altera istius, quam designavimus, aetatis pars. Dimicatum enim dehinc non pro republica est, sed pro ambitione, quandoquidem ortum certamen est inter singulos, qui principatum in civitate affectabant et summa rerum potiri conabantur, omnibus rebus misero partium studio perturbatis. Quae quidem variarum partium pugna et contentio perduravit usque ad pugnam Actiacam exeunte a. u. 723. sive a. 31. ante Chr. n. commissam, cuius hic fuit exitus, ut mox omnia in unius principis potestatem concederent. Inde vero tertia aetatis Horatianae tamquam scena cepit initium, quae usque ad annum poetae emortualem p. u. c. 746. porrigitur, habetque illud tempus, quo tandem unius invaluit dominatio et paullatim ita confirmata est, ut civitati antea bellorum civilium fluctibus misere iactatae et tristissimis tempestatum procellis agitatae aliquando pax, tranquillitas ac felicitas rediisse aut certe reditura esse videretur. Atque haec ipsa temporum veluti momenta ac discrimina propemodum mirum dictu est quantam cum vita atque studiis Horatii habeant coniunctionem ac necessitudinem, ut iure dicere liceat, illa ipsa in iis tamquam repercussa aliqua rerum publicarum imagine expressa cerni. Quod tamen iis minime mirum accidet, qui secum reputaverint, scriptorum et poetarum antiquitatis omnino hanc fuisse vivendi conditionem, ut ipsorum res atque scribendi consilia fere arctius cum rebus publicis continerentur iisque saepe etiam plane attemperarentur. Itaque vita Horatii pro communium temporum vicissitudinibus, quae tum evenerunt, item potest in tres dispesci partes, quae prope ad amussim cum tribus illis, quas posuimus, temporum periodis congruunt. Etenim pueritia et adolescentia ipsius, qua educatus, institutus et ad humanitatem conformatus est, usque dum denique certum ac deliberatum vivendi consilium iniret, incidit in illa tempora, quibus inclusa fuerunt quae inde a prima Catilinaria coniuratione usque ad pugnam Philippensem, hoc est, usque ad eversum pristinae reipublicae statum, publice gesta ac suscepta sunt, h. e. usque ad a. u. 712. Ex quo tempore initium cepit illa ipsius aetas, qua primum ingressus est laudis poeticae viam ediditque prima facultatis ingenii-que sui documenta Epodis maxime atque Satiris scribendis, in quibus fere sensus acerbiores ex aetatis tristitia ac depravatione animo suo susceptos expressit, ac fortasse etiam pangendis lyricis quibusdam carminibus, quae fuerunt quasi lyricae poesis melicae primitiae. Quibus quidem studiis poeticis brevi id est consequutus, ut non modo in interiorem praestantissimorum poetarum, qui tum vixerunt, notitiam et familiaritatem perveniret, verum etiam principum in republica virorum colligeret gratiam atque favorem. Verum enim vero mutatis publicorum temporum rationibus etiam studia eius poetica multum mutata sunt, id quod ita factum est post pugnam Actiacam, ubi Caesar Octa-

[1] Ann. I. 2.

vianus, rebus Graeciae et Asiae constitutis et Aegypto in provinciae formam redacta, denique cuncta, discordiis civilibus fessa, nomine principis sub imperium accepit. Tum enim poeta susceptis tranquillioribus ac laetioribus animi sensibus etiam aliud poesis genus, quam quod attigisset antea, colere instituit, quamquam pristinorum studiorum in satiris inprimis positorum neutiquam plane factus est immemor. Appulit enim tum animum ad carmina lyrica, quae maximam saltem partem his debentur temporibus. Quippe laetatus tum est restituta aliquando pace ac tranquillitate diutissime olim desiderata; indulgere coepit laetitiae ex pacato rerum statu animo conceptae pristinorum simul temporum detestatus tristitiam; denique bonam de futuro spem fovere ausus est, quippe quum C. Octavianum animadvertisset ea temperantia et moderatione uti, quae civitati perpetuam tranquillitatem ac felicitatem promitteret. Itaque iam missa aliquando poesi satirica et epodica sese totum ad lyricam poesin eamque melicam colendam transtulit extititque tum lyrae Latinae fidicen, novo conatu lyricorum Graecorum, inprimisque Alcaei, laudes aemulatus. Quamquam, ut diximus, ne illo quidem tempore eius poesis, ad quam ipsum olim tum temporum tristitia tum iuvenilis ingenii fervor detulisset, immemor factus est. Scripsit enim posteriore hac aetate etiam Epistolas, hoc est sermones consimilis argumenti atque fuerant antea Satirae, perfusas illas item lepore et festivitate plane admirabili, sed easdem minus dicaces et petulantes adeoque maturioris aetatis sapientia plenas et refertas, ut plane ad docendum comparatae videantur, quum in Satiris ridendi atque castigandi consilium inprimis eluceat. Itaque manifestum esse arbitramur, omnem vitae ac studiorum poeticorum cursum, quem poeta tenuit, omnino quidem publicis temporibus, quae vidit, planissime respondere, quandoquidem pueritia eius et adolescentia concordat cum iis temporibus, quibus usque ad pugnam Philippensem a. 712. de publicis rebus certatum est; aetas ipsius maturior, qua sese ad Epodorum et Satirarum potissimum scriptionem dedit, convenit cum illo tempore, quo inter homines factiosos de principatu in civitate obtinendo varia fortuna depugnatum est, quod quidem tempus inde a pugna Philippensi a. u. 712. commissa usque ad exitum pugnae Actiacae a. u. 723. vel potius usque ad 724. pertinet; denique illa vitae pars, qua in lyricae et epistolaris poesis studiis versatus est, respondet illi temporis spatio, quo Caesar Octavianus summa rerum potitus principatum usque obtinuit, quod quidem annos fere viginti inde ab a. u. c. 725. vel 726. usque ad obitum poetae 746. complectitur. Atque haec quum certa atque explorata habeantur, iuvabit, opinor, in enarranda Horatii vita, qualem adumbrare constituimus, ita versari, ut tria illa eius spatia, etiam in rebus publicis conspicua, diligenter discernantur, si forte hac ratione fieri possit, ut etiam poetica eius studia clarius perspiciantur rectiusque aestimentur.

Itaque Horatius et natus et educatus est ea aetate, qua stabat quidem adhuc Romana respublica, sed tamen ita stabat, ut multis modis vel iam conquassata esset vel etiam usque concuteretur et labefactaretur. Sensit enim illa primum scelera impiorum parricidarum, qui duce et antesignano Catilina, homine flagitiosissimo, ipsam iam inde ab ipso anno natali Horatii 689. p. u. c. evertere conati sunt. Sensit item hominum factiosorum Cn. Pompeii, C. Crassi et C. Iul. Caesaris ambitionem, qui sublatis vel remotis viris cordatis, liberae reipublicae amantibus, ipsi inito triumviratu omnia pro arbitrio suo constituere studuerunt, usque dum inter Caesarem et Pompeium (a. Chr. n. 49. et 48. = 705. et 706. p. u. c.) bellum civile rursus tanta erupit vehementia,

ut non modo urbs et Italia, sed etiam gentes ac nationes exterae Romanis parentes tamquam communi quodam incendio corriperentur. Quorum quum alter ad Pharsalum ab hoste devictus a. u. 706. = 48. a. Chr. n. et mox occisus, alter a veteris rcipublicae patronis et amicis percussus ac trucidatus esset (a. u. 710. = 44. a. Chr. n.), occisorum locum continuo occupaverunt M. Antonius una cum Dolabella tum consule et Cai. Octavius, Caesaris ex Iulia sorore nepos et filius adoptivus, quem avunculus patratis bellis civilibus Apolloniam in studia miserat, non ille auguratus ipsum brevi haeredem rerum suarum Romam rediturum esse. Etenim occiso C. Iul. Caesare M. Antonius, summam imperii affectans, statim Dec. Brutum Mutinae obsidione premit et ceteros reipublicae amicos hostiliter insectatur. Quocum postmodo Octavius, viginti circiter annorum adolescens, callidissime foedus iungit, ut scilicet avunculi occisores ulciscatur. Ita mox denuo inter Caes. Octavianum, M. Antonium et M. Aemil. Lepidum ut triumviros constituendae reipublicae potentiae societas (a. u. 711. = 43. a. Chr. n.) in quinque annos initur, provinciis etiam denuo distributis. Quae res plane cessit in reipublicae perniciem. Nam triumviri initio anni 713. non modo Iulio Caesari divinos honores decreverunt, [1] sed eodem tempore etiam novas confecerunt proscriptionum tabulas, quibus in bonos cives prope adhuc crudelius saevitum est, quam factum erat Sullanis temporibus, et una cum innumeris aliis etiam M. Valerius Messalla, qui paullo ante in Asiam ad Brutum confugerat, morti devotus est. [2] Praeterea illi etiam bellum adversus Brutum et Cassium decreverunt, ita ut veteranis militibus bello confecto agri octodecim Italiae urbium, in quibus etiam Venusia, Horatii patria, fuit, itemque magna pecuniae vis praemii loco promitteretur. [1] Etenim Brutus et Cassius, qui post necem C. Iul. Caesaris in provincias ab hoc ipso sibi datas, Syriam et Macedoniam, concesserant, ingentibus militum copiis comparatis reipublicae libertatem contra eius oppressores defendere constituerunt. Adversus hos igitur Caesar Octavianus et M. Antonius bellum gerendum susceperunt. Ibi vero accidit, ut respublica tandem ultimis suis praesidiis orbaretur. Commissa enim autumno a. 712. gemina pugna ad Philippos est, qua fractis Brutianis et Cassianis partibus etiam priscae reipublicae opes ita absumtae sunt, ut omnia tandem ad factiosorum principum arbitrium redirent. Nam exercitus Bruti et Cassii partim fugam capessivit, partim Messalla Corvino et L. Bibulo suadentibus venia reditus impetrata Antonio et Octaviano se dedit. [2] Quo facto nova provinciarum distributione facta Antonius permansit in Asia, Octavianus autem in Italiam rediit, ut bellum contra Sextum Pompeium persequeretur atque agros octodecim Italiae urbium veteranis promissos inter eos distribueret. Quae quidem agrorum divisio verno tempore anni 713. incepit nec sine magnis totius Italiae perturbationibus atque motibus peracta est. [3]

Haec igitur fuit temporum illorum fortuna et conditio, quae Horatius puer et adolescens vidit. Quae quidem tempora etsi haudquaquam fausta ac felicia fuerunt, quandoquidem reipublicae Romanae perpetuo cum libertatis suae hostibus conflictandum fuit, usque dum ipsa humi prosterneretur, quum interim, ut calamitosis istiusmodi temporibus fieri assolet, etiam teterrima vitia, avaritiae, mollitiae, lubidinis, turpis ambitionis, impietatis, iam dudum nutrita illa et propagata, in dies magis grassarentur; tamen Horatio, ut futuro poetae, haud-

1 Dio Cass. XLVII. 18. coll. XLI. 36.
2 v. Dio Cass. XLIX. 16.

1 v. Dio Cass. XLVIII. 30. Appian. IV. 3. et V. 22.
2 Appian. IV. 136.
3 v. Dio Cass. XLVIII. 6.

quaquam tam adversa extiterunt, quam quis primo obtutu expectaverit. Nam primum quidem illud ipsum, quod libera respublica, quamvis luctans iam illa cum adversariis suis, tamen adhuc recta stabat, non parum valuit ad consequendam illam humanitatis conformationem, quam Horatius puer et adolescens consequutus est, quandoquidem tum usque integra vigebat illa iuventutis disciplina, quam Romani, ex quo litterarum Graecarum studia magni aestimare didicerant, prope communi usu receperant. Deinde etiam ipsa temporum miseria atque adeo tristis illa morum depravatio, quae ingruerat, eo valuit, ut ille ipsa natura atque institutione, qua usus erat, ducente eam laudis virtutisque viam ingrederetur, qua una fieri potuit, ut postea tantus poeta existeret, quantum ipsum extitisse omnes uno ore confitentur. De quo utroque loco iuvabit paucis ita exposuisse, ut, quantum quidem fieri possit, ea in re temporum ordinem sequamur.

Considerantes igitur educationem illam atque institutionem litterarum, quae ob tigit Horatio, videmur nobis utique non iniuria ita statuere, ut eam magnam certe partem temporum felicitati cuidam acceptam referri existimemus.[1] Ex quo enim inter Romanos litterarum Graecarum studia in honore haberi coepta erant,[2] etiam hic mos inter eos invaluerat, ut iuventus nobilior non iis tantum artibus, quae ad vitae externae utilitates pertinent, imbueretur, verum etiam iis erudiretur disciplinis, quibus laus humanitatis et liberalior eruditio absolvitur. Itaque tum ita evenit, ut scholae Romanorum non amplius unis communibus istis litterulis, quae ad legendi, scribendi et numerandi facultatem aliquid conferunt, acquiescerent, sicuti olim fuerat factum,[1] sed fines disciplinae iuvenilis aliquantum proferrentur, quandoquidem quicunque aliquando in republica clari exstituri essent, ii multo ulterius progredi et grammaticae, rhetoricae, philosophiae, denique etiam, si qui sese vellent ad vitae publicae usum parare, iuri civili operam dare consueverunt.[2] Perceptis enim litterarum elementis, quae vel a parentibus vel etiam a ludimagistris tradebantur, sequebatur studium grammaticae et rhetoricae, quod non ita multum ante Ciceronis aetatem in orbem disciplinarum, quibus iuvenilis aetas erudiebatur, receptum fuisse liquido testatur auctor Dialogi de Oratoribus vulgo Tacito adscripti cap. 35. Olim enim illud senatusconsultis et edictis censoriis vetitum et prohibitum fuisse, ex libris „De illustribus Grammaticis“ et „De claris Rhetoribus“ vulgo Suetonio adscriptis intelligitur. Complectebatur autem illud, ut tradit Quintilianus Institutt. I. 9. et I. 5, 1, duas inprimis partes, alteram methodicen, historicen alteram, ex quibus illa recte loquendi et scribendi rationem monstrabat, haec pertinebat ad scriptorum, maxime poetarum enarrationem. Id quod confirmatur etiam testimonio Ciceronis de Orat. I. 42. *In grammaticis* (doctrina grammatica) *est poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus.* Quocirca scholae grammaticorum sibi fere eadem propria vindicabant, quae hodie a philologis nostris in gymnasiis et litterarum universitatibus tractantur, adeoque teste Quintiliano XI. 1, 5. complectebantur *praeter rationem loquendi non parum alioquin copiosam prope omnium maximarum artium scientiam*, quibus ad intelligendos poetas et historicos, quos utrosque praecipue explicabant, opus esse videba-

1 De iuventutis Romanae institutione deque vicissitudine, quam ea variis temporibus experta est, conf. G. Bernhardy Grundriss der Römisch. Litteratur. 2te Ausg. Hall. 1850. p. 32 sqq. et quos ille memoravit p. 35.

2 De horum studiorum initiis v. Cic. Tusc. IV. c. 1. et 2. coll. Bernhardy l. c. p. 47 sqq.

1 De veteri hac disciplina praeter alios v. Bernhardy l. c. p. 42—46.

2 Conf. Bernhardy l. c. p. 54 sqq. qui etiam plura huc retulit.

tur, ut iis veluti aditus ad poesin et historiam atque etiam ad mythologiae et philosophiae cognitionem aperiretur. Ex quibus omnibus facile intelligetur, cur adolescentes Romani, licet patrium sermonem domi perdiscerent et cum lacte matris insugerent, tamen item ludos grammaticorum frequentaverint, et curii, qui liberalioris doctrinae laudem consequi vellent, non prius ad rhetores aut ad philosophos et iureconsultos accesserint, quam grammaticorum institutione essent formati. Quamquam interdum etiam ita factum videtur, ut si qui in grammaticis aliquid profecissent, ii uno eodemque tempore rhetoribus quoque darent operam, id quod significat Quintilianus XI. 1. extr. Nimirum coniunctissima sane grammaticae dicendi disciplina sive rhetorica fuit, ut mirum non sit utramque etiam simul exercitatam esse. Utramque autem Romani, inprimisque oratoriam, quum olim, utpote liberae reipublicae cives, sine artis meditatione atque ipso opere exercuissent, tum ab eo inde tempore etiam via et ratione cognoscere atque colere coeperunt, quo ipsis primum ars dicendi Graecorum propius innotuerat; quod quidem inde ab anno p. u. c. 599. vel a. Chr. a. 155. ita factum esse constat, quo tempore legatorum Atheniensium eloquentia animos Romanorum perculit et in sui admirationem abripuit. Ex quo tempore animi eorum vehementi quadam tantae artis vel cognoscendae vel exercendae cupiditate incensi sunt. Etenim quo ampliora eloquentiae in libera civitate proposita fuerunt honoris, laudis, dignitatis et auctoritatis praemia, quoque maior illis ipsis temporibus invaserat animos hominum ambitio et honorum divitiarumque cupiditas, eo maiore studio tum adolescentes Romani ei arti operam dare coeperunt, quae talium munerum olim consequendorum spem omnibus tamquam e longinquo ostentabat.[1] Quamobrem brevi magna sane extitit multitudo rhetorum, hoc est, magistrorum eloquentiae, non modo Graecorum, sed etiam Latinorum, ponebanturque rudimenta dicendi facultatis in illorum scholis sic, ut magna operae pars studio Graece et Latine declamandi consumeretur. Quorsum etiam accessit dicendi exercitatio ducibus idoneis magistris vel domi instituta, vel etiam foris in Graecia eo consilio continuata, ut quam maxima artis perfectio compararetur. Cuius rei exemplum luculentissimum Ciceronem dedisse in vulgus notum est. Verum quum ista ratione plurimum ad eruditionis laudem proficeretur, tamen his finibus disciplina iuvenilis sese haudquaquam continuit. Accessit enim ad ista omnia etiam philosophiae ratio et conformatio. Nam etsi nomen philosophiae Romanis superioribus temporibus fere fuerat suspectum adeoque exosum, ut eam etiam legum interdictis de medio tollere conati sint; tamen a magnis quibusdam et nobilibus viris iam mature animadversum erat, plurimum in ipsa inesse praesidii quum ad reliquas sapientiae partes, tum inprimis ad comparandam civilem prudentiam. Quocirca Scipio Africanus, Laelius, Rutilius, alii, non modo ipsam in magno honore habuerunt, sed etiam philosophis usi sunt familiariter.[1] Postero autem tempore studium eius ad animi mentisque cultum si non unice necessarium, at certe longe utilissimum esse iudicatum est, coeperuntque inde adolescentes ingenui etiam ipsam Graeciam adire, ut ibi non modo litteras Graecorum elegantiores propius cognoscerent, sed etiam philosophiae operam darent. Qui quidem mos etiam sub imperatoribus perpetuo viguit, quorum multos constat litterarum caussa Graeciam lustrare non dubitavisse.[2] Sed no-

1 v. Cicer. pro Mur. c. 11. 13. et 14. De Offic. II. 19.

1 v. Cic. De Fin. IV. 9. De Offic. III. 2. Vell. Pat. I. 13. et Gaudentius De philosophiae apud Romanos initiis et progressu cap. 17 sqq.

2 v. Gaudentius l. c. Vix hic digna mentione est commentatio Chr. Cellarii: De Ro-

lumus iam ista omnia persequi ulterius; satis est pro consilio nostro paucis exposuisse, quaenam fuerint fere illis temporibus litteraria studia, quae adolescentes ingenui Romanorum tam domi quam in Graecia, quo multi discendi caussa peregrinabantur, tractare consueverint.

Haec igitur disciplina iuvenilis republica tum adhuc stante necdum plane eversa usque laetissime floruit, ut ea Horatio singulari fortunae beneficio obtigisse videatur. Qui si aut saeculo ante aut etiam paullo post aetatem illam natus esset, certe non eam colendi ingenii sui copiam esset nactus, qualis tum ipsi suppetiit. Nam exculta sane tum fuit istius disciplinae ratio ad summam usque praestantiam; quae quantopere mox inde ab Augusti aetate mutata sit, vel ex iis intelligas, quae breviter de his rebus exposuit Bernhardy l. c. p. 75 sqq. conf. Tacit. Dialog. De Orat. c. 29. et 30. Quintil. Inst. I. 2, 6—8. Et favit illi fortuna hac in re etiam alia ex parte, quandoquidem, quum humili loco natus esset, tamen ita educatus et institutus est, ut hoc in genere plane ingenuorum adolescentium felicitate usus sit. Quod quidem qua ratione ita acciderit, paucis exposuisse iuvabit.

Fuit igitur pater Horatii libertinus, quo nomine natalium habita ratione dicti sunt ii, qui ex iusta servitute manumissi essent, eorumque filii atque posteri;[1] quamquam hi ita appellati sunt vulgo Appii Coeci tantum temporibus ac deinceps aliquamdiu, h. e. saeculo quinto inde ab urbe condita medio, quum posteris temporibus pro ingenuis haberentur, de qua re v. Sueton. Claud. cap. 24. ibique intpp. et Ducker. ad Liv. IX. 46. Quocirca sponte apparet, patrem Horatii adhuc in servitute vixisse, usque dum consequeretur libertatem, unde poeta ipse Sat. I. 6, 6. et 45. atque Epist. I. 20, 20. sese libertino patre natum esse aperte profitetur. Functus autem pater Horatius est munere *coactoris*, quo nomine appellati sunt qui pecunias cogebant, id est, colligebant, inprimis in auctionibus; cuiusmodi homines dicti sunt etiam *collectarii*, sicut Scholiastae testantur ad Sat. I, 6, 86. ubi poeta: *Nec timuit* (pater) *sibi, ne vitio quis verteret olim, si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor mercedes sequerer.* Quamquam de Horatii patre si quaeritur, num de auctionum collectore cogitandum sit, non temere dubites. Scribit enim Suetonius in Vita Horatii, patrem Horatii fuisse *exactionum coactorem*. Quod mirum est Gesnero auctore nuper mutatum esse in *exauctionum*, conficto novo prorsus et Latinis inaudito vocabulo. Videntur, quippe *exactiones* intelligendae esse *exactiones publicae*, quales memorat Pollio apud Ciceron. Epist. Fam. X. 32., ita ut de vectigalibus ac tributis publice exigendis cogitari oporteat. Talium igitur exactionum minister pater Horatii utique fuisse existimandus est, siquidem Suetonio nolimus praeter caussam idoneam omnem fidem abiudicare. Nimirum is quod apud ipsum Horatium dicitur simpliciter *coactor*, id ex antiquis fontibus videtur accuratius explanavisse, quum Scholiastae aliique interpretes ideo fortasse de *auctionibus* cogitaverint, quia l. c. in eodem versiculo etiam praeconis mentio fit, quocum exactor auctionum praeclare visus est convenire. Pater igitur Horatii, quum Venusiae[1] tali munere functus sit, facile intelligitur, rem ipsius familiarem non potuisse lautam esse aut splendidam. Quamquam in exigendis pecuniis non nihil opum comparare sibi potuit, siquidem exactores vectigalium teste Cicerone Orat. pro Rabirio c.

manorum re litteraria, quae legitur in eius Programm. Varii Argumenti, Lips. 1689. 8. evulgatis p. 6 sqq., est enim perquam exilis. Laudatur praeterea G. N. Kriegk: De peregrinationibus Romanorum academicis. Jen. 1704. 4. quem libellum ipsi non vidimus.

1 v. Institutt. Iust. I. Tit. 5.

1 Mira enim est sententia eorum, qui ipsum Romae demum viventem istud munus obiisse statuunt; quae opinio diserto adversatur antiquarum Vitarum testimonio.

11. in decimis exigendis centesimam sortis partem sibi ipsis cogebant. Quamobrem ille etiam praediolum sive agellum possedit Venusiae, qui tamen post ipsius obitum non cessit in filii possessionem, propterea quod Venusia, ut modo significavimus, in numero eorum Italiae oppidorum fuit, quorum agri a. u. 712. vel potius 713. veteranis militibus assignati sunt. Itaque Horatius Epist. II. 2, 49. *me dimisere Philippi decisis humilem pennis inopemque paterni et laris et fundi.* Sed hac ille quum usus sit rerum suarum fortuna et conditione, tamen neutiquam fuit dives aut opulentus. Quamobrem ab Horatio Sat. I. 6, 71. vocatur „*macro pauper agello*“, ipseque filius videri vult „*pauperum sanguis parentum*“ Carm. II. 20, 6. et „*in tenui re maiores pennas nido extendisse*“ Epist. I. 20, 20 sq. Quamquam autem pater Horatius opibus minime abundabat, tamen ea fuit ipsius honestas et generosa liberalitas, ut filium bona ingenii indole praeditum ita erudiri vellet, ut hac in parte ingenuis ac nobilibus adolescentibus quam minimum concederet. Quam fidelem ipsius curam tam grato animo praedicat filius Sat. I. 6, 71 sqq. ut dubius haereas, magisne ibi pietatem ipsius quam modestiam, quam prodidit, admireris. Prospexit igitur pater filii eruditioni statim a prima eius pueritia. Nam hic quum legendi, scribendi et numerandi elementa percepisset, quae ei verisimile est more antiquo ab ipso parente, ut videtur non indocto viro, fuisse impertita, noluit hic eum iam committere ludo oppidano, cui Flavius quidam praerat, licet magni ac superbi centuriones[1] filios suos eum ludum frequentare iuberent, scilicet omnia illi referentes ad quaestum et utilitatem, qualem legendi, scribendi inprimisque numerandi artes promitterent; nihil cogitantes de liberaliore puerorum educatione, cui proposita est humanitatis conformatio. Deduxit igitur pater eum Romam, ut ibi eas artes ac disciplinas perciperet, quas, ut poeta ipse scribit, „*quivis eques atque senator semet prognatos doceri*“ vellet. Quin etiam eum omnino habuit liberalissime, quandoquidem ipsi vestitum, qui nobilem deceret adolescentem, atque adeo servos pedisequos dedit. Ipse autem affuit filio custos honestatis et bonae famae religiosissimus, ut etiam magistrorum scholis una cum illo interesset, consuevitque eum usque in hominum vitam intueri indeque sibi vivendi exemplum sumere; id quod claris verbis narratur Sat. I. 6, 77 sqq. et I. 4, 105—126. Quamquam in istis omnibus, id quod luculentum sane generosi animi argumentum est, neutiquam externa commoda et honores spectavit, qui olim filio inde sperandi essent, sed unice honestatem eius atque liberalem mentis animique eruditionem ob oculos habuit, ceterum plane securus, praeco ille an coactor aliquando esset evasurus; v. Sat. I. 6, 86. Tradidit autem filium in complurium magistrorum disciplinam, quandoquidem poeta Sat. I. 6, 82. ipsum scribit *omnes circum doctores affuisse.* Nimirum verisimile est Horatium omnino ea institutione et disciplina usum esse, qualem supra adumbravimus, ita ut pro more illius aetatis non modo grammaticos, sed etiam rhetores audierit. Quamquam de hisce studiis ipsius nihil certi memoriae proditum est. Illud unum ex Hor. Epist. II. 1, 69 sqq. constat, inter grammaticos, a quibus institutus est, fuisse Orbilium Beneventanum, hominem plagosum, qui pueris dictare solebat carmina Livii Andronici eaque per terga inculcare; sed eundem perquam doctum, de quo plura Sueton. De Illustribus Grammaticis Cap. 9.[1] Cui illud addendum est, quod ex Epist. II. 2, 42. intelligitur, eum tum etiam Ho-

1 Hi enim in colonia illa Venusina primarias partes egisse videntur.

1 Memoriam viri ab iniustis suspicionibus vindicavit Ad. Gottl. Lange, Rector quondam Portensis, in libro: Vermischte Schriften u. Reden, herausgeg. v. Carl Georg Jacob. Lips. 1832. p. 182 sqq.

mericorum carminum notitia imbutum esse. Sed quidquid rei est, illud certe vel ex iis, quae ipse narrat Horatius, facili coniectura assequaris, eum, dum Romae vixit, eundem illum studiorum cursum emensum esse, quem vulgo beatiorum hominum filii, qui ad liberalioris doctrinae laudem adspirarent, emetiri consueverint. Nec vero prospero eventu caruerunt iuvenilia haec eius studia. Auctus enim per ea in animo adolescentis litterarum amor ita est, ut etiam Athenas adire decerneret ibique litterarum caussa diutius commorari. Quod quidem consilium quo tempore inierit ac perfecerit, etsi multum a viris doctis dubitatum est atque etiam nunc dubitatur, tamen illud quidem pro certo et explorato videtur haberi posse, quod Massonus Vit. Horat. p. 33. Weichertus De Cassio Parmens. p. 328. Frankius Fast. Horat. p. 10. aliique statuerunt, ipsum iam illo tempore, quo post Iulii Caesaris necem flamma belli civilis denuo erupit, aliquamdiu Athenis commoratum fuisse. Quamobrem eum a. u. 709., h. e. anno aetatis vicesimo, Athenas migravisse verisimillimum est. Quod autem plerique Romanorum studiorum caussa in Graeciam proficiscentium sequuti esse reperiuntur, ut praeter artem oratoriam philosophiae inprimis darent operam, id etiam Horatio fuisse propositum, luculente apparet ex Epist. II. 2, 43. ubi se illis temporibus tam eam sapientiae partem, quae ad vitae actionem pertinet, quam alteram illam, quae in rerum natura contemplanda versatur, attigisse claris verbis testatur. Nam quod fuerunt qui ibi verba haec: „*ut possem curvo dignoscere rectum*“ ad mathematica pertraherent, ridiculus is error est, quem vix memorare attinet, quum illa ad moralia pertinere manifestum sit. Clari autem illa aetate fuerunt Theomnestus Academicus, quem ab Horatio auditum esse ex Epist. II. 2, 45. verisimile est; Cratippus Peripateticus et Philodemus Epicureus, cuius versus referuntur Sat. I. 2, 121 sqq. conf. Cic. De Off. I. 1. ad Fam. XII. 16. XVI. 21. Plut. Brut. 24. Nec tamen iuvenis Romanus his unis litteris sese dedidit; qui, si quid coniicere licet, grammaticis ac rhetoricis, quae antea tractaverat, studiis excitatus animum inprimis etiam ad poesin Graecam, maxime lyricam, applicuit. Quod vel ideo est credibile, quia, quum primum carmina pangere coepit, sese statim ad Graecorum elegantiam composuit et plane Graecus extitit, quodque etiam in Satiris suis I. 3. et 10. studiis eorum adversatus esse reperitur, qui unice probarent veterem poesin Latinam et prae ea Graecorum venustatem atque elegantiam contemnerent. Neque indignum est animadversione, quod, quum scripsit quae Sat. I. 2, 121 sqq. ex Philodemi aliquo carmine expressa leguntur, sine dubio recens fuit a poetarum Graecorum lectione, quippe quum Satira illa sine controversia inter primas, quas litteris consignavit, referenda sit. Itaque nobis quidem plane persuasum est, Horatium, exacto studiorum grammaticorum et rhetoricorum curriculo, Athenis et philosophiae vacavisse, et quod tempus alii exercitationibus oratoriis impendere solerent, poesi, quam iam adolescens adamare coepisset, tribuere constituisse.

Atque hactenus quidem vidimus, tempora illa, quibus respublica Romana cum adversariis suis ita luctata est, ut tamen usque perstaret et conservaretur, studiis Horatii pro rerum conditione, qualis tum fuit, satis fausta fuisse ac propitia. Contigit enim ipsi hoc, ut ea uteretur institutione ac disciplina, quae ex Graecarum litterarum usu et consuetudine ducta maximam vim haberet ad animum ingeniumque humanitatis artibus excolendum atque conformandum. Sed ecce, dum iuvenis illis studiis suis unice occupatus est, subito ingruunt belli tempestates, quae ipsum opinione citius inde avocant. De qua re ipse Epist. II. 2, 46 sqq. clare et perspicue scri-

psit haec: „*Dura sed emovere loco me tempora grato, civilisque rudem belli tulit aestus in arma, Caesaris Augusti non responsura lacertis.*“ Etenim M. Brutus quum post C. Iulii Caesaris necem mense Septembri a. u. c. 710. in Graeciam traiecisset adversus eos, qui reipublicae libertati tum inimici extitissent, bellum paraturus, Athenis quum alios iuvenes Romanos litterarum caussa ibi commorantes, tum etiam Horatium ad partes suas pertraxit. Nempe hunc videtur tum primum de facie novisse in scholis philosophorum, Theomnesti Academici et Cratippi Peripatetici, quando quidem Plutarch. Vit. Brut. c. 24. Brutum disertis verbis narrat in primis Theomnestum audivisse. conf. Dio Cass. XLVII. 21. Vell. II. 62. Nec vero cuiquam mirum accidet, quod iuvenis, qui a patre honestissimo sedulo ad veri rectique amorem inde a prima pueritia institutus erat, quamvis uteretur infirma valetudine, de qua conqueritur identidem, tamen continuo adversus eos arma cepit, qui reipublicae libertati interitum minari videbantur. Egit igitur eum tum iuvenilis animi fervor in arma, ut ipse ait Epist. I. 20, 23. II. 2, 47. Quo nomine etiam Bruto adeo probatus est, ut is eum continuo tribunum militum faceret. Quocirca temporum, quae Horatius adolescens vidit, vicissitudines sane ita tulerunt, ut cui illa eatenus favissent, quod vigebat usque praestantissima iuventutis erudiendae disciplina, eundem repente studiis utilissimis occupatum in belli fluctus abriperent. Verumenimvero quod saepe in vita humana evenire solet, ut quae natura sua gravia sunt, tristia et iniucunda, ea tamen exitum habeant faustum et exoptatum, idem etiam de Horatii fortuna ita iudicare licet. Is enim etsi per temporum tristitiam multa gravia atque aspera expertus est, tamen hac ipsa via eo perductus videtur esse, ut quod munus ei ab ipsa natura destinatum fuit, hoc est munus poetae, id et citius auspicaretur et ipso ingenio ducente felicius ac prosperius perageret, quam absque ista belli communione haud dubie futurum fuisset. Sed age hoc ipsum quomodo ita acciderit, paucis narravisse iuvabit.

Transiit igitur Horatius, castris Musarum relictis, repente miles factus in castra Bruti. Quod verisimile est ita factum esse, priusquam Brutus in Asiam proficisceretur. Reperiuntur enim in carminibus Horatii locorum et regionum Asiae quaedam descriptiones, quae accuratiorem illorum produnt notitiam, quam quae ex una fama et auditione vel etiam e lectione librorum hauriri potuerit. Quam in rem contulisse iuvabit Od. I. 7. I. 14, 19. II. 16. III. 29, 63. III. 28, 14. Epist. I. 11, 7. al.[1] Huc accedit, quod ex Od. II. 6, 5 sqq. et II. 7, 6 sqq. ubi poeta narrat, quo modo in castris cum amicis tempus fefellerit, non temere colligas, diutius ipsum in armis fuisse, praesertim quum sese fateatur *saepe*, h. e. plus semel, Bruto duce in ultimum tempus deductum esse. Neque hac in caussa negligendum est, quod lepidam illam rixam et contentionem, quam Satir. I. 7. narrat Bruto Asiae propraetore inter Rupilium Regem et Persium negotiatorem agitatam esse, recenti narratione videtur cognitam habuisse. Itaque verisimillimum est profecto, Horatium, statim ut tribunus militum factus esset, una cum Bruto in Asiam traiecisse. Is autem dubium non est quin iam anno u. c. 711. una cum copiis suis in Asiam abierit. Itaque Horatium existimari oportet inde ab hoc tempore usque ad pugnam Philippensem, quae exeunte anno 712. commissa est, stipendia fecisse. Fuit autem exitus huius pugnae partibus Brutianis atque reipublicae libertati luctuosissimus. Quo quidem in rerum discrimine Horatius quum fortunae iniquitati non amplius resisti posse videret, siquidem, ut ipse Od. II. 7, 9 sqq. scribit, *fracta fuit virtus et minaces turpe so-*

1 v. etiam Schmid ad Epistol. Horat. I. 11, 7 sqq.

lum tetigere mento; fuga saluti suae statuit consulendum esse. Quod ut optimum sibi duceret, etiam illud effecit, quod apud ipsum sine dubio dudum subnatum fuit consilium sese totum poesi tradendi. Quamobrem ipsum, ut ait, *Mercurius celer denso paventem sustulit aëre per hostes*, utpote custos ille ac tutor poetarum, qui ideo Od. II. 17, 29. *viri Mercuriales* vocantur, coll. Od. III. 4, 26. Nimirum devictis Bruti et Cassii copiis, desperata reipublicae salute, non dubitavit se a pugna recipere, *relicta*, ut postea Od. II. 7, 10. iocabundus scribit, *non bene*, i. e. parum gloriose, *parmula;* quo in loco multi perperam putarunt ignaviae ac timiditatis confessionem inesse, qualis certe minime convenit cum loco Epist. I. 20, 23. ubi poeta se olim summis ducibus placuisse gloriatur. Sed hoc quidem utut sese habet, captum tum ab Horatio consilium est eius vitae itineris ingrediendi, quod deinde perpetuo constanter tenuit. Noluit enim porro sese committere belli fluctibus, in quos ipsum rudem et imperitum civilis aestus tulisset (Epist. II. 2, 47.), aut diutius interesse proeliis atque pugnis, quippe quum sibi *imbelli ac parum firmo* (Epod. I. 16.) id negotium minus convenire sentiret. Itaque relicta militia ad artium et litterarum studia redire apud animum constituit. Quocirca, ut narrat Suetonius, quocum consentit etiam auctor Vitae Hor. ex antiquiss. cod. Blandin. descriptae, venia victis partibus impetrata in Italiam rediit. Nimirum sequutus videtur iuxta cum aliis plurimis potentissimum Messallae Corvini, viri prudentissimi et Cassio ac Bruto auctoritate proximi, consilium, qui quum post infelicem pugnae Philippensis exitum de caussa reipublicae feliciter tuenda desperavisset, oblata iis, qui victori se dederent, in Italiam redeundi venia utendum potius quam dubium armorum certamen experiendum statuit; id quod liquido testantur Appian. B. C. IV. 136. et Vellei. Pat. I. 71. Iam vero pugna Philippensis quum inciderit in mensem Novembrem vel Decembrem a. 712.,[1] videtur Horatius aut exeunte a. 712. aut ineunte a. 713. iter in Italiam suscepisse. Quod si ita accidit, priusquam agrorum divisio a. 711. a triumviris decreta fieret — facta enim anno demum 713. est, — in Italiam revertit. Ex quo verisimiliter sane coniicias, cum in Italiam reducem factum non recta via Romam contendisse, sed post diuturniorem absentiam ante omnia natale solum Venusiamque invisisse. Est enim perquam verisimile, ipsum relictum sibi a patre, interea fato defuncto, patrimonium, quantulumcunque esset, illo tempore accepisse, quo haberet unde dehinc vitam sustentaret. Etsi enim fundus paternus veteranis militibus erat decretus, tamen opibus destitutus vix potuit continuo Romae vitam degere. Accedit quod mox scriptum quaestorium sibi comparavit, ad quod comparandum aliqua saltem pecuniola opus fuit. Quamquam res demonstrari non potest ex Sat. II. 2, 114 sqq., ubi Ofellum rusticum agris suis spoliatum loquentem inducit. Quocirca videtur Horatius, Brundusium quum venisset, inde in Apuliam, mox autem Romam contendisse. Sed haec omnia ut incerta sint atque dubia, tamen illud nobis extra omnem dubitationem videtur positum esse, eum revera fundo paterno per agrorum divisionem a triumviris decretam spoliatum esse. Quod enim nuper extiterunt, qui credibile esse arbitrarentur, fundum Venusinum iam ante agrorum divisionem a patre fuisse divenditum nec filio per vim ereptum, propterea quod Horatius Romae sibi mox emerit scriptum quaestorium, mirifice illi hallucinati sunt. Nam primum quidem Horatius ipse Epist. II. 2, 49. non obscure significat, sese tum agello paterno spoliatum esse, his usus verbis: *Unde simul primum me dimisere Philippi decisis humilem pennis inopemque paterni et laris et fundi, paupertas impulit audax, ut*

[1] v. Virg. Georg. I. 481.

versus facerem. Quae verba nullo modo de praedio paterno ultro divendito intelligi possunt. Deinde nec statuere licet, Horatium, iactura paterni agelli facta, continuo ad extremam redactum fuisse paupertatem. Fuerat enim pater ipsius ad rem attentus, ut etiam patria urbe relicta una cum filio Romae satis laute vivere adeoque filium studiorum caussa Athenas mittere potuerit. Quocirca filio tantum certe videtur hereditate reliquisse, ut is, quamvis fundo paterno veteranis adscripto, tamen scriptum quaestorium sibi comparare potuerit. Nam scribae munere eum functum esse quum Vitarum scriptores liquido testantur, tum etiam ex Sat. II. 6, 36. 37. perspicue intelligitur, ut sane mirari subeat nuper extitisse, qui rem vocarent in controversiam. Nempe petiit iuvenis Horatius tale munus, non modo ut haberet unde vitam toleraret, sed etiam ut poeticis studiis vacare posset, quibus dehinc inclarescere apud animum constituisset. Quare Epist. II. 2, 49. scribit: *Unde simul primum me dimisere Philippi decisis humilem pennis inopemque paterni et laris et fundi, paupertas impulit audax, ut versus facerem.*

Sed hoc quidem loco nos iam pervenisse sentimus ad alteram vitae ab Horatio peractae partem, quam supra iudicavimus inde a pugna Philippensi ac reditu eius in Italiam usque ad pugnam Actiacam et Caesaris Octaviani principatum pertinere. Habet autem tempus illud hoc sibi proprium, quod fractis pristinae reipublicae viribus dehinc variarum partium rixae et contentiones agitatae sunt idque ita per longius tempus accidit summa cum Italiae miseria, usque dum tandem C. Caesar Octavianus e diuturno gravique certamine superior discessit. Etenim hic quum victis ad Philippos Bruti et Cassii partibus in Italiam rediisset, propter agrorum divisionem militibus decretam ibi exortum est saevissimum bellum Perusinum (a. 712. ad 714.), tanto illud miserius, quod eodem tempore etiam Sext. Pompeius maria Italiae finitima infestabat. Quo non sine magna Octaviani crudelitate finito Marcus Antonius triumvir ex Oriente cum classe advenit et foedere cum Sext. Pompeio atque Domit. Ahenobarbo iuncto Brundisium occupavit Octavianum eiusque partes hostiliter aggressurus. Aversum tamen novi belli periculum, tota Italia pacem flagitante, atque composita est pax Brundisina a. 714., cuius per opportunitatem Asinius Pollio, antea Antonii partes ille sequutus, aliquando cum Octaviano in gratiam rediit. Sed magnum etiam tum Italiam atque Romam malum inquietabat. Infestabat enim Sext. Pompeius a. 715. denuo oras et maria finitima. Quamobrem proruperunt populi tumultus, per quos triumviri coacti sunt cum Sext. Pompeio pacem inire, quae a. 715. prope Puteolos vel ad Misenum composita est, faustissimis Pompeio latis illius conditionibus. Sed iam anno proximo (716.) bellum cum Pompeio recruduit foedere superiore a triumviris perfide neglecto, exortumque est bellum, quod *Siculum* vel *piraticum* dici solet, protractum illud usque ad a. 718. Quo quum Octavianus ab initio minus feliciter pugnavisset, auxilia petiit ab Antonio. Qui tamen quum ineunte vere anni 717. Brundisium venisset, portu ibi non receptus, classe sua navigare coactus est Tarentum, ubi postea a legatis Octaviani et Antonii actum est de foedere. Quorsum pertinet iter illud Brundisinum ab Horatio lepidissime descriptum Sat. I. 5., quod alii perperam ad a. 714. retulerunt.[1] Nimirum legati videntur primum contendisse Brundisium, mox autem abiisse Tarentum, ubi foedus Tarentinum ictum est a. 717., quo triumviri sibi mutuam spoponderunt opem. Pugnatum vero diu est Marte ancipiti, donec Agrippa

1 Verum iam Masson. Vit. Hor. p. 81 sqq. perspexit, cui assensi sunt fere Kirchner Quaest. Horatt. p. 54 sqq. et Drumann Röm. Gesch. p. 422.

duabus pugnis navalibus ad Mylas et Naulochum commissis Sext. Pompeium plane devicit, ut is copiis suis amissis a suisque desertus in Orientem fugere cogeretur, ubi mox occisus est. Ita finitum tandem est bellum atrocissimum, cuius opportunitate Octavianus etiam Lepidum potentia sua exuit. Quum vero faustus illius exitus deberetur maxime virtuti Agrippae, victoriae tamen honorem, etiam ab Octaviano ei tributum, modeste declinantis, tum omnis eius rei laus fere ad hunc unum redundavit.[1] Nam quum Italia adhuc maximis afflicta fuisset belli calamitatibus, Romani eum iam coeperunt ut unicum pacis diutissime exoptatae auctorem devenerari; quo honore etiam eo sese dignum praestitit, quod dehinc, deposita pristina crudelitate, mansuetus, clemens, mitis et humanus esse coepit. Itaque ipsi mense Novembri a. 718. in urbem revertenti ingentes honores decreti sunt. Nam declaratus est publice sacrosanctus, quasi tribunus plebis esset; prima sedes ei ut consuli perpetuo in senatu adiudicata; corona laurea perpetuo gestanda ipsi tamquam imperatori perpetuo consecrata; quin etiam oppidatim inter deos tutelares receptus est.[2] Quamobrem vere dicere licet iam tum posita esse illius potentiae fundamenta, quam postea est consequutus. Eam vero auctoritatem ipse ...tiam proximis annis non mediocri...er eo adauxit, quod oppressa vete...anorum seditione periculosissima ...t tumultibus oppidorum Etruriae ...edatis, postquam a. u. 718. Maecenatem Romae et Italiae praefecerat,[3] Salassos, Tauriscos, Liburnos et Iapides bello petiit hisque ...ictis etiam Pannonios ac Dalmatas ...begit ac perdomuit.[4] Et ex bello ...almatico quidem a. 720. redux factus etiam splendidum triumphum egit; praeda autem inde capta a. 721. urbem magnifice exornavit instructa etiam bibliotheca Octaviana.[1] Quam quidem ipsius liberalitatem quum alii generosa ambitione aemulati sunt, tum inprimis Agrippa imitatus est, qui a. u. 721. aedilis factus non modo magnificos ludos instituit, sed etiam aedificia publica instauravit, vias publicas suis sumtibus refecit, aquaeductus exstrui iussit, iisque operibus signa trecenta ahenea aut marmorea et columnas quadringentas imposuit.[2] Itaque tum sic evenit, ut et ipsius Octaviani gratia atque auctoritas summa esset, et caussa eius Romanis in dies magis probarctur. Sed unus adhuc depugnandus adversarius fuit, siquidem aliquando solus summa rerum potiturus erat. Fuit ille M. Antonius. Is vero interea sese dederat turpissime, ut fieri non posset, quin apud cives Romanos maxima flagraret invidia et infamia. Captus enim Cleopatrae amoribus peregrinae mulieri a. 718. mero arbitratu suo complura regna et provincias donaverat, Phoeniciam, Syriam cavam, Cyprum, magnam partem Ciliciae, Iudaeae, Arabiae.[3] Porro bellum adversus Parthos eodem illo anno susceptum praecipitatis consiliis suis pessime administraverat, ut Romani exercitus gravissimis cladibus afficerentur,[4] nihilominus autem a. 720., capto per insidias Armeniae rege, Alexandriae more Romano triumphum egerat.[5] Denique etiam Caesarionem, quem Cleopatra ex Cai. Iul. Caesare a se natum dictitabat, testamento suo pro uno superstite Divi Iul. Caesaris filio habendum esse declaraverat.[6] Tanta vero indignitas quum

1 v. Dio Cass. XLIX. 11—13. 17. 18. Appian. 106—108. Vell. II. 73. 79. Liv. Epit. 129.
2 v. App. B. C. V. 130. Dio Cass. LIII. 32. ...eton. Oct. 27.
3 Dio Cass. XLIX. 8.
4 Dio Cass. l. c. Appian. B. C. V. 16 sqq. ...eton. Oct. 20. 21. Flor. IV. 12. Liv. Epit. 131.

1 v. Dio l. c. Appian. Illyr. Sueton. Octav. 20. 22. 29.
2 v. Plin. N. H. XXXVI. 24. Dio Cass. XLIX. 43.
3 Dio Cass. XLIX. 32. Plut. Anton. 36.
4 Liv. Epit. 130. 131. Vell. II. 82. Iustin. XLII. 5. Flor. IV. 10. Plut. Anton. 37—52. Appian. Parthic. 158—168. Dio C. XLIX. 24—39.
5 Liv. Epit. 131. Dio Cass. XLIX. 39 sqq. Vell. II. 82. Plut. Ant. 56.
6 v. Dio Cass. l. c. Suet. Caes. 51. et Octav. 17.

bonorum omnium animos gravissima indignatione repleret, tum inprimis etiam Octaviani mentem vehementer perculit, praesertim quum Antonius etiam ipsius sororem Octaviam, feminam generosissimam, repudiavisset et iamdudum inimicitiae inter utrumque denuo gliscere coepissent. Itaque ventum denique eo est, ut inde ab a. 722. utrinque bellum pararetur, quod tamen Octavianus, civium suorum declinaturus invidiam, prudenti consilio non Antonio, sed Cleopatrae indixit.[1] Initium illud cepit verno tempore a. 723., quo tempore Octavianus tradita Maecenati Italiae praefectura atque annulo signatorio suo ipsi commisso[2] in Graeciam abiit; confectum est autem pugna a. d. IV. Non. Septembr. ad Actium commissa, in qua Octavianus, Agrippae inprimis usus consiliis, hostilem exercitum adeo profligavit, ut Antonius et Cleopatra in Aegyptum aufugerent.[3] Quo facto Octavianus rebus Asiae et Graeciae constitutis a. 724. ad breve tempus in Italiam profectus est; mox autem iterum in Asiam et Aegyptum contendit. Et Aegyptum quidem capta Alexandria, quum Antonius et Cleopatra ad necem essent compulsi, in suam redegit potestatem[4] et in provinciam Romanam commutavit. Quo facto ipse in Syriam et ad Euphratem se contulit. Qua opportunitate usi Parthi et alii Orientis populi, qui Antonio tulissent auxilium, ab eo pacem petierunt; Tiridates autem, qui cum Phraate tum de regno Parthico pugnabat, supplex ad eum confugit eiusque imploravit auxilium.[5] Quae res a poetis crebro ita memoratur, ut inde maximarum Octaviani laudum argumenta ducantur. Est autem Tiridatis et Phraatis caussa postea etiam a. 731. et rursus quodammodo a. 734. acta, ut magna opus sit hac in re cautione, ne diversa tempora confundantur. Sed hoc velut in transcursu. Redimus ad Caes. Octavianum. Is igitur Romam reversus est mense Sextili a. 725. Quo facto per triduum de Macedonia, Dalmatia et Aegypto triumphavit, Iano ex decreto senatus clauso.[1] Ex quo tempore novus plane rerum ordo in orbe Romano initium cepit, quandoquidem non modo finita sunt aliquando bella civilia, sed etiam Caesaris Octaviani potestas paullatim tantum aucta et amplificata est; ut denique veteris reipublicae vix umbra atque species superesset.

En percurrimus breviter memoriam eius temporis, quo collapsa iam veteri republica a variis principum partibus, laborantibus civibus pugnatum est, usque dum tandem Octaviani principatus exortus est. Atque hoc ipsum tempus fuit, quo Horatius primum laudis poeticae viam ingressus est et cuius rationibus effectum esse dicere licet, ut ad ea genera poesis colenda accederet, quibus eum statim ab initio mirifice excelluisse una est atque consentiens omnium sapientium sententia. Quod qua ratione sic evenerit, ita exposuisse iuvabit, ut vitae studiorumque cursum, quem poeta decursu temporum tenuit, ordine deinceps persequamur.

Rediit igitur Horatius, ut antea narravimus, post pugnam Philippensem in Italiam atque Romam pervenit. Ubi quum sibi de patrimonio suo sentiret minus esse relictum, quam quod ad vitam commode sustentandam sufficeret, scriptum quaestorium emere constituit. Nam scribae munere ipsum revera functum esse, non modo antiqui Vitarum scriptores liquido confir-

1 Dio Cass. L. 4. Plut. Ant. 60.

2 v. Dio Cass. LI. 3. Plin. N. H. I. 40. II. 37. Senec. Epist. 114.

3 v. Dio Cass. l. c. 9 sqq. Plut. Ant. 60—68. Vell. Pat. II. 84—86.

4 Dio Cass. L. 11—35. LI. 1. et 4. Plut. Ant. 61—68. et 74—77. Suet. Oct. 17. Flor. IV. 11. Vell. II. 87. Liv. Epit. 132. et 133.

5 v. Dio Cass. LI. 18. et Iustin. XLII. 5. qui tamen posterior perturbavit tempora, referens haec ad a. 729. sicut ostendit Lachmann. apud Frank. Fast. Horat. p. 239.

1 Dio Cass. LI. 21. Liv. Epit. 133. Suet. Octav. 23. conf. Massonis *Templum Iani Christo nascente reseratum*. Roterodam. 1700. 8. p. 60.

mant, sed etiam ex ipso Horatio cognoscitur, qui Sat. II. 6, 36. sq. rei meminit. Quod utrumque testimonium profecto tantum habet ponderis, ut prope mirari subeat fuisse, qui meris usi argutiis rem dubiam et controversam reddere conarentur. Nec vero per se ullo modo incredibile est, hominem ab honesto patre parce severeque educatum neque honorum splendorem ambitiose affectantem a se id impetravisse, ut sibi scribae munus petendum statueret. Nimirum primum quidem vidit, per temporum iniquitatem hanc unam sibi viam relictam esse, qua et vitam secure degere posset et vero etiam poesi operam dare eaque re aliquando inclarescere liceret. Deinde etiam verissime iudicavit, sibi utpote libertini filio haudquaquam dedecori fore, si tale munus obiret. Etenim erant *scribae* neutiquam homines humiles aut contemti; imo habebantur illi loco honestissimo. Nimirum non iam intelligendi sunt scribae privati, qui dicebantur etiam *scriptores* vel *a manu servi* et *amanuenses*,[1] sed potius scribae publici, qui operam dabant et apparebant magistratibus, ita ut acta publica, i. e. senatusconsulta, edicta, leges, rationes, in tabulas referrent; cuiusmodi homines a nostris fere *Archivare*, *Secretaere* vocari solent. Redacti illi erant in certas classes, quae etiam dicebantur *decuriae*.[2] Legebantur autem in eas a magistratibus soluta pecunia, unde *decuriam emere* apud Ciceronem[3] est *emere munus scribae;* atque distributi erant inter magistratus, ita ut alii essent senatorii, alii praetorii, alii censorii, alii aedilitii, alii quaestorii.[4] Mercenaria tamen fuit eorum opera, id quod vel ex formula: *scriptum facere*, apparet, qua utitur Livius (IX. 46.) et L. Piso apud Gellium (VI. 9.), videnturque universi quotannis certo quodam die ex aerario mercedem accepisse eodemque tempore sortiti esse munera.[1] Nihilominus vero honestum fuisse eorum ordinem luculente testatur Cicero,[2] qui in Verrinis orationibus alicubi: *Ordo est honestus*, inquit, *quod eorum hominum fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur.* Nec vero illi servi erant, sicuti scribae privati, sed potius liberi, quamquam plerumque solebant esse plebeii ordinis atque libertini.[3] Ex his omnibus igitur perspicuum fore arbitramur, cur Horatius tale munus ambire non dubitaverit, praesertim quum inprimis hominibus plebeiis et libertinis aditus ad illud pateret. Quippe ille ut perquam modeste de se sentiret, patris quondam effecerat prudentia.[4] Praeterea vero etiam sperabat futurum esse, ut sibi tali munere fungenti nonnihil otii ad colenda liberalium disciplinarum studia suppeteret; in quo certe ipsum opinio minime fefellit.[5] Nec tamen scribae negotio et officio diu functus videtur, quandoquidem iam Satir. II. 6. in. atque aliis locis vitam suam praedicat ut liberam ab omni certa et necessaria occupatione. Nimirum abdicavit se munere illo, si quid iudicare possumus, posteaquam a Maecenate villam Sabinam dono acceperat, cuius unius possessione se quum aliis locis tum Sat. II. 6. unice beatum praedicat. Itaque disquirendum hic erit, quo tempore villa Sabina a Maecenate donatus sit. De qua re nos quidem ita statuimus, ut verisimillimum esse existimemus, eam intra a. u. 721. et 723. Horatio obtigisse. Nam primum quidem poeta muneris illius in priore Satirarum libro ne uno quidem loco

1 v. Sueton. Caes. c. 74. Ner. c. 44.
2 Suet. Claud. 1.
3 Verrin. Oratt. III. 79. coll. Suet. Claud. 1. bique intpp.
4 v. Gell. N. A. VI. 9. et Cicer. pro Cluent. 45. ex quo loco etiam intelligitur, scribas um lectos esse ab aedilibus et praetoribus, uum antea eos a quaestoribus urbanis lectos isse ex Liv. XL. 13. et Cic. Verr. III. 78. inelligi liceat.

1 v. Cicer. Catil. IV. 7. Verrin. II. 3, 79.
2 Orat. Verr. II. 3, 79. et pro Cluent. c. 45.
3 v. Cic. ad Fam. V. 20. ubi de scribis privatis cogitandum, et ll. cc.
4 v. Sat. I. 6, 85 sqq.
5 De scribis publicis Romanorum v. Ernesti Clav. Cic. s. v. et quos ille laudavit, atque Weber: *Horaz als Mensch u. Dichter* p. 55 sqq.

mentionem iniicit. Qui liber quum anno 720. foras in lucem publicam emissus videatur, de qua re post paullo explicabitur, consentaneum est, nec villae munus ipsi usque ad id tempus obtigisse. Atque cum hac ratione egregie concordat, quod Satira tertia libri secundi, in qua poeta sese fingit in exaedificanda et exornanda villa sua occupatum, certe ante a. u. c. 721. scribi nullo pacto potuit, quippe in qua aedilitas Agrippae commemoretur, quam in annum u. 721. incidisse paullo ante vidimus. Accedit huc, quod nec Satiram sextam libri secundi multo post, quam Sabinum accepisset, litteris exaratam esse credibile est; spirat enim ea gratiam plane recentem erga eum, qui ipsum tanto munere beavisset, habetque etiam mentionem scribarum, qui versu 36 sq. nuperum collegam suum dicuntur de re communi consulere voluisse. Iam vero composita est haec satira sine dubio a. 723., sicuti liquido apparet ex versu 39., ubi memoratur annulus signatorius, quem Octavianus teste Dione LI. 1. et Plinio Nat. Hist. I. 40. II. 37. circa tempus pugnae Actiacae Maecenati una cum praefectura Italiae commiserat; apparet item ex verss. 53. et 55 sqq., quo loco attingitur bellum a. 723. cum Dacis gestum atque nova agrorum divisio, quam multi bello Actiaco confecto locum habituram esse putavisse videntur. Quae si vere disputata sunt, certe nihil est verisimilius, quam quod iam supra significavimus, villam Sabinam Horatio intra a. 721. et 723. a Maecenate donatam esse, ut poetam facile suspiceris eodem fere tempore sese etiam scriptu abdicavisse. Quamquam quo tempore scribae munere functus est, eodem iam ad poesin colendam animum appulit. Fatetur enim Epist. II. 2, 51. sese post pugnam Philippensem in Italiam reducem factum paupertate adactum versus facere coepisse: *Decisis humilem pennis*, inquit, *inopemque paterni et Laris et fundi paupertas impulit audax, ut versus facerem; sed quod non desit habentem quae poterunt unquam satis expurgare cicutae, ni melius dormire putem quam scribere versus.* Quo loco sese aperte ait paupertate ad poesin deductum esse. Nimirum offenderat Horatius redux in patriam factus patrem se absente mortuum; patrimonium imminutum; fundum paternum triumvirali proscriptione sibi ereptum; quae omnia eo vehementius ipsum commoverint necesse est, quo liberalius antea patre vivo habitus fuerat. Itaque paupertas mediocrisque fortuna, qua iam utebatur, in generoso celsoque ipsius animo acrius etiam desiderium poesis, cui dudum vacare constituisset, excitaverunt; quo ipso impulsus est, ut versus faceret, hoc est, facultatis suae poeticae documenta ederet, non quo panem lucraretur, sed ut nobilius inclaresceret ac nominis sui fama comparata fortunae melioris fundamenta iaceret. Inerat enim in Horatio ingenium poeticum, nutritum illud etiam ac subactum Graecorum familiaritate; quod quidem fieri non potuit quin tali rerum conditione facillime vel exsuscitaretur vel clarius emergeret. Quocirca tum, hortantibus etiam temporibus, sequutus nativum ingenii impetum carmina scribere instituit.

Et primum quidem ad Epodos sive iambos et ad Sermones satiricos scribendos appulit animum, quae sine dubio prima fuerunt poemata, quibus scribendis ingenii sui vires expertus est; id quod clarissime ex eo intelligitur, quod horum carminum nullum est, quod aut ante a. u. 713. aut post a. u. 725. scriptum esse certis argumentis demonstrari possit, quodque ipse Od. I. 16, 22. fatetur, se quoque pectoris tentasse in iuventa fervorem et in celeres iambos misisse furentem. Nimirum horum studiorum caussam et opportunitatem, si quid iudicare possumus, non modo iuventus poetae, sed etiam tempora attulisse iudicanda sunt. Nam rerum civilium facies utique erat tum longe tristissima. Sanguis civium bellis

civilibus, quae inde a bello Perusino usque vehementius desaeviebant, cruente profusus; homines nequam et abiecti, ut Menodorus sive Menas, passim ad summos honores evecti; Italia plena rapinis, caedibus, latrociniis; nulla amplius maiestas, nulla dignitas et auctoritas reipublicae; patriae caritas non modo sed etiam sanctitas sublata; plena postremo omnia factionum turbis et partium studiis, ut communis societatis vincula prorsus soluta violenterque rupta viderentur. Sed ad hanc rerum civilium perturbationem maior etiam miseria accedebat, ingens morum depravatio, qua prisca Romanorum virtus plane videbatur extincta ac deleta esse. Grassabantur enim vitia inter se maxime contraria, turpis avaritia et profusa intemperantia; regnabat immoderata divitiarum cupiditas et abiectissima lubido; dominabatur inepta sapientiae affectatio et summa stoliditas cum superstitione pariter atque temeraria impietate coniuncta; denique publica pariter atque privata disciplina foede corrupta erat, ut universae civitatis haud dubia ruina instare videretur.[1] Quis igitur miretur generosum adolescentem pristinae memorem dignitatis et ab honesto patre ad praestantissimas quasque virtutes adsuefactum, etiamsi non invitus in Italiam redeundi veniam impetravisset, tamen usque patriae miseria doluisse vehementissime et acrimonia quadam animi repletum intus in pectore suo acerbiores ac tristiores sensus coluisse? Nimirum Horatius quidem talibus sensibus utique indulsit, quos quidem sensus nec dubitavit Epodis ac Satiris scribendis palam facere atque aperte declarare. Sunt nim utriusque generis carmina iisem fere scripta temporibus, quamuam eadem indole ac natura sua liquantum differunt. Nam ut nihil icamus de externa formae diversite, quae prope in oculos incurrit, rgumentum certe eorum atque materiae tam delectus quam tractatio in utrisque multum sane discrepat. Nam Epodi omnino quidem lyrici sunt generis exprimuntque cum irrisione et acerbitate sensus poetae ex temporum miseria et perversitate contractos, quamquam subinde, sed rarius tamen, etiam ad meram vitiorum et perversitatum irrisionem propius accedunt sine gravioris alicuius vel indignationis vel doloris significatione. Satirae autem non tam sensus quam iudicia poetae de temporum vitiis et perversitatibus patefaciunt, versanturque in illis leniter urbaneque ridendis et cavillandis, ut quasi imagines quasdam eorum exhibeant, quibus intuendis et contemplandis eorum turpitudo et perversitas cognoscatur. In quo tamen diligenter observari atque teneri debet, nusquam in iis attingi res civiles atque publicas, sed unice notari perversitates hominum communes. Quod quidem quum facile liceat percensendis singulorum Epodorum ac Satirarum argumentis demonstrare, tamen, ne longius evagetur disputatio, paucis rem significavisse satis erit. Praestat enim continuo, qua via et ratione Horatius in his carminibus condendis versatus sit, breviter ostendisse, quo certe futurum erit, ut etiam intelligatur, qui tandem factum sit, ut ille tempore tam brevi ad tam raram ac singularem facultatis poeticae laudem pervenerit.

Enimvero Horatius quo maiorem quandam nominis sui famam adipisceretur, non tritam illam ac vulgarem poesis factitandae viam sibi ingrediendam esse statuit, quam ii fere sequebantur, qui vetera scripta etiamtum anteferebant recentioribus.[1] Imo illud potius spectavit, ut Latio nova necdum a popularibus suis scite tractata ostenderet carminum genera eaque ipsa, adscita etiam Graecorum venustate et elegantia, ad quam maximam artis laudem elaboraret atque perpoliret. Quod quidem consilium

1 v. Epod. XVI. et VII.

1 v. Sat. I. 10. et Epist. II. 1, 18—107.

poetae tam in Epodis quam in Satiris clarissime cernitur.

Etenim poesin lyricam Horatium constat inde exorsum esse, ut more modoque Archilochio scriberet. Quod quidem primus inter populares suos tentavit. Quamobrem ipse Epist. I. 19, 23. sese scribit principem *iambos ostendisse Latio, numeros animosque sequutum Archilochi, non res et agentia verba Lycamben;* qui locus ad cognoscendam iudicandamque rationem, quam in scribendis his poematis tenuit, longe est gravissimus. Constituit igitur poeta iuvenis primum in Epodis suis imitari Archilochum Parium, ita quidem, ut et animum illius exprimeret et iambicos eius numeros imitando effingeret. Hoc vero consilium quale et quantum fuerit, ita demum recte aestimaverimus, ubi quantis laudibus poeta Parius apud veteres floruerit et quibus virtutibus fuerit insignis, accuratius perpenderimus. Etenim magnum profecto apud veteres Archilochi Parii nomen fuit, ut adeo suo in genere fere Homero par haberetur ac simpliciter ὁ Πάριος ποιητής appellaretur. Natus ille fuit in Paro insula, quam patriam suam tamen iam mature reliquit; migravit enim in Thasum, Thraciae vicinam, quae fuit Pariorum colonia Olymp. XV. vel XVIII. eo deducta. Fuit, ut Cicero refert,[1] iam Romulo regnante, et circa Olymp. XXIII. s. ante Chr. n. 688. maxime inclaruit. Excelluit autem quum in elegiaco poesis genere ab Ionibus inprimis celebrato, tum maxime eo, quod iambum, hoc est, carmen ad ridenda hominum vitia versu iambico compositum, et primus invenit et ad summam artis perfectionem excoluit. Quo nomine etiam a Velleio Paterculo[2] eximiis mactatur laudibus, quippe qui neminem quemquam reperiri arbitretur, qui, cuius operis primum ipse auctor fuerit, in eo continuo etiam perfectissimus extiterit praeter Homerum et Archilochum. Itaque hunc post Homerum universa Graecia maxime admirata est; huius carmina cum Homeri et Hesiodi carminibus decantarunt rhapsodi;[1] hunc plurimi in deliciis habuerunt et imitatione celebrarunt, ut Aeschylus, Cratinus, Aristophanes, alii; hunc denique etiam nobiles grammatici Alexandrini ut principem poetarum iambicorum in canone suo posuerunt, postea etiam alii multi commentariis illustrandum iudicaverunt.[2] Quum autem in variis carminum generibus, hymnis, elegis, epigrammatis, scoliis, fabulis, cum laude elaboraverit atque etiam compluribus metrorum generibus, quae vocantur Archilochia, inventis clarus extiterit, tamen maximam nominis celebritatem adeptus est Iamborum, quos condidit, virtute et excellentia, quibus quidem id egit, ut singulos atque certos homines vehementius insectaretur atque acerbius exagitaret.[3] Nam *iambus*, inquit Proclus p. 7. Chrestomath., *et ad conviciandum olim comparatus fuit; ἰαμβίζειν enim linguae quadam proprietate contumeliose dicere significabat.* conf. etiam Aristotel. Poetic. c. 4. Quintil. IX. 4, 141. In his iambis autem primus etiam usus est versibus *ἐπῳδοῖς*, sicuti testatur Plutarchus De Musica[4] his usus verbis: *πρώτῳ αὐτῷ τὰ ἐπῳδὰ ἀποδίδοται.* Nimirum *ἐπῳδοί* proprie dicti sunt versus breviores iambici longioribus versibus subiecti, ut his quasi accinere videantur. Ex quo factum est, ut eodem nomine etiam carmina appellarentur ex versibus epodicis composita. Quamquam merito dubites, num ipse Archilochus hoc nomen iambis suis indiderit, quod posteriore demum tempore credibile est a Grammaticis usurpatum esse, sicuti iudicavit etiam Liebel. ad Archiloch. p. 45. et p. 162. Caussam autem et originem nominis du-

1 Tuscul. I. 1.
2 Lib. I. 5.

1 Athen. XIV. p. 620.
2 v. Quintil. X. 1.
3 v. Horat. Epist. ad Pison. v. 79 sq. Epod. 6, 13. Epist. I. 19, 30. coll. Od. I. 16, 2.
4 P. 1141. ed. Francof. et Victorin. Gramm. p. 1251. ed. Putsch.

dum recte explicuerunt Grammatici. Diomedes enim p. 482. ed. Putsch.: *Epodi*, inquit, *dicti a partibus versuum, quae legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται, id est, accinuntur.* Hephaestion De metris p. 22. 70. Marius Victorin. II. p. 2552. Porphyr. Schol. ad Epod. 1. in. Schol. Cruq. ibid. Itaque iambicam istam Archilochi poesin Horatius in Epodis suis imitatus est, ut inde sibi singularem aliquam quaereret laudem poeticam. Id quod ipse significat Epist. I. 19, 23. ubi sese primum gloriatur Latio Parios iambos ostendisse. Hoc autem qua ratione perfecerit, licet hodie deperditis Archilochi iambis diligentius explorari nequeat, tamen ipse Horatius non obscure significavit. Fatetur enim poeta Epist. I. 19, 23. se *numeros animosque sequutum esse Archilochi; non res et agentia verba Lycamben.* Itaque primum quidem sese ait non materiam et argumenta suorum carminum ab Archilocho mutua sumsisse, quale sit hoc, quod ille Lycamben eiusque filiam Neobulen carminibus suis acerrime corripuerit,[1] sed animos in iis spirantes, hoc est animi acerbitatem et iram ex temporum iniquitate hominumque perversitate susceptam, expressisse. Nimirum poeta in his carminibus suis tamquam effudit acerbiores animi sui sensus idque more Archilochi fecit. Quocirca modo vehementius insectatur homines nequam; modo de temporum iniquitate ac tristitia acerbius conqueritur; modo evomit virus gravis indignationis ex rerum hominumque indignitate susceptae; modo effunditur in miseras querelas de temporum calamitatibus atque infortuniis, ut omnia fere arguant animum ira, tristitia, dolore, indignatione denique plenum iisque affectibus varie motum et agitatum. Quamquam sunt etiam carmina quaedam epodica, quae tranquilliorem produnt animi sensum; quorsum pertinet carmen libri primum, in quo poeta nihil nisi suam ipsius deplorat infelicitatem, ubi sese Maecenatis sui societate orbatum sensurus sit; pertinet item carmen secundum, ubi poeta descriptis vitae rusticae iucunditatibus denique inexsuperabilem foeneratorum avaritiam quattuor tantum postremis versibus ridet ac subsannat. Nimirum talium animi sensuum, quales in Epodis declarantur, sponte intelligitur gradus esse posse admodum varios et multiplices, ut neutiquam mirum accidat, quod aliquot epodi propius ad poesin elegiacam accedunt. Omnino enim Horatium verisimile est iamborum Archilochiorum indolem ita expressisse, ut ea in re liberius versatus sit neque eorum animos, quos vocat, ubique servaverit ac retinuerit. Sed praeter animos Archilochi Horatius sese ait etiam numeros Parii poetae sequutum esse. Enimvero adhibuit in his poematis iambos *criminosos*, quos ipse vocat Od. I. 16, 2. Quapropter etiam ipse haec carmina *iamborum* nomine appellat, sicubi ea memorat, ut Od. I. 16, 3. I. 16, 24. Epod. 14, 6. Epist. I. 19, 20. Atque usus est etiam creberrime versibus epodis, hoc est, alternis versibus brevioribus ac longioribus, modo longioribus ante breviores positis, modo vicissim. Itaque nunc trimetris iambicis subiunxit dimetros Epod. I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X.; nunc hexametro dactylico addidit dimetrum iambicum Epod. XIV. et XV., qui est versus pythius, vel etiam trimetrum iambicum, ut Epod. XVI., quod est metrum pythiambicum; praeterea etiam versum iambelegum et elegiambum asynartetum adhibuit, quorum ille ex dimetro iambico et dimidio pentametro constat, ut Epod. XIII., hic praecedentem habet dimidiatum pentametrum subsequente versu dimetro iambico, ut Epod. XI. Itaque facile intelligitur iamborum nomen his carminibus a maiore versuum parte inditum esse, quandoquidem habent etiam numeros dactylicos. Epodorum autem nomen certe non in ultimum libri carmen convenit, quod meris

1 v. Epod. 6, 13.

constat trimetris caretque plane versuum longiorum et breviorum inter se alternantium varietate. At enim vero hoc nomen propter maiorem carminum partem epodicis versibus compositum huic libro tributum est. Quamquam Horatius ipse eo nusquam usus esse reperitur, ut dubitari queat, num illud a grammaticis posteriore demum aetate Horatii poematis datum sit, quemadmodum critici etiam Archilochi iambis factum esse suspicati sunt. Sed hoc quidem utcunque sese habet, in antiquissimis codicibus pariter atque apud veteres grammaticos horum carminum corpus constanter ut liber *epodon* designatur.

Iam vero cum Epodis tam argumenti quam temporum rationibus arctissimam habent coniunctionem Horatii Satirae. Quamobrem sequitur, ut proxime de his explicandum sit.

Licebit vero de hoc poematum Horatianorum genere fere idem dicere, quod poeta de Epodis ultro professus est, esse illud ab Horatio revera novum ostensum Latio.[1] Etsi enim poesis satirica Romanis iam dudum nota fuerat studioseque inter eos celebrata, tamen ea ab Horatio demum ita emendata, exculta et ad artis perfectionem adducta est, ut is merito pro ipsius auctore et parente haberi queat; quamquam ipse pro modestia sua eam laudem detrectat, atque totam ad Ennium vel, ut alii censent, ad Lucilium translatam vult.[2] Etenim satira Romanorum nihil plane coniunctionis cum Graecorum carminibus satyricis habet, sed tota apud Romanos nata atque educata est;[3] quamquam postremo a Graecorum elegantia et venustate novas quasi vires assumsit. Quod quidem vel nomen eius declarat. Neque enim satirae nomen ductum est a Satyris Graecorum, quae olim communis fere doctorum hominum opinio[1] fuit; imo descendit illud a voc. *satur*, h. e. plenus, refertus; ut antiqua illius forma fuerit *satura*, unde littera *u* in *i* mutata factum est *satira*, quemadmodum ex *optumus*, *maxumus*, *exsul*, *famul*, *simul*, postea extiterunt *optimus*, *maximus*, *exsilium*, *familia*, *similis*, et quae alia id genus commemorari possunt.[2] Inde igitur primum dicta est *lanx satura*, h. e. variis frugibus fructibusque referta, qua frugum primitiae diis offerebantur (*eine Fruchtschüssel*), cuiusmodi lancium etiam Virgilius Georgic. II. 194. 394. al. mentionem facit. conf. etiam Diomedes p. 483. ed. Putsch. et Schol. Acron. ad Horat. Sat. 1. 1. Eodem *saturae* nomine insignitum est etiam genus quoddam farciminis ex uva passa, polenta, aliis rebus, confectum, de quo v. Festus sub v. et Diomedes; quin etiam alia esculenta varie mixta et composita ita appellata sunt, ut testatur Festus l. c. Nimirum procedente tempore denique *saturae* nomine insigniri omnino consuevit quidquid esset varie compositum atque miscellaneum, quod nostrates vocant *ein Allerlei*, *ein Quodlibet*. Tum vero usus loquendi etiam ita tulit, ut idem vocabulum ad eas quoque res traduceretur, quae menti et ingenio debentur, siquidem illas promiscuas esse neque certo ordine digestas significaretur. Ita *leges saturae vel per saturam latae* appellatae sunt, quae plura continerent capita inter se confusa ac varia argumenta nullo servato ordine nullaque facta singularum rerum distinctione com-

1 De Satirae Romanae origine et progressu v. Casaubonus lib. mox laud.; Manso: *Nachträge z. Sulzers Theorie d. schön. Künste* T. IV. p. 409 sqq. König: *Prolegg. ad Pers.* edit. Ruperti: *Prolegg. ad Iuvenal. Vol. I.* p. LXXXXV sqq.

2 v. Sat. I. 10, 66. qui locus ab interpretibus varie explicatus est.

3 Quintil. X. I, 93. *Satira quidem tota nostra est.* Satiram Romanam qui a Graecorum Satyris vel Satyricis fabulis originem et nomen traxisse censuerunt, Iul. Caes. Scaliger, Dan. Heinsius, Vulpius, alii, il non modo diserto Quintiliani testimonio adversati sunt, sed etiam ipsi Horatio repugnarunt.

1 Eam opinionem nuper quoque defenderunt Guil. Langius Programm. a. 1836. Halis Sax. p. 6 sq. et Wiss. Quaestion. Horat. Part. V. a. 1835.

2 v. Is. Casaubonus De poesi satirica Lib. I. Cap. IV. et Lib. II. IV. p. 246. ed. Rambach. et Mahne in Wyttenbachii Opuscul. Select. ed. Friedemann. Vol. I. p. 338 sq.

plecterentur, de quo v. Festus Lib. XVII. Isid. Lib. V. Etymol. Ita etiam, Festo auctore, dixerunt *imperium per saturam dare; sententiam per saturam exquirere vel abrogare et derogare:* de quibus dictionibus consulas etiam Diomed. III. c. 6. Erasmi Adagg. Chil. IV. Cent. 8. Atque hinc etiam explicationem habet, quod Pescennius Festus narratur *historias per saturam* scripsisse, quales historias nunc potius varias appellaremus.[1] Quum autem usus nominis isto modo pateret latissime, tum etiam sic evenit, ut illud iam antiquitus attribueretur subitaneis dicteriis atque iocis, quae ab antiquis Italiae incolis rudi versu Saturnio proterve ac promiscue iaciebantur atque alternatim cum cavillatione profundebantur sic, ut multa iocose ac dicaciter miscerentur.[2] Qui usus vocabuli fere idem est atque Gallici *farçe*. Atque videtur nobis haec utique fuisse primaria saturae apud Romanos species atque forma, quae tamen temporum decursu varias deinceps subiit mutationes, usque dum tandem in peculiare carminis genus redigeretur, quod ab istis initiis profectum ne postero quidem tempore primitivae originis suae notas ac proprietates plane deposuit. Exorta autem ab antiqua illa satura primum est *satura scenica*, unde *fabulae scenicae* videntur extitisse. Qua in re perquam memorabilis est locus Livii VII. 2. Is enim ibi narrat saeviente a. u. 391. Coss. C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone gravi pestilentia quum ad iram deorum placandam solemnes ludos edere visum esset, ludiones Etruscos fuisse arcessitos. Qui quum inter ludos omni cantu et verborum pronuntiatione abstinuissent nihilque nisi saltationes ad modos tibicinis edidissent, iuventutem Romanam id deinde ita imitatam esse, ut descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti impletas modis (sc. musicis) *satiras peragerent.* Itaque tum exorta est, ut diximus, satira dramatica. Eam vero sequuta est fabularum scenicarum compositio, quarum auctor primus apud Romanos fuit Livius Andronicus, homo et Graecus natione et Graecis litteris excultus, a M. Livio Salinatore, cuius liberos erudiebat, manumissus. Is enim teste Livio VII. 2. *post aliquot annos ab satiris ausus est primus argumento fabulam serere.*[1] Itaque hic poesis scenicae, comoediae et tragoediae, apud Romanos auctor extitit, quae ab initio effecit, ut satira fere refrigesceret. Mox enim in locum satirae successerunt *exodia*, illi longe simillima, sicuti clarissime testatur Livius VII. 2.: „*Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocabatur, et ludus paullatim in artem verterat, iuventus, histrionibus fabellarum actu relicto, ipsa inter se more antiquo ridicula intertexta versibus iactitare coepit, quae inde exodia postea appellata consertaque* (i. e. subiuncta, coniuncta) *fabellis potissimum Atellanis sunt.*[2] Itaque in fine ludorum *exodia* locum habebant; unde ipsa etiam τῶν ἐξοδίων nomen acceperunt, utpote exitum quasi fabularum efficientia. Sed quum haec exodia antiquae saturae memoriam servassent perpetuo, tum non ita multo post Livii Andronici aetatem etiam exorti sunt, qui illam etiam alio modo tuerentur et ad posteritatem propagarent. Extiterunt enim qui saturae etiam tunc rudioris adhuc

1 Diligentissime haec omnia exposuit Casaubonus De Roman. Satir. Lib. II. Cap. IV. p. 249 sqq. ed. Rambach. ubi p. 253 sq. consulas etiam annot. Crenii. Firmavit illius sententiam et adversus Daniel. Heinsium De satyra Horat. ad calcem Horatii Lugdun. Bat. 1620. 8. editi doctissime defendit Ezech. Spanhemius Praefat. ad secundam editionem Caesarum Iuliani a se Gallice translatorum. Parisiis 1683. 4. mai.

2 Priscos enim Italiae incolas pariter atque Graecos festis diebus, praecipue post messem et vindemiam celebratis, valde delectatos esse ludibriis, iocis, petulantibus versibus ex tempore fusis, ac sese invicem facetis probrosisque dicteriis lacessivisse, apparet ex Horat. Ep. II. 1, 139—150. et Virgil. Georg. II. 385—389.

1 v. etiam Dionys. Hal. Antiquitt. VII. 9. Valer. Max. II. 4, 4.

2 De his quoque docte exposuit Casaubon. l. c. Lib. II. Cap. I. p. 175 sqq. ed. Ramb.

materiam tractare inciperent artificiosius et ad eius similitudinem poemata componerent non actioni coniuncta, sed uni lectioni destinata. Quod quidem opus primus aggressus est Ennius, quem ferunt complures libros Satirarum litteris consignavisse. Quem mox aemulatus est etiam Pacuvius, Ennii ex sorore nepos. De his vero Diomedes:[1] „*Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius.*“ Nimirum servavit Ennius sane antiquae satirae veluti speciem quandam et imaginem, quando quidem, sicuti ex veteribus testimoniis intelligitur,[2] in satiris suis varia argumenta, moralia, apologos, diverbia, tractavit, vario etiam metro ac sermone adhibito, ut poesis ipsius tam materiae quam formae habita ratione plane esset miscellanea.[3] Hinc vero postea duplex natum est satirae genus, Lucilianum alterum, alterum Varronianum. Quorum quidem hoc, quamvis tempore posterius, tamen quoniam cum Enniano natura sua fuit cognatius, prius considerasse iuvabit. Etenim pressius sane, quam fecit Lucilius, Ennii vestigia legit M. ille Terentius Varro, nat. circ. 638. p. u. c., quem vulgo doctissimum Romanorum ferunt, quique non confundendus est cum P. Terentio Varrone Atacino ab Horatio[4] castigato. Is enim in opere satirarum amplissimo prosam orationem cum varii metri carminibus commiscuit adeoque multa ex philosophia et philologia, quae immensam arguerent doctrinae amplitudinem, ad rem suam adhibuit, Graecis etiam cum Latinis varie mixtis et compositis, hac quidem moderatione, ut etiam ridendi iocandique hilaritate uteretur, quae vel doctos homines posset ad legendum invitare, sicut ipse profitetur apud Ciceronem Academ. I. 2, 3. coll. Quintil. X. 1, 95. In quo quidem sese Menippum Cynicum imitari professus est, quem constat epistolis suis atque dialogis versus Homeri ad alium sensum eumque fere ridiculum et iocosum traductos inserendo satirae Menippeae auctorem extitisse.[1] Atque hanc satiram Menippeam[2] etiam posteris temporibus extiterunt qui studiosius colerent atque imitando effingerent. Eiusdem enim generis est lusus L. Annaei Senecae in Claudium Caesarem, cui nomen fecit *apocolocynthosin*, in quo et versus insunt prosae orationi interpositi et Graeca Latinis mixta reperiuntur et frequenter extant parodiae ad ridiculum comparatae. Nec vero inde abludunt Petronii Satyrica, Iuliani *μισοπώγων* et Marciani Capellae Nuptiae Mercurii cum Philologia. Nam etsi postremum opus artium liberalium descriptionem continet gravem ac severam, tamen et initium eius et prosopopoeiae, quas habet, et tota ipsius forma atque species ad ridiculum comparata sunt. Sed satis haec pro consilio nostro de satira Varroniana eiusque propaginibus. Progredimur ad alterum satirae Romanae genus, quod post Ennium exortum est. Hoc vero genus et invenit et excoluit C. Lucilius,[3] eques Romanus, natus Suessae, oppido Auruncorum a. u. 606. s. ante Chr. n. 148. mortuus Neapoli a. u. 651. s. ante Chr. n. 103., vir clarissimus, quandoquidem et magnus avunculus fuit

1 Lib. III. col. 483.

2 De his v. Casaubon. l. c. p. 191 sqq. ed. Rambach.

3 v. Quintil. IX. 2, 36. Gell. N. A. II. 20. Hor. Sat. I. 10, 65. ubi vocatur *rudis Graecis intacti carminis auctor*.

4 Sat. I. 10, 46 sqq.

1 v. Cicer. Academ. I. 2, 3. Gell. N. A. II. 18.

2 Supersunt hodie quoque tituli satirarum Menippearum a Varrone scriptarum, quos collegit Fabricius Bibl. Lat. Lib. IV. Cap. I. conf. Francisc. Oehler: M. Terent. Varron. Satt. Menippearum reliquiae. Lips. 1844.

3 De Lucilio praeter alios conf. I. A. C. van Heusde: Studia critica in Lucilium poetam. Traiect. ad Rhen. 1842. 8. mai. et eiusdem Epistola ad Car. Frid. Hermannum de Lucilio. Traiect. ad Rhen. 1844. 8. A. Petermann. Diss. de Caii Lucilii vita et carminibus. Vratisl. 1842. 8. Fragmenta carminum eius post Havercampum ad Censorinum (a. 1767. 4.) collecta nuper denuo edidit, auxit, emendavit Fr. Dor. Gerlach. Turic. 1846. 8. mai. Alia etiam alii nuper de eo scripserunt.

Cn. Pompeii[1] et familiaritate usus est P. Corn. Scipionis Aemiliani, Laelii, aliorum primorum civitatis.[2] Fuit is homo doctus, acutus, facetus et urbanus, ut ab ipsa natura ad satirarum scriptionem factus fuisse videatur. Nec vero ille parum in hoc poesis genere profecit. Nam etsi Ennio in eo fuit similis, quod antiquae saturae indolem usque ob oculos habuit, adeoque teste Horatio[3] fines eius tam late patere voluit, ut ipsius scripta tamquam omnis vitae suae imaginem referrent atque item Graeca Latinis mixta[4] complecterentur; tamen sine dubio satiram ad singularis perfectionis laudem excoluit atque inertem prope antea artis virtute conspicuam reddidit. Quamobrem huius inprimis exemplum Horatius sibi ad imitandum proposuit, sicuti ipse identidem profitetur.[5] Nimirum primum quidem miscellaneam illam Ennii scriptionem ac prope confusam ita videtur temperavisse, ut, quamvis poesis ipsius in latissimum campum exspatiaretur, tamen singula rerum argumenta singulosque locos seorsum explicaret, non amplius mixtis temere et confusis rebus ac sermonibus maxime variis ac diversis; unde etiam singuli eius libri singulis inscriptionibus ornati[6] et ad artis rationem accuratius comparati fuisse videntur. Deinde etiam Graecae spiritum Camoenae satiris suis inhalavit, quandoquidem veteris comoediae Atticae auctores, Eupolin, Cratinum, Aristophanem, alios, in notandis hominum vitiis ita sequutus est, ut mutatis tantum pedibus numerisque hoc in genere idem plane, quod illi tentavissent, expertus videatur; de qua re audiendus inprimis Horatius est Sat. I. 4. init. Porro ille etiam id egit, ut veteris comoediae more singulos corriperet homines vel morum turpitudine vel ingenii perversitate insignes, ut ne primoribus quidem civitatis parceret,[1] quin etiam populum tributim perfricaret.[2] Denique non modo ingeniosissimus fuit in animadvertendis hominum vitiis et perversitatibus, verum etiam comis, urbanus, lepidus, acutus et acer in illis depingendis et exagitandis, id quod ipse Horatius non uno loco[3] ingenue laudat. Quamobrem hic eum etiam unum sibi maxime ducem et magistrum in scribendis satiris extitisse aperte profitetur.[4] At enimvero etsi Lucilius tantis virtutibus insignis fuit, ut Quintiliano teste[5] etiam postera aetate non paucos admiratores habuerit; tamen Horatius certe in eo multa item desideravit, quae ad perfectae artis laudem necessario requirerentur. Nam primum quidem in eo reprehendit prolixam copiam et abundantiam, qua non habito idoneo rerum ac sententiarum delectu, quidquid ipsi in mentem venisset, continuo etiam in chartas coniecerit et in publicum emiserit. Quo nomine eum comparat torrenti alicui lutulente profluenti[6] reprehenditque inprimis hoc, quod de brevitate et elegantia unice securus lituram metuerit atque *piger* fuerit *scribendi ferre laborem.*[7] Deinde in eo notavit etiam hoc, quod sermones suos non satis temperaverit ea varietate, ut modo haberent gravitatem et sublimitatem, qua severiores animi affectus moverentur, modo referrent festivitatem, urbanitatem atque suavitatem, quae ad delectandum ridendumque valeret, quippe quum ille omnino iusto maledicentior et dicacior extiterit.[8] Porro etiam illud improbat, quod Graeca Lati-

1 Vell. Pat. II. 29. Schol. ad Hor. Sat. II. 1, 75.
2 Hor. Sat. II. 1, 71 sqq.
3 Sat. II. 1, 30 sqq.
4 Hor. Sat. I, 10, 20.
5 ut Sat. II. 1, 28 sqq. II. 1, 75. II. 1, 63. I. 10, 48.
6 v. Rutgers. Lectt. Venus. Cap. XV. Ersch in d. Zeitschr. f. Alterth. Wiss. a. 1837. p. 1047. et a. 1839. p. 403 sqq. I. Becker ibid. a. 1843. p. 246 sqq.

1 Hor. Sat. I. 4. in. II. 1, 62 sqq.
2 Sat. II. 1, 70. Pers. I. 114. Iuven. I. 165.
3 Sat. I. 4. et 10. 64. II. 1, 75.
4 Sat. II. 1, 28 sqq.
5 Inst X. 1, 93. coll. Dialog. De Oratt. 23.
6 Sat. I. 4, 11. et I. 10, 50.
7 Sat. I. 4, 9 sqq.
8 Sat. I. 10, 11 sqq.

nis miscuerit, quod censet esse ineptissimum.[1] Denique etiam numeros Lucilii ut duriores et horridiores notavit, unde ipsum vocat *durum componere versus*, numeros autem eius arbitratur *incomposito pede currere*.[2] Haec igitur sunt fere, quae Horatius in satiris Lucilii reprehendenda esse iudicavit. Quod quidem iudicium etsi nec aequalibus Horatii, utpote veterum poetarum amore captis, satis probatum est,[3] neque Quintiliani aetate placuit omnibus,[4] tamen quibus caussis et rationibus nitatur, facile intelligitur. Desideravit enim Horatius in Lucilio eam elegantiam et venustatem, quam postulare videretur praesentis aetatis humanitas Graecarum litterarum studio facta politior.[5] Nam quod dudum in eloquentia factum erat, ut cascae antiquitatis incultus cultus aliquando auferretur et elegantior orationis forma ad Graecorum exemplum emendata usurparetur, quod primus tentasse videtur M. Aemilius Lepidus, cognomine Porcina, Cos. a. u. c. 617. (v. Cicer. Brut. c. 25. et Ellendt. Prolegg. in Cicer. Brut. p. XXXIII sq.); idem tum in poesi audaci sane conatu primum experti esse videntur As. Pollio, Varius, Virgilius et Horatius, quos mox alii sequuti sunt; sicuti probabiliter disputavit Weichert. Poetar. Lat. Rell. p. 327 sq. Quamobrem quod opus ille egregie inchoavisset, idem ipse ulterius profligandum statuit. Atque hoc ipsum si ei in satirarum scriptione arbitramur maxime fuisse propositum, nihil sane statuere videmur, quod ab ipsa rerum veritate abhorreat. Vere enim contendere licebit, Horatium in his poematis scribendis summa quaeque spectavisse atque felici ingenii nisu consequutum esse. Ex quo item clarum fit ac perspicuum, cur brevissimo temporis spatio maximam facultatis poeticae laudem sibi comparaverit. De qua re tanto magis iuvabit breviter exposuisse, quod ita etiam satirae Horatianae praestantia clarius perspicietur.

Itaque primum quidem poeta Venusinus omnino illud diligentius exploratum habuit, quorsum satirae munus et officium referri oporteret. Nam quum olim fines illius, prouti antiquae saturae natura et indoles ferebat, plane incerti vagati essent, tum Horatius primus extitit, qui illos ita regundos esse sibi persuaderet, ut omnis eius vis inprimis in describendis hominum vitiis et perversitatibus expromeretur. Itaque materiae amplitudinem et varietatem, quam olim satira complexa erat, prudenter temperavit et ad certam quandam universi ridiculi formam ac speciem restrinxit, quod sane a superioribus satirarum scriptoribus neglectum fuerat. Sed hoc quum ad satiricae scriptionis rationem prudenter moderandam longe fuerit gravissimum, tum etiam aliud quid accessit, quod ad artis laudem certe non minus valuit. Nam quum iam Lucilius variam ridendi iocandique materiam quodammodo discrevisset et ad certos quosdam locos revocavisset, tum Horatius sapientissime ita instituit, ut singulae satirae suae in singulis argumentis illustrandis versarentur. Quo uno maxime hoc consequutus est, ut singula haec poemata in se ipsis essent perfecta atque singula artis opera existerent. Atque cum hoc artificio etiam tertium quiddam cohaeret, quod poeta facile pervidit ad artis poeticae laudem vel maxime esse necessarium. Sedulo enim etiam illud curavit, ut unicuique eclogae vel sermoni principalis aliqua sententia vel idea tamquam fundamenti loco subiecta esset, ad quam unam denique omnia atque singula referrentur quaque id efficeretur, ut quamvis liberrimus esset sermonis instituti cursus maximaque ipsius varietas, tamen nihil temere positum, nihil inepte intrusum, nihil denique inconsiderate adiectum videretur, sed omnia essent sollertissime ad unum quasi corpus

1 Sat. I. 10, 20 sqq.
2 Sat. I. 10. in. et I. 4, 8.
3 v. Sat. I. 10. Epist. II. 1. 1—100.
4 v. Quint. l. c.
5 v. Epist. II. 1, 18 sqq.

efficiendum inter se coniuncta. Etenim legerat Horatius praestantissima Graecorum opera, in quibus eadem ars expressa cernitur; cognoverat inprimis Platonis sermones, in quibus in summa rerum varietate atque copia tamen constanter haec lex observatur, ut denique omnia atque singula ad unum aliquem finem dialogo propositum egregie conveniant eaque ratione admirabilis singularum partium convenientia ac totius operis unitas efficiatur, quae ad unumquodque artis opus nomine suo dignum necessario requiritur. Horum igitur exemplum sibi hac in re perpetuo intuendum diligenterque imitandum esse iudicavit, siquidem satiris suis verae laudis poeticae virtutem parare vellet; cuius operis conatus sine dubio ipsi felicissime cessisse existimandus est. Verum satis haec de satirarum tamquam materia atque sylva, in qua deligenda, congerenda et ordinanda poeta sane ita versatus est, ut his carminibus suis singularem quandam artis gratiam et commendationem conciliaverit. Sequitur, ut etiam dicendum sit de illarum forma atque compositione. Eam vero poeta item prudentissime delegit talem, qualis aetatis suae eruditioni, doctrinae, humanitati, denique elegantiae e Graecis fontibus ductae optime convenire videretur. Quo nomine primum mentione dignum illud est, quod omnem sermonum colorem atque habitum sollertissime ad illam veluti attemperavit. Satirae enim munus quum facile videret duplici potissimum via et ratione expleri posse, ut vitia et errores hominum aut acerbius notarentur atque petulantius exagitarentur, aut imagine eorum ob oculos posita lenius traducerentur urbaneque riderentur; noluit hac in parte imitari Lucilium, qui scripsisset mordacius et inclementius in aequalium vitia et errores invectus esset. Imo rem multo gessit elegantius et urbanius. Noluit enim quemquam ulro lacessere, sicuti ipse quum alibi tum inprimis Sat. II. 1, 39. professus est his usus verbis: *Sed hic stilus haud petet ultro quemquam animantem, et me veluti custodiet ensis vagina tectus; quem cur destringere coner tutus ab infestis latronibus? O pater et rex Iuppiter, ut pereat positum robigine telum, nec quisquam noceat cupido mihi pacis!* Quibuscum contendas illa Sat. I. 4, 78 sqq. Itaque non desaevit obiurgando, non maledicit, non vulnerat; sed utitur fere urbanitate ingenuo homine digna eaque cum admirabili lepore et acumine consociata. Quocirca pungit quidem eos, qui mentis medicina indigeant, adhibitis etiam salibus atque nasturtio, sed non stricto gladio insectatur; ludens veritatem profert, quemadmodum ipse sese profitetur *ridendo dicere verum*, nec vero debacchatur in vitia, sicuti facere solent austeri ac superciliosi morum magistri; leniter admonet, lepide cavillatur, urbane iocatur, etiam suos ipsius naevos subinde perquam ingenue tangens, non amarulentae dicacitatis virus evomit aut maligne iacit convicia; denique ubique loquitur cum illa urbanitate et ironia Socratica, qualem in Platonis dialogis expressam cernimus, ut prope inter legendum audire videamur benevolum aliquem monitorem lepide iocoseque cum aliis confabulantem iisque cum cavillatione quadam salutaria suppeditantem vitae bene prudenterque agendae vel iudicandae consilia. Quocirca ita fit, ut satirae eius paucissimis locis exceptis nihil fellis amarioris, nihil petulantis mordacitatis habere, ac nonnullae etiam, ut iter Brundisinum, sale satirico propemodum carere et ridiculum potius quam irrisionem referre videantur. Ex quibus omnibus facile intelligitur, quam dissimilis hoc nomine Horatius sit Iuvenali et Persio, qui quum ob vitia hominum fere acerbius stomachentur acriusque excandescant, tum etiam nescio quam austeritatem prae se ferunt, qua passim vel inviti ad tumidum atque grande orationis genus

deferuntur ab hilaritate et suavi urbanitate utique alienius. Enimvero prudentissime Horatius dum temporibus inserviit, quae priscam illam oris libertatem, qua adhuc usus erat Lucilius, non amplius ferebant, ita sibi versandum esse statuit, ut vitia tantummodo depingeret, perversitates describeret, errores notaret et imagine proposita veluti repraesentaret, non eadem etiam acerbius exagitaret et acrius insectaretur. Qua ratione una eademque opera et vitia hominum propter ipsam eorum naturam ridicula esse ostendit et vitae communis quasi descriptiones quasdam et imagines exhibuit, unde qua vitiorum labe aetas infecta esset et contaminata, sponte ab legentibus intelligeretur. Quum vero ex his satis appareat, quid Horatius hac in re spectaverit, quamque sapienter in temperando universo dicendi docendique genere versatus sit, tum iuvabit etiam paucis consideravisse, quomodo omnem satirarum sermonem instituerit et moderatus sit. Quo quidem in genere item plane admirabilis ipsius prudentia ac sollertia conspicua est. Etenim vetusta satira quum usa esset sermocinatione et magnam partem diverbiis constitisset, quumque etiam Lucilius, cuius vestigia legit, priscae comoediae auctores mutatis tantum pedibus numerisque sequutus esset;[1] ipse quoque satiras suas ita composuit, ut *sermonibus* essent quam simillimae.[2] Nimirum isto modo prudentissime et speciem aliquam veteris satirae servavit, et eam dicendi formam delegit, quae suo ipsius consilio esset convenientissima, et vero etiam talem effinxit orationem, quae cum poesis didacticae indole ac natura egregie concordaret. Quod quam magnum quamque difficile opus fuerit, et quanta laude dignum, vix est quod explicatius demonstremus. Sed maior etiam ac laudabilior res videbitur, ubi quo artificio poeta in ea perficienda usus sit diligentius perpenderimus. Finxit enim in satiris suis sermonem eum, qui vitae quotidianae sermoni videretur simillimus, ita ut ipse eum dictitet a prosa oratione numeris tantum differre, his autem sublatis protenus evadere pedestrem. Quamobrem sese urbane negat poetae laudem nomenque affectare, quippe quum nihil celsius ac sublimius scripserit. Quorsum pertinet inprimis Sat. II. 4, 39 sqq., qui locus sanequam est memorabilis, ut ex quo luculentissime intelligatur, poetam quo tempore ista scripserit, scripsit autem sine dubio intra an. 719. et 720., nondum alio poesis genere inclaruisse, sed unis maxime satiris et epodis scribendis operam impendisse. Verum enim vero licet hoc ita instituerit, tamen magnopere cavendum est, ne eum revera pedestri sermone numeris ligato usum esse existimemus. Tantum abest enim, ut satirarum sermo poeticis virtutibus careat, ut iisdem vel maxime splendeat, quippe qui didacticae poesis rationibus sollertissime sit attemperatus atque medium quasi tenear inter orationem pedestribus sermonibus propriam et genus dicendi sublime, quale aliis poesis convenit. Itaque simulat ille quidem vulgaris orationis tenuitatem et vero etiam callidissimo artificio exprimit, sed tamen exprimit sic, ut ea in re etiam perfecti artificis ingenium eluceat, qui dictionem plane suo scribendi consilio accommodaverit. Atque hoc ipsum etiam ita iudicari oportet tam de singulorum verborum elocutione, quam de numerorum et versuum rationibus. Nam elocutio nusquam est humilis, nusquam abiecta, nusquam vitae quotidianae sordibus inquinata; imo vel tum est casta, tersa, elegans, quum res foedae et turpes designantur; quin etiam cum mira facilitate nervosam quandam brevitatem et gravitatem coniunctam habet atque refert adeo cultum quendam et ornatum ex Graecae

1 v. Hor. Sat. I. 4, 1 sqq. et 45 sqq.
2 Id quod ipse professus est Sat. I. 4, 42. Epist. II. 1, 250.

linguae fontibus eleganter traductum. Numeri autem quum videantur solutiores atque negligentiores, quandoquidem cum versu hexametro Virgilii, Ovidii, aliorum, ad laudem concinnitatis et elegantiae haudquaquam comparandi sunt, tamen ista ipsa negligentia, quae primo adspectu videtur, neutiquam est fortuita, sed studiose quaesita sollerterque usurpata. Id quod vel ex eo colligi licet, quod poeta Lucilium, quamvis is et ipse hexametris passim versibus usus esset, tamen identidem propter numerorum duritiem et asperitatem graviter reprehendit.[1] Nimirum probe perspexerat Horatius, versum hexametrum, qui haberet maiorem quandam gravitatem, pro suo scribendi consilio ad eam facilitatem temperandum esse, quae ludentis quasi speciem referret familiari sermocinationi aptam, sed ita esse temperandum, ut in maxima, quam habere videretur, inertia tamen sollerter artique convenienter esset compositus. Quamobrem versibus suis sane maiorem concessit libertatem, ut quum in exitu eorum vocabula monosyllaba admisit, aut pronomina et coniunctionum vincula posuit, quae ad versum insequentem pertinent; quum elisionibus usus est et crebrioribus et insolentioribus; quum pedes delegit tardius incedentes, ut spondeum, lactylici hexametri sono neglecto; quum caesuras licentius variavit; quum denique numerorum colorumque inusitatam quandam inaequalitatem adhibuit. Nimirum ista omnia sermonum ratio vitae communis sermocinationi propior postulare, imo etiam flagitare visa est; sed vitavit omnino temerariam negligentiam; vitavit turpem horridamque asperitatem, vitavit denique, quidquid ea aetate hominibus politioribus rum et incompositum videri posset, ut, quamvis ipse primo adpectu elegantiae minus curiosus fuisse existimetur, tamen optimo iure Lucilii in condendis versibus incuriam reprehendere et castigare potuerit.[1]

Sed quum ex his omnibus perspicue intelligatur, quantum elegantiae poeta satirarum suarum formae et compositioni conciliare studuerit, quandoquidem argumento, quod tractandum sumsit, et sermonum formam adhibuit, et urbanitatem Socraticam admovit, et dicendi genus medium inter vulgarem et sublimiorem dictionem attemperavit et verborum elocutionem atque versuum numeros illi prudenter adaptavit; tum divina quadam ingenii sollertia, qua excelluit, inprimis animadvertenda est in via et ratione, qua res, quas tractandas suscepit, disputatione persequutus est. Sunt enim satirae ipsius hoc quoque nomine revera sermones ad ipsius vitae similitudinem quam diligentissime expressi. Nam quod in sermocinando fieri assolet, ut oratio liberiore cursu repente huc et illuc feratur; ut improviso saepe ab alia re ad aliam transeat; ut nullo fine proposito alia attingat leviter, alia uberius persequatur; dexterrime Horatius hunc quotidiani sermonis morem in satiris suis imitatus est. Quod quidem tanto fecit speciosius, quod passim utitur etiam diverbiis, apologis, parodiis, aliis orationis conversionibus, quae vitae communis usui et consuetudini conveniunt. Nimirum ista ratione callidissime etiam hoc in genere priscae satirae, qualem supra adumbravimus, conservavit vestigia, ut, quo iure haec poemata sua satirarum nomine insignire potuerit, quemadmodum fecit Satir. II. 1. 1. et Sat. II. 6. 17. nullo negotio intelligatur. At enim vero multum profecto fallatur, si quis hanc vitae communis imitationem arte carere existimet. Imo habet ea multo plus

1 ut Sat. I. 4, 8. I. 10, in. ubi illius versus *compositio pede currere* arbitratur; ibid. 56 sqq.

1 De numeris satirarum Horatii subtiliter exposuerunt *Morgenstern*. De Satirae atque Epistolae Horat. discrimine p. 30 sqq. et *Kirchner*. Praef. ad Horat. Satir. Vol. I. p. XLV sqq., cuius operis alteram partem maximo desiderio exspectamus.

in recessu, quam prima fronte promittit, estque hoc quoque in genere sermonis Horatiani eadem plane ratio, quae dialogorum Platonis. Nam dum disputatio liberrimo cursu huc et illuc vagatur et admirabili facilitate in varias labitur partes, ut sanequam difficillimum sit singularum deinceps sententiarum iuncturam et connexionem animadvertere, fieri sane non potest, quin inter legendum subinde in eam inducaris sententiam, ut nihil aliud agi existimes, nisi hoc unum, ut res in disceptationem vocatae varie perpendantur et otii quasi fallendi gratia in varias partes versentur nullo servato ordine nulloque certo proposito, quum interim res longe aliter sese habeat. Etenim habent sane satirae Horatianae, ut iam antea diximus, hoc sibi proprium, quod omnibus fere atque singulis una aliqua eaque principalis subiecta sententia est, ad quam denique omnia, de quibus disseritur, tamquam solis radii ad centrum suum referuntur, ideoque etiam sollerti opera ita sunt compositae, ut, licet sermo in iis vago incertoque itinere oberrare videatur, tamen omnis disputatio denique ad unum aliquem finem dirigatur. Atque haec quum ita sese habeant, propemodum sponte intelligitur, cur poeta ipse eas non modo *sermoni* propiores iudicaverit,[1] sed etiam *sermonum* nomine insignire non dubitaverit. Nam omnino quidem *sermonum* nomen negari non potest ipsum Horatium in Satiras suas pariter atque in Epistolas optime convenire iudicavisse; conf. Sat. I. 4, 42 sqq. Epist. I. 4 in. II. 1, 250. II. 2, 60. Itaque verissime iudicasse videntur, qui Epistolarum atque Satirarum universo corpori *Sermonum* nomen impertiendum esse censuerunt. Etenim ita *Satirae* et *Epistolae* vocantur, sicubi alterae ab alteris discernuntur, quum commune utrarumque nomen *sermonum* sit. Quamquam fuerunt qui aliter hac de re existimarent ac *sermonum* nomen Satiris tantum tributum vellent, Epistolis eriperent, veluti Schol. vett. ad init. Sat. I. 1. „*Quamvis hoc opus*, inquiunt, *Satyrum* (satirarum?) *esse Horatius ipse profitetur, quum ait: Sunt quibus in satira videar nimis acer et ultra legem tendere opus; tamen proprios titulos voluit ei accommodari, primos libros Sermonum, posteriores Epistolarum scribens.*“ Vix tamen credibile est ipsum Horatium hos titulos isto modo posuisse, quem certe constat etiam Epistolis suis sermonum nomen non ademtum voluisse. Quod autem satirae in vett. codd. etiam *Eclogarum* nomine insigniuntur, de quo v. Schol. Cruq. ad II. 1, 1., dubium est sane, quando huius appellationis usus exortus sit. Nam *eclogae* quum posteriore aetate omnino dicta sint singula poematia breviora e multis aliis delecta et in vulgus edita, videtur hoc nomen optimo iure etiam ad lyrica carmina et Epistolas Horatii transferri potuisse. Quin etiam revera ita factum esse constat. Nam Suetonius quidem in Vita Horatii p. 50. ed. Wolf. Epistolam ad Augustum eo nomine insignivit; Ausonius autem Idyll. 11. odam undevicesimam libri tertii Carminum eclogam vocat. Ex quo liquidum est, Ausonii aetate, hoc est saeculo post Chr. n. quarto, nondum eum loquendi usum obtinuisse, ut Satirae Horatii eximie Eclogae dicerentur. Quam ob rem sic videtur ea de re existimari oportere, ut *Eclogarum* nomen a grammaticis posterioris demum aetatis Satiris tributum esse putetur, propterea quod pars carminum Virgilianorum ita appellata erat.[1]

Verum satis haec sunto de Horatii Satiris. Quibus ita disputatis sponte patebit, opinor, cuius generis fuerint poemata, quibus Horatius inde ab eo tempore, quo primum animum ad poesin applicuit, inter populares suos inclaruerit. Illud unum adhuc demonstrandum videtur, quod su-

1 Sat. I. 4, 42 sqq.

1 v. Heynius Disquisit. de carmin. Bucol. p. 231. T. I. ed. 3.

pra posuimus, haec carmina omnia intra annos p. u. c. 713. et 725. vel 726. scripta et in publicam lucem emissa esse, ut veluti pro primitiis poesis Horatianae ducenda sint. De qua re post disquisitiones diligentissimas nuper a doctis hominibus susceptas[1] nobis licebit esse brevissimis.

Ac de Epodis quidem si quaeritur, res paucis absolvi potest. Certissimis enim conficitur argumentis, eos non post a. 725. in lucem publicam emissos esse. Etenim origines eorum deberi iuvenili poetae aetati ipsius testimonio constat, qui se *iambos*, h. e. epodos, iuvenem scripsisse identidem professus est. Nam Carm. I. 16, 24. *me quoque*, inquit, *pectoris tentavit in dulci iuventa fervor et in celeres misit iambos.* Epod. 14, 6 sqq.: *Deus, deus nam me vetat inceptos, olim promissum carmen, iambos ad umbilicum adducere.* Epist. I. 19, 23: *Parios ego primus iambos ostendi Latio* etc. Idem etiam constat e temporum vestigiis singulis epodis impressis. Nam carmen IV. in Menam Sext. Pompeii transfugam scriptum aperte est circa a. 718.; alia ad bella civilia tum imminentia spectant. Iam vero Epodorum carmina nullo modo evulgari potuerunt ante bellum Actiacum, quandoquidem primum scriptum est quo tempore Maecenas Octaviani comes ad pugnam Actiacam abire constituerat; nonum autem laetitiam declarat propter victoriam ab Octaviano Caesare contra Antonium et Cleopatram reportatam animo conceptam. Commissa autem pugna Actiaca est a. d. IV. Non. Septembr. a. p. u. c. 723. Ex quo consequens est, ut collectio Epodorum non ante annum 724. absoluta sit. Nec vero credibile est eam multo post id tempus esse confectam et publici iuris factam, quamquam ipsam praeter exspectationem paullisper esse procrastinatam ex Epod. 14, 6. intelligitur. Etenim alioquin his poematis fere propter certas quasdam temporum opportunitates scriptis utique gratia sua disperiisset. Quocirca aut a. 724. aut, quod tamen minus est verisimile, a. 725. collecta et in unum corpus coniuncta in publicum prodiisse videntur. Nam quod alii eorum editionem in tempora post a. u. 733. aut 746. insecuta reiecerunt, ut nuper fecerunt Kirchnerus et Walckenaerius, mirifice illi iudicio suo falsi sunt. Quippe offenderunt viri doctissimi in eo, quod Horat. Epod. XVII. 23. capillum suum ait Canidiae pharmacis iam album factum esse et iuventam sibi iam cum verecundo colore disperiisse, quod grandioris aetatis argumentum esse visum est. At enim vero is certe locus ad definiendum tempus editionis Epodorum nihil plane momenti facit. Apertum est enim Horatium ibi loqui ironice ideoque cum irrisione Canidiae id dicere, cuius ipse contrarium intelligi voluit.[1] Itaque nobis quidem unice probatur sententia Bentleii atque Frankii, qui editionem Epodorum ad annum 724. retulerunt, quamquam fieri potuit, ut ea ad insequentem annum procrastinaretur. In eo autem iuxta cum aliis magnam discessionem a Bentleio facimus, quod is omnes Epodos intra a. 723. et 724. scriptos censuit, quum poetam iam inde ab anno u. 713. in hoc scriptionis genere

1 Disputarunt enim de poematum Horatiarum temporibus post Massonum et Bentlen nuper plurimi: Car. Kirchnerus (Quaest. rr. Numburg. 1834. 4.), Car. Frankius (Fasti ratt. Berol. 1839. 8.), C. Passow (Horaz. istol. Leipz. 1833. 8.), G. F. Grotefend (in ch u. Grubers Encyclop. Sect. II. Bd. 10. 52 sqq. et in libello: Des Horatius schriftlerische Laufbahn. Hannov. 1849. 8.), G. S. iffel (Horaz, eine literaturhistor. Uebersicht. ing. 1843. 8. ubi suam sententiam p. 24. cis prodidit in aliis libris ab eo copiosius licatam), W. E. Weberus (Q. Horatius cus als Mensch u. Dichter. Ienae, 1844. 8.), Düntzerus (Kritik u. Erklärung der Hor. ichte. Brunsv. 1840—1844. 8.), Zumptius ef. ad Horat. Satir. ed. Heindorf. II.), od. Obbarius (Horat. Carm. Lyr. kritisch chtigt u. erklärt etc. Jen. 1848. 8. Praef. qq.), B. de Walckenaer (Histoire de la vie s poesies d'Horace. Paris, 1840. II. Vol.), hertus (De Vario et Cassio, Poetar. vett. . Rell. al.), ut alios taceamus, qui unie huius quaestionis singulos tantum attigerunt.

1 Id praeteriit etiam Frankium Fast. Horatt. p. 49.

elaboravisse nobis plane persuasum sit.

Sed nolumus ista nunc rimari subtilius. Praestat his missis continuo ad cognoscendum tempus natale satirarum accessisse. Hic vero statim ab initio profiteri nobis licebit, accedere nos eorum criticorum sententiae, qui poetam censuerunt satiras suas omnes intra annos 713. et 725. litteris consignavisse, quam sententiam confutato Bentleio, qui priorem librum annis 715—717., posteriorem intervallo trium ferme annorum interiecto annis 720—722. attribuit, acute defenderunt Sanadonus, Kirchnerus, Frankius, Walckenaerius, Weberus, suis quisque usi rationibus nec de omnibus ac singulis inter se consentientes. De qua re disputare fusius nunc non attinet; sufficiet significasse, nullam reperiri satiram, quam aut ante annum 713. aut post annum 725. scriptam esse certis argumentis demonstrari queat, neque ullo modo verisimile esse poetam in satirarum scriptione semel occupatum per longius temporis spatium a scribendo destitisse, licet quo tempore Damasippum composuit, hoc est satiram libri secundi tertiam exeunte anno 721. litteris consignatam, paullisper scribendi negotio vacavisse videatur. Nec vero dubium videtur, quin primum quidem singulae satirae seorsum in lucem publicam prodierint, postea autem in duos fasciculos sive libros collectae evulgatae sint, quorum priorem a. 720., posteriorem a. 725. confectum esse probabile est, sicuti alio loco ostendemus.

Apparet igitur, nomen Horatii primum inclaruisse Epodorum atque Satirarum scriptione. Quamquam neutiquam credibile est ipsum eo tempore poesin lyricam, qua postea excelluit, plane neglexisse. Cuius tamen sententiae argumentum neutiquam repeti potest ex Epod. 17. v. 39., ubi quod *mendax lyra* commemoratur, pertinet hoc sine dubio ad *iambos* sive epodos, quos et ipsos ad lyricum poesis genus revocatos esse vel ex eo intelligitur, quod etiam Archilochi iambos in Graecia ad lyram cantatos esse certis constat veterum scriptorum testimoniis, de quibus exposuit A. Boeckhius De Metris Pindari p. 203. Nec vero quo tempore scripsit quae Sat. I. 4, 39 sqq. leguntur, iam potuit lyricis carminibus celsioris spiritus ullo modo inclaruisse. Eximit enim se ibi numero poetarum, ut novimus, quibus sit ingenium et mens divinior, fateturque se scribere tantum sermoni propiora, ut prope suspiceris eum tum, quum haec ita scripsit, ne Epodis quidem scribendis maiorem aliquam nominis claritudinem adeptum esse. Sed haec utcunque sese habent, certe per se minime est incredibile, id quod etiam Kirchnerus et Obbarius statuerunt, Horatium iam ante 724. etiam alia carmina lyrica praeter epodos tentavisse, licet certissimum sit, eum primum laudis poeticae curriculum ab Satirarum et Epodorum scriptione exorsum esse.

Sed posteaquam vidimus, quibus litterarum studiis Horatius vacaverit ex quo tempore post pugnam Philippensem in patriam redux factus erat et scribae munus in se susceperat, non inutile erit, opinor, etiam paucis dispexisse, quanam vitae externae conditione porro usque ad Octaviani principatum usus sit, quandoquidem inde non modo iudicium de tempore, quo singula ipsius poemata scripta sint, magnam partem suspenditur, verum etiam clarius intelligitur, qui factum sit, ut poeta eum studiorum et consiliorum suorum cursum tenuerit, quem ab eo servatum esse iam in superioribus animadvertimus. Itaque de his rebus priusquam ad tertiam vitae ipsius periodum, quam supra posuimus, transgrediamur, hoc loco exposuisse iuvabit.

Quod igitur speraverat Horatius, futurum esse, ut colenda poësi e vitae obscuritate, in qua abditus latebat, citius emergeret, id ei singulari fortunae faustitate brevissimo

temporis spatio obtigit. Dum enim versibus faciendis suam impendit operam, innotescit mox Luc. Vario et Virgilio, poetis tum in urbe principibus, qui apud partium Caesarianarum proceres iam dudum gratiam sibi collegissent, quandoquidem Varius carmine in C. Iulii Caesaris mortem,[1] Virgilius autem editis singulis quibusdam poematis bucolicis[2] in illorum benevolentiam et favorem se insinuaverant. Hi vero quum eius versus mirifice probavissent et ingenium ipsius novissent propius, faciendum putarunt, ut eum C. Cilnio Maecenati commendarent, homini quum apud Octavianum gratioso, tum eruditorum patrono ac fautori non mediocri.[3] De qua re ipse narrat loco celebratissimo Sat. I. 6, 54 sqq. Ea vero commendatio eventum habuit longe prosperrimum. Maecenas enim eum non modo inter interiores suos familiares et amicos recepit, sed etiam paullo post iis ornavit beneficiis, quae ad vitam secure tranquilleque degendam facerent plurimum. Donavit enim ei villam in Sabinis non procul a Tibure sitam, quo munere poeta, mediocri ille fortuna contentus,[4] sese tanto magis beatum praedicavit,[5] quo proclivior ipse natura sua ad vitam otiosam ac solitariam fuit quoque facilius ita poesi vacare potuit, cui se totum tradere constituisset. Quamobrem dehinc *vixit plurimum in secessu Sabini aut Tiburtini*,[6] ut ait scriptor vitae Suetonio adscriptae, vitavitque, maxime aetate provectior, quantum fieri posset, vitae urbanae turbas ac molestias, etiamsi amici ipsius inprimisque Maecenas optarent, ut saepius ac diutius secum in urbe commoraretur.[1] At nimirum verissime scripsit Ovidius, suam quemque trahere voluptatem. Quod iure etiam de Horatio ita dici potest, quem nihil magis oblectavit otio illo rustico, quo ipsi haec obtigerat fortuna, ut sibi atque poesi vivere liceret. De praedio isto si quaerimus, pulcherrimis illud coloribus depinxit ipse poeta Epist. I. 16, 5 sqq. coll. Carm. I. 17. Epist. I. 14, 3. I. 18, 104. 105. I. 10, 3. Sat. II. 6, 12. ex quibus locis haec fiunt perspicua. Situm in Sabinis erat, a Tibure (hodie *Tivoli*) Aquilonem versus aliquot[2] distans milliaribus, vicinum oppido Variae (hodie *Vico Varo*), ad Lucretilis, montis amoenissimi, qui hodie vocatur *Monte Gennaro*, partes septemtrionales, in convalle iucundissima, quam perfluebat Digentia (hod. *Licenza*) rivus e fonte Bandusio[3] oriundus et in Anienem sese effundens. Habebat illud silvas et nemora perquam amoena eratque etiam saxis, rupibus ac dumetis distinctum. Nec vero adeo parvum fuit et exiguum, quamvis non comparandum cum magnis divitum latifundiis. Quamobrem poëta vallem Sabinam suam opponit pauperum divitiis Carm. III. 1,

1 v. Voss. ad Virgil. Bucol. I. v. 1. 9. et 35.
2 Nam universam eorum collectionem anno emum 719. absolutam esse verisimile est, a qua re v. Iahn. Praef. ad Virgil. p. XIX. a lo dissentit Paldamus Praef. ad Virgil. p. IIII.
3 v. Sat. I. 6, 54 sqq. II. 6, 40 sqq. De Maenate consulas ex recentioribus: De Maecenatis vita, moribus et rebus gestis comment. ann. Henr. Meibom. Lugd. Bat. 1653. 4. et andsen: Cai. Ciln. Maecenas. Alton. 1843. conf. etiam Indic. s. v. *Maecenas*.
4 Epod. I. 31 sq. Od. II. 18, 12. III. 16, 38.
5 Sat. II. 6. in.
6 Ex his verbis perperam quidam concluunt duo possedisse Horatium praedia, id od vel ex Carm. II. 18, 14. refellitur. Recte a Rutgersius perspexit praedium Horatii in finiis agri Sabini et Tiburtini situm fuisse, Tibur quasi vicinum esset, licet longius dissitum. Unde poeta etiam Tiburis amoenitates toties praedicat, ut Carm. I. 7. coll. Epist. I. 7, 45. Carm. II. 6, 5. III. 4, 21. IV. 2, 30. IV. 3, 10. al. Nimirum videtur utique illuc saepius cum voluptate devertisse, praesertim quum Maecenas ibi villam possideret splendidissimam, cuius adhuc rudera supersunt. Rem nuper disceptavit Strodtmann. Horat. Lyr. Gedicht. p. 52 sqq.
1 v. Sat. II. 6. Ep. I. 7. Ep. I. 14, 16 sqq.
2 H. e. 3¼ milliaribus geograph.
3 Ita Schol. Cruq. ad Carm. III. 13. coll. Porphyr. ad Ep. I. 6, 13. Quamquam alii aliter, de quorum opinionibus v. *Strodtmann*: Horazens Lyrische Gedichte p. 59 sqq. Hodie fere fontem ad Venusiam situm intelligunt, qui nunc *Sambuco* appellatur. Quod vix credibile est. Nominavit ipse poeta fontem, unde Digentia profluebat, Bandusium vel Blandusium, ut Venusini fontis memoriam recentem servaret.

47. ac rura sua atque vectigalia parva vocat, Carm. II. 16, 37. III. 16, 39. se ipsum autem *pauperem* dicit Carm. II. 18, 10. al. Nihilominus autem sese identidem fatetur Sabino suo unice contentum esse neque plura sibi expetere. Nimirum videntur sane praedii reditus sufficisse ad vitam modeste ac frugaliter degendam, qualem vitam poeta non uno loco tamquam optimam ac beatissimam praedicat. v. Carm. II. 18, 12 sqq. III. 16, 29 sqq. I. 25, 34. III. 1, 47 sqq. al. Etenim toto anno occupati ibi erant octo servi, ut constat ex Sat. II. 7, 116 sqq. itemque villicus, rusticanis praefectus operis, ad quem scripta est Epistol. I. 14. Itaque rustica familia certe erat mediocris. Praeterea vero etiam ex Epist. I. 14. in. constat praedium olim habitatum quinque focis, priusquam agraria proscriptione ad Maecenatem perveniret, fructibus suis totidem aluisse familias. Ex his omnibus igitur nullo negotio intelligitur, fundum certe tantum fuisse, ut poeta eius reditibus vitam satis commode sustentare posset.[1] Atque hinc utique perquam probabile fit, quod supra posuimus, Horatium ex quo tempore praedio Sabino donatus fuerit, scriptum quaestorium olim sibi comparatum abdicavisse. Id quod eo credibilius est, quod ipsum constat ab eo inde tempore creberrime ruri esse commoratum, quod certe facere non potuisset, si etiam tum publico scribae munere functus esset. Nam publicum fuisse talium scribarum munus, paullo ante ostendimus. Quod si diligenter perpendissent, qui nuper contenderunt poetam, nescimus ad quam usque aetatem, scribae munus perpetuo obiisse, certe ipsis nonnihil scrupuli de hac opinione sua iniectum esset.[1] Et de tempore quidem, quo poeta villam Sabinam dono acceperit, iam in superioribus disputatum est, quo loco vidimus verisimiliter id intra a. 721. et 723. factum esse. Hic vero diligentius adhuc quaerendum videtur, quando a Vario et Virgilio Maecenati commendatus et quo tempore ad interiorem eius familiaritatem et amicitiam admissus sit. De qua quidem re ne plane incerti simus, illa faciunt, quae ipse Horatius narrat Sat. II. 6, 40 sqq. ubi haec scripsit: *Septimus octavo propior iam fugerit annus, ex quo Maecenas me coepit habere suorum in numero.* Est enim Satira illa sine dubio scripta a. u. 723. exeunte, sicuti luculentissime apparet ex verss. 39. 53. et 55. *Septimus* autem *annus octavo propior* quum alius esse non possit, quam qui iam vergit ad exitum, ut sit proximus octavi initio — perperam enim alii interpretantur annum octavum prope elapsum —; consequens est, ut Horatius primum Maecenati de meliore commendatus sit a. u. 716. Nec tamen Maecenas ipsum statim admisit ad interiorem familiaritatem, quippe in deligendis amicis omnino cautior (Sat. I. 9, 44.). Quod nemini cuiquam mirum accidet. Noverat enim ille Horatium Brutò duce adversus Octavianum pugnavisse; meminerat item eum sibi extitisse infestum, siquidem ipsum Sat. I. 2, 25 sqq. sub nomine Malthini designavisset. Quocirca paullisper cunctandum statuit, ac nono demum mense post iterum arcessitum in amicorum numero esse iussit. De quibus rebus poeta ipse suavissime exposuit Sat. I. 6, 56 sqq. Itaque arctior poetae necessitudo anno demum u. c. 717.

1 De villa Horatii, cuius situm primus iterum detexit *Heerkens*, Batavus, qui ipsam descripsit in *Notabil.* I. p. 29. v. *Capmartin de Chaupy* in libro: Decouverte de la maison de campagne d'Horace. Rom. 1768. 8. III. tomes. et *Dominici de Sanctis* in Dissertazione sopra la villa di Orazio Flacco. in Rom. 1761. 4. *Walckenaer* Histoire d'Horace, 1840. p. 270 sqq. *Campenon* Das Landhaus d. Horaz. übers. Leipz. 1826.

1 Historiae testimoniis adversatur, quod fuerunt qui eum Maecenatis scribam fuisse censerent, ut nuper C. G. Zumpt in Wuestemanni edit. Satir. Hor. Heindorfian. Praef. p. 14 sqq. Nec vero assentimur Orellio ad Sat. II. 6, 36. cum Iahnio ad l. l. et Obbario: Zeitschrift f. Alterthumsw. a. 1834. N. 114. p. 915. existimanti poetam iam a. 717. scribae munus abdicavisse. Nobiscum faciunt Masson. Vit. Hor. p. 76 et Grotefend l. c. p. 462.

initium cepit. Quae quidem necessitudo brevi adeo est confirmata, ut mox in interiorem quandam amicitiam abierit. Nam iam eodem hoc anno Maecenas Horatium in itinere Brundisino comitem sibi adiunxit, quod quo tempore poeta Sat. I. 5. descripsit — factum autem id non multo post esse consentaneum est — certe illo iam usus est familiarissime, sicuti universae descriptionis ratio declarat. Enimvero perspexerat interea Maecenas, sicuti videtur, poetam esse hominem probum, honestum et vere patriae amantem, qui bellorum civilium tristitiam ex animo odisset, id quod ille etiam Epod. XVI. et VII. al. palam testatus erat; cognoverat item esse eum in regendo iudicio suo tam cautum, prudentem et moderatum, ut nec Octaviani studia et consilia improbaret, dummodo ea non officere viderentur communi civitatis saluti. Quamobrem eum non dubitavit in Octaviani adducere notitiam. Itaque Horatius quum in primo libro Satir. I. 3, 4 sq. Caesaris Octaviani semel tantum et tamquam praetereundo mentionem iecisse reperiatur, tum Lib. II. Sat. I., quam a. u. 725. scriptam esse intelleximus, vers. 11. 19. et 83 sqq. undem ita memorat, ut ad eius enitatem et aequitatem in iudicanlis satiris suis provocet. Porro Epod. I. 3. Caesaris ut maximi Maecenatis amici mentionem iniicit, uod certe fit non sine aliqua beneolentiae testificatione. Praeterea tiam Epod. IX. ab in. sese plane aesaris caussae favere profitetur, uod sese vers. 7 sqq. etiam victo ext. Pompeio ita fecisse significat. aque verisimillimum est eum iam iquanto ante bellum Actiacum ctaviano propius innotuisse. uamquam lente tantum ac paullan videtur cum eo conciliatus esse. am ab initio quidem animum ipsius illo fuisse alieniorem, ecquis t qui in eo miretur, qui et reipuicae libertatis fuisset amantissis, et civilium bellorum negotium animo odisset, et Octavianum saepe duriorem et crudeliorem fuisse recordaretur? At enim vero mutatum paullatim eius de illo iudicium est, atque ita mutatum, ut lenito dolore hactenus ex temporum miseria suscepto etiam bene de eius studiis et consiliis sperare auderet. Quod quidem ex quo tempore ita factum sit, coniectura est haud sane difficilis. Evenit enim sic inde ab eo tempore, quo ille Italiam adversus Sextum Pompeium eiusque latrones itemque adversus Antonium tutari occepit. Cuius rei luculentissimum testimonium exhibet Epod. IX. 7 sqq., de quo loco modo dictum est. Tum igitur Horatius haud cunctanter partibus Octaviani favere coepit, id quod iam a. 717. fecisse videtur; tum addictus est illius caussae; tum denique etiam fieri potuit, ut propius in eius notitiam perveniret. Quamquam in eo iudicando vel laudando usque maxima cautione usus est, ut neutiquam ambitiose egisse videatur. Id quod clarissime ex eo intelligitur, quod usque ad belli Actiaci tempora nec ullum carmen ipsi dedicavit nec eius laudes diserte praedicavit. Nimirum poeta postea demum, quum Octavianus, summa rerum potitus, iuste et humaniter imperare coepisset, certius ipsi confidere coepit ideoque tum laudes eius celebrare non amplius dubitavit. Sed de Caesare Octaviano mox dicendum erit. Redimus nunc ad Horatii et Maecenatis amicitiam. Eam vero uterque per totam vitam adeo sancte et religiose coluit, ut vel inde appareat, non illam fuisse vulgarem et quotidanam.[1] Quamobrem nec Horatius Carm. II. 17. temere professus est se una cum Maecenate mori optare. Maecenas vero quanto amore poetam complexus sit, inde perspicitur, quod teste Suetonio in Vita Horatii eum moriens tali ad Augustum elogio ornavit: „*Horatii Flacci ut mei esto memor.*“ Mortuus autem Maecenas

1 De necessitudine Horatii et Maecenatis nuper pluribus exposuit *Frandsen* in libro: Maecenas Leben. Alton. 1843. p. 194—220.

esta. 746.,[1] quem eodem anno d. V. Kal. Dec. sequutus est Horatius, ut plane exitum habuerit quod ipse pia mente auguratus cecinerat: *Ibimus, ibimus, utcunque praecedes, supremum carpere iter comites parati.*

Iam vero sicuti poeta Varii, Virgilii, Maecenatis benevolentiam ac favorem iam mature consequutus est, ita etiam aliorum sibi conciliavit gratiam, qui vel eius studia probarent vel ipsius ingenii praestantiam admirarentur. Quorum nomina magnam partem ipse memoriae prodidit memorabili loco Sat. I. 10, 89 sqq., ubi praeter illos, quos modo nominavimus, nominat Plotium, Valgium, Octavium, amicum Virgilii, Fuscum Aristium, Viscos fratres, Asinium Pollionem, Corvinum Messallam eiusque fratrem, Bibulum, Servium, C. Furnium, quorum plerosque etiam aliis locis commemorat. Sed his etiam alios addi potuisse, ipse significat, quandoquidem illorum nominibus subiungit haec: „*Complures alios, doctos ego quos et amicos prudens praetereo, quibus haec, sint qualiacunque, arridere velim.* Enimvero multo etiam plures viros clarissimos poetae novimus et tum et postea favisse, Fundanium, Aelium Lamiam, Iccium, Pompeium Grosphum, Albium Tibullum, Plotium Numidam, Septimium, Florum, Munatium, Celsum Albinovanum, Postumum, Torquatum, Lollium, Numicium, Bullatium, Valam, alios, quorum omnium recensum nuper diligentissime egit I. G. F. Estré in Horatiana Prosopographia p. 446 sqq., quem de iis consuluisse iuvabit.[2] Nimirum fuit sane Horatius etiam eo animi candore insignis, ut hoc quoque nomine sibi plurimos ad perpetuam gratiam et benevolentiam devinxerit. Quamquam etiam incurrit tum in multorum odium et inimicitiam. Quippe alii eum oderant ut morum censorem suae ipsi culpae sibi conscii (Sat. I. 4, 21 sqq. 33. Sat. II. 1, 1—4. 62 sqq. II. 3. in. 305 sqq. 325. II. 7, 100 sqq.); alii ipsi invidebant felicitatem illam, qua magnorum virorum gratia fruebatur, praesertim quum ipsi quoque sibi aliquid in poesi posse viderentur (Sat. I. 4, 141. I. 9. integra. coll. Epist. II. 1, 108 sqq.); alii aegre ferebant severum eius de poetis antiquioribus inprimisque de Lucilio iudicium, adversabanturque recentioris disciplinae studiis, quibus Horatius iuxta cum Vario, Virgilio, aliis, addictus fuit (v. Weichert. De Horat. obtrectatoribus in Poetar. Latin. Rell. p. 270 sqq.); denique etiam in ipsum invehebantur Stoici aretalogi, Fabius, Crispinus, Stertinius, Damasippus (Sat. I. 1, 20. I. 3, 139. I. 4, 14. II. 3. tot. II. 7, 45.), qui quavis data occasione, frequentatis inprimis hominum beatiorum conviviis, de virtutibus et vitiis ad ravim usque declamitabant et Horatio, qui circulatorios istos philosophos (de quibus v. Casaubon. ad Sueton. Octav. c. 74. extr.) subinde risisset, molestiam creare conabantur. Quos quidem adversarios et obtrectatores omnes poeta ita derisit et exagitavit, ut eorum mores et ingenia facete ad veritatem descripserit atque deformaverit.

Sed satis haec de ea aetate, qua poeta exactis studiis iuvenilibus primum in publicum prodire ausus est ac scribendis Epodis atque Satiris fundamenta eius laudis poeticae iecit, quam postea apud aequales pariter atque posteros consequutus est. Pergamus nunc ad tertiam vitae ipsius partem, videamusque, quali porro vivendi conditione et studiorum ratione usus sit.

Exortus autem post belli Actiaci tempora novus plane rerum ordo est, qui dici non potest quantum ad mutandos Romanorum mores ac studia valuerit, ut nec mirum sit eam rem in studiis et consiliis Horatii moderandis maximam vim habuisse. Nam primum quidem tum finita sunt tandem tristissima illa bella civilia et Italiae civibusque Romanis aliquando rediit pax et tranquillitas diutissime exoptata.[1]

1 v. Dio Cass. LV. 7.
2 Conf. etiam Indices nostros sub vv.

1 Vell. Pat. II. 89.

Fuit enim Octavianus ab illo inde tempore, ut iam supra vidimus, pacis amantissimus, ita ut devictis adversariis nihil sibi putaret esse antiquius, quam ut res Italas armis tutaretur, moribus ornaret, legibus emendaret,[1] denique fontes discordiarum istarum obstrueret, quibus ita factum erat, ut Romani in sua ipsorum viscera crudelissime saevirent. Quamobrem etiam vehementer laetatus esse narratur, quod de Iano clauso a. 725. decretum erat, praesertim quum idem bis tantum antea factum esset.[2] Hoc ipsum autem quascunque demum ob caussas ita sibi faciendum putavit; fuerunt enim qui ipsum hac in re prava dominandi cupiditate et calliditate ductum esse arbitrarentur;[3] tamen consilium illud suum fortiter constanterque retinuisse atque ita sequutus esse reperitur, ut sese hac in re etiam mitem, clementem et humanum principem praestiterit.[4] Itaque rebus Romanis tum vel eo alia plane facies comparata est, quod sopito aliquando armorum furore ac finitis bellis civilibus Italiae populoque Romano tandem aliquando pax et tranquillitas rediit. Praeterea vero etiam inde a bello Actiaco ita factum est, ut summa rerum ad unum perveniret eventumque haberet, quod olim praelixerat vir rerum civilium peritissimus, Polybius, futurum esse ali quando, ut mores corrupti non amplius ferrent libertatem, ideoque necessarium fore, ut omnia transferrentur ad unius principis arbirium. Quod quidem ipsi quoque Romani tum ita iudicaverunt, quoum plurimi teste Tacito Annal. I. . et 10. ita sibi persuaserant, ut disordantis patriae non aliud remeium esse arbitrarentur, quam ut b uno regeretur. Itaque Octaviano dehinc paullatim summi quique magistratus atque honores, inter quos etiam Augusti fuit nomen a. u. 727. ipsi tributum, delati sunt; quod qua ratione factum sit, hoc loco narrare non attinet, res enim ex historia Romana constat. Nimirum hanc rerum mutationem ut Romani non inviti perferrent vel etiam adamarent, non modo pacis et tranquillitatis desiderium effecit, quo omnes capti tenebantur, sed etiam Octaviani ipsius prudentia in caussa fuit, qua ille potestate sibi mandata non modo leniter et mansuete, sed etiam sapienter usus est. Multa enim Caesar Octavianus salubriter instituit, quae ad vitam publicam ac privatam ornandam nobilitandamque plurimum fecerunt. Nam ut taceamus de eo, quod urbem aedificiis et monumentis exornavit, quod etiam alii inprimisque Agrippa imitati sunt;[1] quod collapsa templa refici iussit; quod iam a. 726. Apollini in monte Palatino templum et bibliothecam dedicavit (Hor. Od. I. 31. intpp.); quod artes liberaliores tutatus est atque litteris favit; inprimis etiam illud sibi curandum duxit, ut civium pravae lubidines et cupiditates refrenarentur, mores emendarentur, denique vitae privatae pariter atque publicae sua integritas, suus decor, sua dignitas restitueretur. Id quod efficere studuit legibus sapientissimis, velut lege Iulia et Papia Poppaea, quam iam ab initio imperii sui meditatus erat, sed promulgavit demum a. 736., pertulit autem aliquanto post a. 762. (v. Bach. Hist. Iurispr. Rom. III. 1. §. 2.), porro lege de adulteriis, lege de pudicitia, lege sumtuaria, lege de ambitu, quas omnes a. 736. tulit, quandoquidem ipsi leges Augustas pro arbitrio sanciendi potestas anno ante decreta erat, denique aliis multis legibus, de quibus v. Bach. l. c. III. I. §. 9. Qua quidem ratione etiam hoc consequutus est, ut disciplinam publicam et privatam, antea misere depravatam, aliquando resti-

1 Hor. Epist. II. 2. in.
2 v. Dio Cass. LI. 20. Sueton. Octav. c. 22. or. IV. 12.
3 v. Tacit. Annal. I. 9. et 10. qui locus peram est memorabilis.
4 Tacit. Ann. I. 9. Seneca De clement. cap. §. 1. et cap. 11. §. 1. Sueton. Octav. c. 27. amquam, sicuti opus esset, etiam severe usus est; v. Sueton. Octav. c. 27.

1 v. Sueton. Oct. c. 29. 30. Dio C. LIII. 22. ibique Reimar. Tac. Ann. III. 72. Vell. II. 89.

tuisse atque pro temporum rationibus sapientissime emendavisse iudicaretur. Tacemus de institutis aliis, quibus imperium reipublicae et gubernatio provinciarum multis partibus mutari coepit, quaeque et ipsa eo valuerunt, ut novus rerum ordo isque faustus atque felix exortus esse videretur. Addidisse iuvabit, etiam ipsa bella a Caesare Octaviano Augusto gesta ad illustrandum ipsius imperium non parum fecisse. Nam quum ille pacem ac tranquillitatem Italiae perpetuo tutatus sit, tum etiam adversus exteros populos bella gessit felicissime, ut fines imperii contra hostes nominis Romani gloriosissime defenderit. Nimirum prudentissime arma, quae antea in cives versa erant, contra imperii hostes convertit. Quo sane id consequutus est, ut non modo communem civium salutem plurimum adiuvisse sed etiam imperii Romani dignitatem atque maiestatem gloriosissime defendisse atque adauxisse iudicatus sit.

Atque his carptim quasi expositis sponte opinor apparebit, quantam tum res Romana subierit mutationem. Ea ipsa autem mutatione, sicuti iam antea significavimus, effectum est, ut etiam Romanorum de rebus publicis deque civitatis suae conditione iudicia alia atque antea existerent. Pertaesi enim aliquando istius fuerunt libertatis, quae quum olim fuisset saluberrima, tamen ipsis denique maxima quaeque mala importavisset. Quocirca Octaviano rerum potito aliquando pace et tranquillitate sibi restituta delectati sunt; gavisi sunt bonis institutis, quae ad coercendam morum licentiam valerent; exsultaverunt victoriis de imperii sui hostibus gloriose reportatis; novam spem conceperunt de incrementis publicae privataeque felicitatis, quum non modo urbem, sed etiam Italiam agricultura, opificiis, mercatura, artibus atque litteris in dies magis florere animadverterent. Denique plerique omnes bono animo confisi sunt Caesaris Octaviani Augusti consiliis, quippe quem viderent non modo sapienter bono publico prospicere, verum etiam pristina crudelitate ac saevitia deposita leniter et humaniter exercere imperium, ut ipsum tanquam principem mansuetum et clementem devenerari liceret. Etenim quantam tum spem et fiduciam omnes vulgo in Caesare Octaviano posuerint, certe exinde perspicue intelligitur, quod ei iam inde ab eo tempore, quo Sextum Pompeium devicerat, non modo divinos honores, sed etiam maximos magistratus atque dignitates ita detulerunt, ut denique unus atque solus civitatis dominus existeret.[1]

Atque haec bona omnia una cum civibus suis etiam Horatius agnoscere non dubitavit. Qui quum olim arma pro reipublicae libertate capessivisset, tamen iam inde a bello cum Sexto Pompeio gesto ad partes Octavianas inclinavit. Postea autem cum Maecenate interiore coniunctus amicitia Caesari Octaviano ita favere coepit, ut de studiis eius et consiliis optima quaeque speraret, ipseque propius in eius familiaritatem admitteretur, quod circiter a. 725. ita factum videtur. Nimirum rectissime sane poeta: *Tempora*, inquit, *mutantur, et nos mutamur in illis.* Quamquam Horatius ne tum quidem sese cuiquam voluit totum mancipare, quippe qui studuerit *res sibi, non se subiungere rebus.*[2] Quod igitur fuerunt, qui eum, utpote Caesaris Augusti laudatorem, turpis adulationis reum agerent, aut saltem inconstantiae incusarent, hi certe non viderunt, eum sese neutiquam partibus Brutianis temere relictis novo imperatori importune obtrusisse aut eius gratiam et favorem humilibus artibus aucupatum esse. Enimvero ne accepit quidem ille

1 De Caesaris Augusti ingenio et moribus praeter Tacit. Ann. I. 9. et 10. nuper disputarunt Drumann. Röm. Gesch. IV. p. 292 sqq. Loebell in Raumer. Histor. Taschenbuch V. p. 211 sqq., Weichert De imperator. Caesar. Augusti vita et scriptis. Grimm. 1846. 4., Hoock Röm. Gesch. I. 1. p. 421 sqq., cui nos omnino suffragamur.

2 Epist. I. 1, 19.

beneficia ultro sibi ab eo oblata, sive quod nollet ex cuiusquam pendere voluntate, sive quia mallet propriis virtutibus quam aliena gratia et favore inclarescere.[1] Cuius rei luculentissima extant testimonia. Obtulit enim ipsi Augustus, teste Suetonio, epistolarum officium, ut haec ad Maecenatem perscripserit: „*Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum; nunc occupatissimus et infirmus Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in scribendis epistolis adiuvabit.*“ Sprevit tamen poeta oblatam sibi conditionem quamvis honestissimam. Quod ille generoso viri animo perspecto adeo non moleste tulit, ut eum etiam una et altera liberalitate locupletaverit. Quamobrem ei etiam haec scripsisse narratur: „*Sume tibi aliquid iuris apud me, tamquam si convictor mihi fueris, quoniam id usus mihi tecum volui, si per valetudinem tuam fieri potuisset;*“ et alia opportunitate: „*Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire. Nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque enim si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν.*“ Quae si vere memoriae prodita sunt, sicut sane videtur, certe non poeta imperatori, sed potius imperator poetae adulatus esse iudicari debebit. Nec vero desunt alia documenta Caesaris erga eum favoris ac benevolentiae. Nam ioeatus ille etiam cum ipso est familiarissime. Ita eum subinde vocavit *homuncionem lepidissimum*, et alia quadam etiam usus est appellatione verquam familiari, quam tristes ac severi morum magistri sic interpreati sunt, ut impudicitiae crimen ide repeterent; quae qualis fuerit qui scire aveant, eos ad Suetonium remittimus. Hic iuvabit aliud stulisse familiaritatis interioris documentum. Quum enim Augustum aliquando inter Horatium et Virgilium sedentem Maecenas more consueto adiisset interrogans, quid rerum ageretur, subridens ille: „*Sedeo hic*, inquit, *inter lacrimas et suspiria;*“ quippe facete significans Horatium lippum, Maronem autem meditabundum esse. Quod certe ante a. 735. ita acciderit necesse est, quippe quo anno Virgilium compertum habetur fato defunctum esse. Inprimis vero poemata eius plurimi aestimavit, quemadmodum inter alia inde intelligitur, quod ipsi in ludis saecularibus a. u. 737. celebratis[1] carminis saecularis pangendi negotium mandavit et quod quartum odarum librum ab ipso tantum non flagitavit. Neque id non obscure testantur quae scripsit Suetonius in Vita Horatii: „*post sermones lectos quosdam nullam sui mentionem habitam ita questus: „iratum me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse?*“ Quae verba critici plerumque de satiris intelligunt, nos de epistolis intelligimus,[2] de quibus mox disserendi occasio erit. At nimirum tantum abfuit, ut Horatius abiecta humilitate Augusto adularetur, ut iure dici possit, eum admodum cautum fuisse in laudibus eius praedicandis. Quippe agnovit utique iuxta cum ceteris civibus et popularibus suis praeclara illius de republica merita ideoque eum veluti nomine popularium suorum omnium celebravit, quorum sensus et iudicia certe, si vel ea meminerimus, quae modo de honoribus Augusto publice habitis exposita sunt, carminibus suis quam fidelissime expressisse iudicandus erit; ipse autem sese nusquam ad humilis adulationis turpitudinem ullo modo abiecit.[3]

1 Egregie defendit Horatium adversus hanc criminationem Fr. Jacobs: Vermischte Schriften T. V. p. 318 sqq. sive Lectt. Venusin. XV.

1 v. Dio Cass. LIV. 18. Censorin. De die nat. c. 17., Plin. VII. 48., Tacit. Ann. XI. 4. coll. Masson. Vit. Hor. p. 315 sqq.

2 cum Weicherto Lectt. Venusin. p. 64 sqq.

3 v. Weber: über d. Verhältniss des Hor. zu Caes. Octavian. in Jahn's Archiv. IX. 1843. p. 286., Grotefend: Hor. Verhältniss zu August in Scheidewin. Philolog. I. p. 143 sqq.

Atque haec quum ita sese habeant, mirum certe non est, quod poeta inde ab Octaviani principatu animo suo quasi confirmatus est atque recreatus, ita ut non modo de publica felicitate bene sperare, verum etiam vitam laetius et hilarius degere ausus sit. Itaque abstersa aliquando animi aegritudine et acrimonia ex pristinorum temporum miseria contracta laetioribus dehinc indulsit sensibus, quos usque aluerunt etiam benevola amicorum inprimisque Maecenatis erga ipsum studia; rusticana, quibus lubenter utebatur, otia; aequalium plurimorum de studiis et facultatibus ipsius honorifica iudicia; denique etiam libertatis, quietis et tranquillitatis usura, qua tum ipsi plenius sane potiri licuit, quandoquidem nec per amicitiam cum Maecenate aliisque reipublicae proceribus iunctam magnopere impeditus est, quominus otio liberrimo perfrueretur. Vixit enim tum quoque plerumque in secessu Sabini sui. Quamquam identidem urbem invisit, inprimis a Maecenate invitatus. Quod si quando fiebat, domum prope Exquilias sitam inhabitabat, ut facile liceret cum Maecenate, in vicinia habitante, conversari.[1] Interdum etiam valetudinis caussa Baias secessit aut alias lustravit amoenas regiones, de quo v. Epist. I. 15. Ita factum est, ut temporibus mutatis etiam vita Horatii multum commutaretur.

Atque inde ab hoc tempore poëta etiam ita facere apud animum constituit, ut missa aliquando satiricorum sermonum et epodorum scriptione alia poesis genera coleret, quae quum ad litteras Latinas illustrandas facerent, tum temporum conditioni essent satiris accommodatiora et convenientiora. Transiit igitur primum ad colendam poesin lyricam eamque Aeoliam sive melicam, utpote cognatam illam cum poesi Archilochia, qualis in epodis cernitur. Eam enim et ipsam lyrici fuisse generis, satis videmur in superioribus ostendisse. Mox autem rediit etiam ad poesin didacticam in satiris expressam. Scripsit enim epistolas satiris utique genere simillimas, sed tamen item ab illis adeo diversas, ut tranquillitati animi ex temporum fortuna haustae egregie convenirent simulque novum prope poesis genus ostenderent. Itaque de utroque hoc poematum genere paucis explicandum est. In quo negotio sic versabimur, ut disserendi initium a carminibus lyricis faciamus.

Quod igitur poeta iam olim in scribendis Satiris et Epodis faciendum sibi statuerat, ut non aliorum legeret vestigia, aut trita via incederet, sed nova pangeret poemata, quibus litterae Latinae novo modo illustrarentur; idem etiam in capiendo lyricorum carminum scribendorum consilio sequutus est. Etenim Romani ex quo sese ita ad litterarum studia dederant, ut Graecorum exemplum in eis aemularentur, etiamsi alia poesis genera, maxime epicum, satis studiose tractavissent, tamen pro nativa ingenii sui indole, qua magis ad agendum quam ad sentiendum ferebantur, lyricum genus adeo neglexerant, ut in eo usque ad Horatii aetatem nullum probabilem poetam haberent. Neque enim aut Laevius aut Licinius Calvus[1] aut ullus alius maius quiddam hoc in genere consequutus erat. Ac ne Catullus quidem cum poeta Venusino ut lyricus ullo modo comparandus fuit. Quippe is et paucissima scripsit lyrica, et si quae id genus in lucem edidit, ea ab Horatianis exhibuit multum diversa. Quocirca primus extitit Horatius, qui diu neglectum poesis genus tandem tractaret sollertius, Alcaci inprimis atque Sapphonis exemplo ad imitandum sibi proposito, quorum laudes celebravit eximie Carm. II. 13. Quamquam etiam Anacreontem, Stesichorum, Simonidem et Pindarum ob oculos habuit, quos item Carm. IV. 9, 4.

1 v. Sat. I. 4, 32 sqq. 116. II. 7, 36. II. 6, 31 sqq.

1 De his docte exposuit Weichert. Poetar. Lat. Rell. p. 19 sqq.

memorat, et vero etiam Alcmanis, Bacchylidis, Simonidis, aliorum carmina respexit, sicut ex eorum fragmentis intelligitur. Qua re ipse gloriatur identidem, nec ullo modo dissimulans id sibi fuisse propositum, ut lyricam poesin Graecorum in Latii solum transferret. Nam Carm. III. 30. „*Dicar*, inquit, *princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos.* Carm. IV. 3: *Quod monstror digito praetereuntium Romanae fidicen lyrae* etc. Carm. II. 16: *Spiritum Graiae tenuem Camenae Parca non mendax dedit.* conf. I. 32, 3. IV. 3, 12. IV. 6, 35. IV. 9, 11. Epist. I. 19, 32. Nimirum gloriatus hac re poeta est suae sibi virtutis conscius, quippe qui quod opus primus incepisset, idem etiam rara ingenii felicitate ad finem usque profligavisset. Nam absolvit sane ac perfecit munus ipsi propositum sic, ut et aequalibus et posteris inimitabile artis exemplum proposuisse iudicatus sit, quod a nullo populari postea unquam sit superatum. Nam Titii quidem et Titi Septimii, quos Horatius ipse memorat ut lyricos aequales Epist. I. 3, 9. Epist. I. 5, 26. coll. Od. II. 6.,[1] atque Caesii Bassi, de quo Schol. ad Pers. VI. 1., vix nomina ad nos pervenerunt, nedum ut carmina eorum ad posteritatem celebrata sint. Postera autem aetate neminem quemquam extitisse, qui cum Horatio de palma posset contendere, quum aliunde notum sit, tum perspicue intelligitur ex Quintil. X. 1., qui lyricorum vere solum Horatium dignum legi arbitratur.

Nec vero obscurum est, qui fieri potuerit, ut Horatius in lyricis tantam virtutis poeticae praestantiam consequeretur. Nam quum neminem fere illius aemulum habuerit, tum ipse in carminibus lyricis pangendis ea usus est arte eaque prudentia, quae ipsum iuvante nativa ingenii indole in suo genere ad summa quaeque perduceret. Quocirca paucis dispexisse iuvabit, qua ratione ille in condendis lyricis carminibus versatus sit, si forte ita fieri possit, ut una eademque opera etiam vis et natura poesis lyricae Horatianae non nihil cognoscatur.

Videmur autem non temere statuere et existimare, Horatium primum quidem iudicantes ideo in colendo lyricae poesis studio feliciter elaborasse, quod genus illius id sibi tractandum delegit, quod suo ipsius ingenio atque animo maxime esset conveniens. Quippe neutiquam ille complexus est omnem lyricae artis vim rationemque, neque multiplicia odarum genera tentare ausus est. Imo prudentissimo delectu eam potissimum lyricae poesis partem sibi colendam sumsit, cui tractandae atque illustrandae sese maxime parem sentiret esse. Etenim quum duo potissimum lyricae poesis genera discerni queant, unum sublime, grande, magnificum, cuius primaria virtus cernitur in maiestate celsique spiritus audacia, quale fuit Pindari proprium, cuius magnificentiam ipse Horatius egregie depinxit Carm. IV. 2.; alterum lene, molle, temperatum, quod non tam audacia quam suavitate cum sublimitate quadam coniuncta utitur, in quo Alcaeus, Sappho aliique lyrici Graeci excelluerunt; Horatius illo fere declinato posterius maxime sectatus est, quippe quod animo suo natura molli ac tenero et ad suavitatem potius quam ad severitatem atque granditatem temperato optime conveniret. Id quod ipse non uno loco ingenue professus est. Nam Carm. IV. 2, 25 sqq. sese cum ape Matina comparat grata thyma multo cum labore carpente, quippe quum operosa parvus carmina fingat. Porro Carm. I. 6, 9 sqq. sese ait a pangendis celsioris spiritus carminibus ideo abstinere, quia pudor imbellisque lyrae Musa potens vetet laudes egregii Caesaris culpa deterere ingeni. Quibus non dissimilia sunt illa Carm. II. 1, 37 sqq. III. 3, 69. IV. 15, 3. In cuius-

1 De his v. Welchert. Poetar. Latt. Rell. 371sqq., Estré Prosopograph. Hor. p. 483sqq. detur autem plerisque Titius ac Septimius us idemque homo esse.

modi locis ut urbana ac modesta cernatur ironia, tamen omnino quidem poetam ingenii sui mediocritatem significare, qui Horatianorum carminum indolem accuratius cognoverint, certe haud inviti largientur. Habent enim illa sane iucunditatem potius atque dulcedinem quam maiestatem; nitent magis venustate et gratia quam altitudine et magnificentia splendent; denique spirant potius moderatam quandam lenitatem et tranquillitatem, quam fervidae mentis igneum ardorem referunt. Quamquam poetae pectus, sicubi vel argumentorum vel temporum rationes ita ferunt, subinde etiam vehementius incalescit, veluti quum generosa cum iracundia in vitia aetatis invehitur, aut virtutes maiorum celebrat, aut Caesaris Octaviani vel populi Romani maiestatem singularibus laudibus extollit. Tum enim poeta exsurgit fere altius, ut interdum etiam Pindaricam audaciam aemulari videatur, ut Carm. I. 2. I. 12. I. 35. II. 1. II. 13. II. 18. II. 19. III. 3. et III. 5. III. 6. III. 25. IV. 4. IV. 14. al. Verum haec quidem carmina ut ceteris sint sublimiora atque excelsiora, tamen in universum certe Horatius altiorem ingenii volatum cautissime tentavit et in plerisque poematis suis suavis potius et iucundus quam audax et sublimis videri voluit. Nimirum bene ille noverat ingenii sui vires, ultra quas procedere, nisi provocante aliquando insolentiore aliquo animi impetu, nunquam temere ausus est.

Atque cum prudenti hoc generis lyricae poesis delectu proxime coniunctum est etiam aliud quid, quod et ipsum sine dubio eo valuit, ut Horatius egregii poetae lyrici partes tueretur. Delegit enim ille etiam ea carminum suorum argumenta, quae non modo suo ipsius ingenio sed etiam temporibus, quibus vixit, essent accommodatissima. Nam utcunque ea in varias ac diversas classes descripseris, tamen illud quidem certum et exploratum habetur, argumenta ipsorum fere de media vita communi esse desumta, sed tamen ita desumta, ut ad movendos sensus et affectus legentium accommodatissima sint. Etenim modo poeta suaviter et urbane cum amicis iocatur, ut quum eos ad convivia et compotationes invitat; modo iocose tractat res amatorias; modo sapienter vivendi praecepta commendat suaviterque illustrat, ut quum temperantiam, animi aequabilitatem, modestiam, pietatem, fortitudinem laudat, aut ad praesentium bonorum fructum cohortatur; modo deplorat ac detestatur aetatis vitia, avaritiam, luxuriam, impietatem; modo celebrat clarorum virorum laudes aut hymnos in deos canit; modo preces ad deos pro incolumitate imperii aut Caesaris Augusti facit; modo publicam vel privatam laetitiam ob res prospere gestas declarat aut securitatis ac tranquillitatis suae sensus aperit cum grati animi pia testificatione. Ex quibus omnibus facillime profecto intelligitur, poetam in deligendis carminum suorum argumentis prudenti consilio ita esse versatum, ut quum sui ipsius ingenii animique, tum rerum atque hominum, quibuscum coniunctus vixit, diligentissimam rationem habuerit.

Sed quum delectus iste materiae carminum cautissime sit a poeta institutus, tum etiam formam eorum talem effinxit, quae elegantiae laudem quam maxime consequeretur. Facile enim pervidit Horatius, populares suos inprimis in poesi lyrica nondum ea sive felicitate sive dexteritate elaboravisse, ut non amplius in ea *veteris vestigia ruris*, quae ipse Epist. II. 1, 116. dicit, conspicerentur. Itaque in hoc inprimis carminum genere Graecorum artem rationemque imitandam exprimendamque esse arbitratus est. Quod consilium ut ipse prospero operae successu inire posset, tam singularis quaedam ingenii felicitas quam doctrinae ratio et conformatio effecit. Polluit enim naturae beneficio eo pulchri venustique sensu, qui etiam lyricae poesis vim atque gra-

tiam facile perciperet et assequeretur. Poesis autem Graecae notitia haud dubie iam dudum imbutus fuit, quandoquidem Sat. I. 10, 30. sese narrat iam olim adolescentem versus Graecos pangere instituisse. Itaque sicuti omnino lyricum poesis genus e Graecia in Latium traducere apud animum constituit, ita inprimis etiam Graecorum artem et compositionem ea in re aemulandam esse arbitratus est. Quod tamen magnopere cavendum est ne ipsum sic fecisse existimemus, ut lyricos Graecos presse sequutus sit eorumque carmina Latinis versibus serviliter reddiderit. Imo quod de Epodis suis ipsum profiteri meminimus Epistol. I. 19, 25., sese numeros quidem animosque Archilochi reddidisse nec vero res et agentia verba Lycamben, idem sine dubio hic quoque ipsi fuit propositum. Voluit enim *fidicen lyrae Romanae* (Carm. IV. 3, 23.) vel *fidicen Latinus* (Epist. I. 19, 33.) haberi, qui Graecorum arte et elegantia cum Romanorum more et ingenio consociata popularibus suis Graecae Camenae munera impertiisset. Itaque neutiquam scribendi argumenta ab iis mutua sumsit, sed Graecorum vim atque spiritum reddidit, quo Romani quoque haberent, quo aliquando tamquam poeta lyrico suo gloriarentur.[1] Iam vero hoc propositum ut assequeretur, primum quidem dictionem lyricam effinxit, quali populares eius tum etiam carebant; deinde lyricos numeros atque versus ad Graecorum exemplum composuit; porro rerum ac sententiarum multarum usum a Graecis repetitum pro aetatis suae cultu cum Romanis communicavit; denique etiam argumentorum tractationem atque compositionem carminum ad Graecorum potissimum exemplum artificiosius moderatus est. De quibus locis ordine deinceps paucis explicavisse iuvabit.

Itaque primum quidem diligenter animadvertendum est, quod ad Horatium recte aestimandum sanequam plurimum valet, poetam extitisse auctorem et parentem dictionis lyricae, qualem Romani ad illam usque aetatem nondum novissent. Quod enim dudum illis temporibus senserant viri clarissimi, Asinius Pollio, Varius, Virgilius, et ante eos etiam Catullus aliique, Latinum sermonem utpote asperiorem adhuc, horridiorem et incultiorem ad recentis aetatis elegantiam conformandum esse,[1] idem inprimis etiam Horatius sibi persuaserat. Qui quum iam in Epodis et Satiris suis idem sequutus esset, tum inprimis in poesi lyrica sensit eius rei necessitatem, quippe cuius sensus molliores ac venustiores requirerent utique linguam tersiorem, flexibiliorem atque elegantiorem. Quamobrem ille suam sibi dictionem tamquam propriam effinxit, quale quid etiam Klopstockium nostratem fecisse constat, quo tempore princeps carmina lyrica pangere ausus est Germanis antea inaudita et ad veterum Graecorum artem rationemque conformata. Quod quidem duplici modo effecit, quandoquidem sermonem patrium tum ex opibus ipsi propriis locupletavit, tum etiam orationis compositione callidius ad Graecorum usum et consuetudinem attemperata multis modis perfecit et excoluit. Quod quidem posterius ea fecit audacia, ut dictionem omnem, quantumvis Latinam, tamen Graecae linguae indolem atque naturam prae se ferentem effinxerit. Quocirca vere asseverare licet, neminem quemquam Horatii carmina unquam recte intellecturum esse, nisi qui item Graeca didicerit gnaviter inprimisque etiam poetas Graecos sedulo tractaverit. Sunt enim omnia plena Graecismorum, qui vulgo dicuntur, referuntque plane Graeci sermonis proprietatem, qualem ii tantum perci-

1 De studiis Graecis Horatii v. Estré Prosopographia Horat. p. 122 sqq. Grotefend. Vita Horat. in Encyclop. Hall. 1833. p. 463 sqq. Passov. in Introd. ad Epistol. Hor. not. 181. 187. 195. 197. Arnold. Disp. de Horat. Graecor. imitatore particula. Hall. 1845. 8. (qui rem vix inchoavit, nedum absolvit).

1 v. Weichert. Poetar. Lat. Rell. p. 327 sqq.

piant, qui sibi accuratiorem litterarum Graecarum notitiam comparaverint. Nimirum penitus Horatio persuasum fuit, ascita demum Graecorum dicendi ratione et consuetudine fieri posse, ut Latinus sermo ad lyricae poesis usum commode traduceretur.[1]

Sed quemadmodum poeta dictionem lyricis carminibus aptam libero ingenii nisu ad Graecorum maxime rationem finxit et conformavit, ita etiam numeros et versus extudit nondum Romanis auditos et ad exemplum Graecorum poetarum artificiose compositos. Etenim priscorum poetarum syllabarum mensuram pariter atque numerorum usum iam alii spreverant in aliis poeseos generibus, ut Virgilius et vero etiam Catullus et Lucretius. Idem igitur Horatius quoque sibi in lyricis potissimum faciendum putavit, ut in quibus sentiret antiquam istam asperitatem et horridam gravitatem minime omnium esse tolerabilem (v. Epist. II. 1. et Art. Poet.). Quippe docuerat ipsum utique lectio lyricorum Graecorum, quantum ad huius potissimum poesis dignitatem et praestantiam valeret aptorum numerorum usurpatio. Quum igitur Romani, qui lyrica vix attigissent, nihil dum propriis hoc in genere viribus tentavissent, ipse ad Graecorum exemplum nova effinxit numerorum ac metrorum genera. Quae qualia sint, infra declarabitur, ubi brevis eorum exhibebitur recensus. Hoc loco satis erit animadvertisse, callidissime poetam ea in re ita esse versatum, ut quum leges Graecorum penitus perspectas habuerit, tum etiam versus suos discessione interdum ab illis facta ori popularium suorum scite accommodaverit. Etsi igitur falso scripsit Diomedes Grammaticus (de quo v. Vanderbourg. edit. Carm. I. p. 123 sqq. coll. Rosenheyn in Seebod. Archiv. für Philol. a. 1832. p. 367 sqq.), Horatium novorum metrorum fuisse inventorem, tamen Romanis certe novorum metrorum artem impertiit, ita ut tamquam Romanus lyricorum versuum effector et architectus habendus videatur, praesertim quum etiam eorundem usum variis carminum argumentis prudentissime accommodaverit.

Iam vero Horatius etiam ingenium Graecorum atque spiritum Graecae Camenae ad Romanos ita traducere conatus est, ut etiam eorum sentiendi cogitandique rationem carminibus suis expresserit. Non dubitavit enim Graecas loquutiones Latine interpretari; singulas quasdam sententias ab iis celebratas artificiose carminibus suis intexere; communes locos, quales sunt de amore, de vino, de hilari vitae usu, alii similes, ad eorum exemplum illustrare; imagines et ornatum orationis ab iis repetere,[1] denique etiam fabulas illorum mythologicas ad usum suum conferre. Quae quidem omnia magnopere cavendum est ne pro inertiae aut servilis imitationis argumentis ducantur. Fecit enim poeta id liberrimo iudicio sic, ut quum isto modo carminibus suis Graecae Camenae tamquam spiritum inhalaverit, tum item proprii ingenii propriaeque artis laudem egregie sit tutatus, ut magnopere iudicio suo falsi sint, qui ipsum servum Graecorum imitatorem fuisse sibi persuaserunt. Quod enim nonnulla ad Graecorum exemplum lusit, qualia sunt maxime carmina amatoria I. 23. II. 4. 5. 8. III. 7. 9. 10. 11. 20. IV. 10. 11. atque alia etiam ita cecinit, ut lyricorum Graecorum vestigia pressius sequutus esse vi-

1 Dictionem poetarum Latinorum, inprimis Horatii, graecissantem illustrarunt Dan. Vechnerus Hellenolexias lib. II. ed. I. Mich. Heusinger. Goth. 1733. 8. min. Christ. Dav. Iani Artis Poetic. Lat. Lib. IV. Hal. 1774. 8. Io. Christian. Henrici Progr. De Graeca dictione poesis Horatii lyricae ornatrice. Wittemberg. 1791. 4. Part. I—III.

1 Talia collegerunt H. Wagner: *Horatii carmina coll. Graecorum scriptorum illustrata.* Hal. 1770. 8. et: *Additam. ad Horat. carm. collationi Graecor. scriptorum illustrata.* Hal. 1771. 8. et plerique interpretes, inprimis Mitscherlichius. De primo carminum libro nuper exposuit *H. H. Garke* in Commentat. Q. Horatii Fl. Carm. lib. I. collatis scriptoribus Graecis illustrati specimen. Hal. 1853. 4.

leatur, ut I. 9. 10. 14. 15. 18. 23. 27. 8. 30. III. 9. 10. 12. 15. 26. 27. 28., ıeutiquam id ingenii penuriae aut nertiae alicui tribuendum est, nisi orte etiam Wielandios, Herderos, chilleros, Goethios, propterea uod externa cum popularibus suis ommunicaverint, eodem crimine bstrictos teneri volueris. Nimirum epigit Horatius talia carmina per ısum quendam liberalem, sive ut alium poematum notitiam civibus uis impertiret, sive ut ipse ingeuam inde caperet oblectationem que subinde propius in artis Graeıe ingenium insinuaret. In quo quiam diligenter tenendum est istius odi carmina maximam partem deri iuvenilia et paucis exceptis l primo vel tertio libro inserta se. Nimirum primus liber utique rmina continet a poeta iam eo mpore confecta, quo primum lyriım poesin exercere instituit; terıs autem liber cur multa id genus mplectatur, ex iis patefiet, quae st paullo de huius libri originibus posituri sumus. Sed hoc quidem ut sese habet, illud certe iam aperm fore existimamus, neutiquam ratium servilis imitationis criıi esse obnoxium. Qui si quae elius ex Graecis Latina fecit, id ıum consulto ita fecisse existiındus est; ceterum autem non ut etae veteres facere consueverant Epist. I. 3, 15—19. ibid. XIX. sqq. A. P. v. 133. 199.), fidi intertis more modoque, quae scripsis ıt Graeci, interpretando aut coninando reddere conatus est, sed ce id studuit, ut etiam rerum ha ı ratione Graecae artis atque ditionis virtus ac praestantia a popularibus suis communicaır. Enimvero fuit haec omnino tarum illius aetatis ratio, ut in tando universe spectarent lau ı perfectionis ideoque rerum cies potissimum atque formas a ecis repeterent, non opera eoı compilarent aut serviliter exerent. Qua quidem sollertia denique id sunt consequuti, ut xterna bona Romanorum ingeniis admovere liceret, et, quae aliunde ab ipsis sumta essent, ea mox non iam pro alienis, sed pro domesticis atque propriis haberentur atque probarentur.

Sed transgrediamur aliquando ad universorum carminum compositionem et argumentorum tractationem. In qua et ipsa summa quaeque spectavit Horatius, Graecorum exemplo inprimis ante oculos posito. Nam ut nihil dicamus de arte illa, qua colorem orationis atque universum singulorum carminum habitum argumentis eorum plane convenientem fecit atque genus dicendi singulari iudicii prudentia itarexit, ut translationum audaciam temperaverit verecundia, verborum insolentiam mitigaverit lenitate, copiam et ubertatem moderatione ingenii compescuerit; inprimis etiam rerum expositio ea est, in qua poetam fatendum sit summa cum sollertia versatum esse. Etenim primum quidem, quod ipse in Arte Poetica v. 23. censuit *quidvis simplex duntaxat et unum esse* oportere, id inprimis etiam in carminibus lyricis diligentissime observavit. Habet enim unumquodque carmen non modo certum quendam animi sensum et affectum, qui per totum illud quasi diffusus est atque dominatur, sed etiam principalem aliquam sententiam, ad quam denique omnia atque singula tamquam solis radii ad ipsum solem referuntur. Inde igitur iudicium de cuiusque carminis consilio et argumento primario repeti oportet. Quod tamen interdum non adeo facile est. Callidissime enim poeta inprimis in celsioris spiritus carminibus eam quasi abscondidit et ipsis legentibus investigandam reliquit, quandoquidem in iis propter maiorem animi commotionem illam exornat potius magnificentius et poetice illustrat quam aperte declarat. Quocirca tum ita faciendum est, ut ea, quae primariae sententiae illuminandae inserviunt, cogitatione inter se connectantur, comparentur, denique in unum iungantur, quo facto haud

dubie futurum est, ut quid in quoque carmine summum sit atque ultimum, denique perspiciatur. In qua quidem re non inutile erit etiam aliud quid animadvertisse. Nam in didactici argumenti carminibus plerumque poeta etiam ita instituit, ut sententia primaria duplici fere ratione illustretur. Dum enim loci quidam communes tractantur vel e media vita vel ex sapientiae disciplina depromti, ut quum docetur, vitae felicitatem in uno animo sorte sua contento contineri, vitae bonis sapienter fruendum esse, iustitiam, fortitudinem, constantiam maximis dignam esse laudibus, et quae sunt id genus alia similia, simul etiam ipsius vitae veritatis ducitur ratio, quandoquidem poeta eiusmodi carmina fere amicis et familiaribus inscripsit ita, ut inprimis etiam eorum res et fortuna respiciantur. Quamobrem saepenumero non immerito dubitaveris, utrum primarium poetae consilium ad vitae necessitudines an ad sententiam, quam proposuit, communem referatur. Ita, ut hoc utamur, Carm. I. 4. ad L. Sextium perscripto docetur, carpenda esse vitae gaudia, quandoquidem et redeuntis veris amoenitas et vitae brevitatis cogitatio ad id cohortetur, simul autem L. Sextius admonetur, ut vita fruatur hilariter neque se tradat tristitiae et aegrimoniae. Utrum igitur potius esse arbitrabimur? Nimirum dicamus paucis, quid rei sit. Spectavit poeta in his sane Graecorum elegantiam, qualis inprimis etiam cernitur in dialogis Platonis, qua una eademque opera et vitae usurpandae et sapientiae observandae praecepta in illustriore luce ponuntur. Quippe utrumque istud, si verum fateri volumus, denique ad unum eundemque finem pertinet, estque alterum cum altero mente et cogitatione in unum connectendum. Sequutus enim Horatius utique hoc est, ut lyrica eius carmina ad unam aliquam ideam et mentis animique cogitationem comparata sint. Quamobrem nec errare videmur propriam illis esse iudicantes unitatis ac simplicitatis virtutem, qualis in unoquoque artis opere requiritur, cuius sibi conscium fuisse Horatium ex libri secundi epistolis luculentissime perspicias.

Iam vero illud quoque non dubitamus contendere et affirmare, etiam singulas carminum Horatianorum partes apte inter se nexas et coniunctas esse, ita ut principalis sententiae vel argumenti tractatio omnino quidem sollerter peragatur. Habet enim unumquodque Horatii carmen, si rem accurate aestimaverimus, dramatis alicuius instar initium, progressum et exitum, ita ut series sententiarum haudquaquam interrumpatur aut moleste interturbetur. Quamquam non existimandum est rerum commentationem in odis Horatianis esse eandem, quam in disputationibus dialecticis requirimus. Imo sententiarum rerumque tractatio lyricae poesis naturae et indoli convenienter liberius instituta est. Habet enim carmen lyricum omnino hoc sibi proprium, ut animi re quapiam propter dignitatis ac pulcritudinis speciem plus minusve commoti sensa et cogitata cantu affectus pleno libere expromat. Quapropter etiam, ut hoc in transcursu moneamus, apud veteres Graecos eiusmodi carmina revera ad modos lyrae, et mox etiam ad modos tibiae, canebantur, unde nomen ipsorum exortum est. Quippe fuit apud illos maxima poeseos cum arte musica coniunctio et necessitudo; de qua re v. praeter alios Liebel de Vita Archilochi. §. III. p. 8 sqq. Verum postea usus ille evanuit quidem, sed mansit tamen hoc, ut eiusmodi carmina affectus, motus ac sensus animi exprimerent ideoque cantui essent accommodata. Quam ipsam ob caussam etiam formam cantui aptam retinuerunt, etiamsi non amplius cantarentur. Id quod etiam ab Horatio ita factum esse novimus. Sed revertimur, unde data occasione paullisper defleximus. Habet igitur poesis lyrica hoc sibi proprium, ut ab animo pro-

ficiscatur affectus pleno et rerum magnarum aut pulcrarum sensibus commoto. Ex quo consequens est, ut oratio ipsius specie saltem minus adstricta sit severioribus illis sobriae mentis legibus, quibus in loquendo ac disserendo utimur, quamquam, si verum quaerimus, easdem illas ita tenet atque sequitur, ut liberius tantum iis utatur, utpote animi sensibus cum mente et ratione cognatis obtemperans. Quo nomine Horatius Graecorum lyricorum inprimisque Pindari sequutus rationem in celsioris quidem spiritus carminibus haec tria inprimis sibi permisit, ut et digressiones faceret, et sententiarum ordinem liberius commutaret, et vero etiam saltu quasi facto sententias intermedias, quae ad pleniorem intelligentiam proprie requirerentur, silentio transmitteret. Quae quidem omnia ita sunt comparata, ut carminis lyrici naturae atque indoli egregie conveniant. Nam digressionum quidem, quae Graece παρεκβάσεις vocantur, haec est ratio, ut mens vel animus tamquam inscius in re quapiam secundaria cum sententia primaria aliquid coniunctionis habente ita immoretur, ut ab illa denique longius discessisse et ab argumento proposito licentius divagatus esse videatur. Cuius rei exempla sunt Carm. I. 7. III. 13. al. Quarum quidem usus lyricae poesi convenientissimus est. Quippe oriuntur illae ultro atque sponte, sicubi animus sive vehementiore aliquo sensu commotus sive celsiorum rerum cogitatione repletus quasi invitus haeret in cognatis et affinibus sensibus et cogitationibus. Enimvero quemadmodum in sermonibus familiaribus fieri assolet, ut primariae rei disputationi interponantur earum rerum disceptationes, quae inter loquendum inprimis animum advertunt, ita etiam in carminibus lyricis accidit, in quibus eiusmodi digressiones eo magis locum suum tuentur, quo magis ab animi commotione proficiscuntur quoque plus valent ad collustrandum argumentum primarium. Iam vero quod ad commutationem ordinis sententiarum pertinet, huius quoque similis ratio est. Fit enim in carminibus elatioribus et grandioribus etiam sic, ut poetae animus subinde insolentiore aliquo motu concitetur ideoque ab aliis ad alia tamquam properet ac festinet. Quod sicubi fit, videntur saepe temere misceri sententiae atque commutato cogitatorum ordine ac tenore lubidinose confundi. Quam in rem satis erit attulisse Carm. III. 14. III. 24. III. 29. IV. 4. Enimvero habet hoc sine dubio fontem primarium animum rerum gravitate et magnitudine quasi oppressum, ut ferendo oneri impar videatur ideoque ab aliis ad alia praeceps feratur, cuiusque rei cogitationem tanto facilius ac lubentius arripiens, quanto ipsa praesenti ipsius affectui atque sensui est convenientior. Quod quis est quin ultro largiatur, lyricae poesi item maxime esse consentaneum? Nimirum mutatio ista sententiarum ordinis animi quidem commoti index est, nec vero ipsam sensorum et cogitatorum ordinem ullo modo aufert aut revera perturbat, quandoquidem quae concitatiore mente prolata sunt, ea certe interiore nexu et cohaerentia neutiquam destituuntur. Denique etiam in carmine lyrico ita fit, ut omissis iis, quae perspicuitatis et connexionis sententiarum caussa interponenda fuerunt, continuo subiungantur alia, quae non continuo expectaveris, ut quum omissa sententia generaliore, quae illustranda sit, statim afferuntur exempla, quae ad eam illuminandam valeant. Cuiusmodi transitio non inepte vocatur *saltus lyricus*, quandoquidem sicuti in eundo, ita etiam in cogitando, ubi omnia plene enuntiantur, pedetentim quasi progredimur, ut profecto saltus aliquis factus esse videatur, quum sententia aliqua intermedia silentio transmittitur. Huius vero rationis exempla apud Horatium sunt frequentissima, ut pigeat singula memorare aut ordine recen-

sere. Atque hoc quoque patet ea lege fieri, ut propter animum vehementius concitatum reticeantur, quae, ubi omnia perpenderis accuratius, sponte intelligi queant. Haec igitur atque similia artificia sunt, quibus Horatius in argumentorum tractatione usus esse reperitur, et quibus id effecisse iudicandus est, ut quantumvis sententiarum connexio saepe videatur laxior esse ac solutior, tamen omnis earum expositio maxima cum sollertia instituta esse iudicanda sit. Enimvero dubium certe non est, quin poeta in hac quoque re Graecorum lyricorum inprimisque Pindari artem rationemque ita sit aemulatus, ut nec proprii ingenii vires experiri intermiserit.

Sed satis haec pro consilio nostro de artificio et ingenii sollertia, quo Horatius in condendis carminibus lyricis usus est. Quibus expositis sponte intelligetur, quibus dotibus ac virtutibus ea insignia sint. Nec vero dubium est ipsum poetam in illis pangendis omni studio ad maximae perfectionis laudem eluctatum esse. Quamobrem etiam identidem generosa cum superbia sese gloriatur illis unis maxime hoc videri consequutum esse, ut apud omnem posteritatem sempiterna gloria floriturus sit, id quod ita facit inprimis Carm. II. 20. et III. 30. coll. IV. 9. Quin etiam Carm. I. 1., quo libros priores Maecenati dedicavit, aperte fatetur, futurum esse, ut summum sibi videatur attigisse felicitatis fastigium, si nomen poetae lyrici adeptus fuerit. Nec vero hoc ille iudicio falsus est, quandoquidem nomen ipsius nullo poematum genere magis inclaruit atque perpetuo laude usque recenti apud posteros viguit quam lyricis carminibus.[1]

Sed quum Horatius in odis scribendis maxima usus sit diligentia et ad summa quaeque elaboraverit, tamen non defuerunt, qui in his potissimum ipsius carminibus multa reprehenderent et castigarent atque adeo verae artis subtilitatem desiderarent. Censuerunt enim viri docti, in illis saepenumero iustam sententiarum connexionem neglectam esse, non raro intrusa reperiri inepta ac supervacanea, denique omnem eorum descriptionem atque compositionem magnis laborare difficultatibus neque arte vere poetica factam esse. Ita Henr. Homius[1] poetam nulla alia re magis peccavisse arbitratur, quam iustae sententiarum coniunctionis temeraria neglectione. Ier. Marklandus porro[2] tantam scribit esse Horatii obscuritatem, ut vix unum alterumve carmen plane sibi intellectum sit. Quibuscum consentit etiam Manso,[3] qui vel in praestantissimis Horatii odis nexum et cohaerentiam sententiarum saepius desiderari arbitratur. Nec vero aliter iudicaverunt qui nuper in carminibus Horatii turpes interpolationes sibi visi sunt reperisse, quibus sublatis demum ei censuerunt integram et intaminatam laudem poeticam restitutum iri. Inter quos primas partes tenet P. Hofmann Peerlkamp, criticus acutissimus, qui quum creberrime ineptam sententiarum repetitionem, pravam earum iuncturam et copu-

1 De praestantia poesis lyricae Horatianae quum aliis nuper aliter visum sit, tum singulare fuit iudicium Io. Harduini. Is enim in *Pseudo-Horatio* s. in *Animadversionibus criticis in opera Horatii*, quae ipsius *Operibus variis* (Amstelod. 1733. fol. editis) insertae sunt, p. 328 sqq. inclementius in Odas Horatii invehitur censetque non alium fuisse illarum auctorem quam stupidissimum aliquem monachum aetatis tenebricosissimae. Quod commentum graviter confutavit Adolph. Klotzius in *Vindiciis Horatianis*. Brem. 1764. 8., cui debetur etiam elegans disputatio: *De felici Horatii audacia*, in eius *Opuscul. varii argum.* p. 114 sqq. repetita. Sed Klotzio de quibusdam iudiciis controversiam movit God. Herderus in libro: *Kritische Wälder. 2tes Wäldchen*. Cui ille ita adversatus est, ut criticum istum sylvestrem, quem lepide vocat, vehementer corripuerit. Id quod fecit altera editione Vindiciarum, quas postea vocavit *Lectiones Venusinas*, Lips. 1770. 8. Contra Herderum disputavit etiam Schirach in libello: *Litterarische Briefe an d. Publicum*, I. Paquet. Epist. 9. et 10.

1 *Element. Crit.* Vol. I. p. 33. ed. Germ. Meinhard.

2 in *Epist. Crit.* Supplicibus Euripidis subiecta.

3 *Nachträge zu Sulzers Theorie der schönen Wissenschaften* Tom. V. p. 320 sqq.

lationem, magnam obscuritatem, alia vitia similia, in illis odoratus esset,[1] continuo plurimos locos ut spurios et ineptos eiiciendos statuit, ita ut Horatium prope ex Horatio sustulisse videatur, quinta ferme odarum parte nomini poetae ademta. De quibus quidem criticorum dubitationibus si nostram requiris sententiam, paucis respondere licebit. Etenim primum quidem magnopere veremur, id quod salva praestantissimorum virorum veneratione dictum sit, ne, qui ita censuerunt, ii arte Horatii lyrica non satis cognita et considerata de carminum eius compositione iniquius statuerint, quippe qui omnia potius ad dialecticarum legum severitatem quam ad lyricae poesis indolem et naturam, qualem poeta ipse animo suo informavisset, exegerint atque iudicaverint. Nimirum offensioni ipsis fuerunt in primis longiores illae digressiones, audaciores sententiarum traiectiones et commutationes, denique insolentiores ab his ad alia transitiones, quas tamen poetam vidimus dedita opera spectatum esse utpote poesi lyricae non modo consentaneas, sed plane necessarias. His vero rectius aestimatis certe alii critici et interpretes multo profecto aliter de virtutibus carminum Horatianorum statuerunt, quibus nos quidem fatemur nos adstipulari, ut paucissimis locis universorum carminum compositione atque singularum partium earum coagmentatione iure offendi nos existimemus. Praeterea vero etiam illud quid est, quod haud scimus an non viris doctis in iudicandis Horatii carminibus fraudem fecerit. Sunt enim carmina Horatii pleraque omnia artificiose composita, quippe cum poeta in iis condendis Graecorum exemplа ob oculos habuerit eumque vim et elegantiam tam magnae quam materiae habita ratione imitando exprimere voluerit. Quo poeta simul etiam tenuit rationem poesis, qualis Augusti aetate viguit, quae quum omnino non nativa, sed arte facta esset, tum etiam artificiorum rhetoricorum laudem studiosius captavit, usque dum denique tota fere in rhetoricam poesin abiret. Itaque sunt sane non pauca in Horatii carminibus studiosius quaesita; multa item aerumnosa diligentia composita; multa denique, in quibus pangendis poeta ingenii vicarium videtur habuisse operosiorem laborem. Neque enim praeter veritatem Carm. IV. 2, 28 sqq. sese professus est *apis Matinae more modoque grata carpentis thyma per laborem plurimum circa nemus uvidique Tiburis ripas operosa parvum carmina fingere.* Quamobrem neutiquam omnia libero animi spiritu fusa et integro mentis vigore prolata sunt; imo plurima videntur non sine difficultate edita, ut prope vultum nitentis referant. At enim vero etiamsi haec ita sese habeant, tamen ea neutiquam ita sunt comparata, ut aut unitatem ac simplicitatem universorum carminum auferant aut iustam singularum partium iuncturam et copulationem turbent vel impediant. Nimirum cernuntur ea in re vestigia artificiosioris Graecorum imitationis, quae etsi liberiorem ingenii impetum nonnihil retardavit, tamen quominus omnia legitime componerentur, minime impediit. Ex quo consequens est, ut non statim de verborum depravatione aut locorum interpolatione cogitandum sit, sicubi aliquid difficilius elaboratum videatur.[1] Denique etiam hac in caussa fas est meminisse eorum, quae praeclare scripsit Quintilianus Institutt. X. 1. p. 490. ed. Gesner. *Neque statim*, inquit, *legenti persuasum sit, omnia, quae magni auctores dixerint, utique esse perfecta. Nam et labuntur aliquando, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec*

Q. Horati Flacci Carmina. recens. P. nann Peerlkamp. Harlemi, 1834. 8. mai. f. p. VI sqq.

1 Ea de re egregie quaedam monuit Bernhardy in *censura Horatii Peerlkampiani*, quae inserta est diario: Berlin. Jahrbüch. f. wissensch. Kritik a. 1835. mens. Maii n. 91 sqq.

semper intendunt animum, et nonnunquam fatigantur, quum Ciceroni dormitare interdum Demosthenes, Horatio vero etiam Homerus ipse videatur. Nam ut Horatius in lyricis interdum lapsus sit et in egregio carminum corpore naevos quosdam adspersos reliquerit, tamen ideo ipsi venia potius danda, quam protenus omnis ingenii laus aut adeo scriptorum possessio eripienda est. Omnino autem tenendum, quod idem Quintilianus Institt. X. 1, 96. prudentissime scripsit: „*At lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus; nam et insurgit aliquando, et plenus est iucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax.*

Verum satis haec de carminum Horatianorum indole ac virtute. Pergimus ad alia, quae lectores Horatii novisse intersit. Quamobrem primum dicemus de horum poematum titulo vel inscriptione. Appellavit autem ipse Horatius lyrica poemata sua simpliciter *carminum* nomine, id quod patet ex Od. I. 32, 3. III. 1, 2. III. 30, 10. IV. 1, 24. IV. 3, 12. IV. 8, 11. IV. 15, 30. Epod. 9, 5. Epist. II. 2, 59. et II. 2, 90. Quamquam aliis locis *carmen* etiam sic dixit, ut quodvis poematum genus designet. Nimirum melica poemata eximie *carminum* nomine ideo insignivit, quia ipsa opponi voluit *Sermonibus*, hoc est Satiris et Epistolis, utpote secundum ipsius sententiam Sat. I. 4, 42 sqq. 48. et Epist. II. 1, 250. proditam pedestri orationi cognatioribus. Quamquam *carmina* opposuit etiam aliis poesis generibus, ut Epist. II. 2, 25. *Carmine tu gaudes, hic delectatur iambis.* Ibid. 90. *Carmina compono, hic elegos.* Itaque *carminum* nomen angustiore sensu ad lyricum genus arbitratu suo restrinxit. Ex quo colligi licet nomen *Odarum* a grammaticis demum inventum neque germanum esse, sicuti etiam Bentleio in Praefatione ad Horatii opera a se edita et Klotzio in Lectt. Venuss. p. 49 sqq. visum est. Nimirum grammatici *odarum* nomen adsciverunt, sine dubio ideo, quia illud clarius videretur horum poematum indolem ac naturam significare. Quam rationem per se minime contemnendam esse, nos quidem facile largimur, etiamsi alterum titulum unice verum ac genuinum esse nobis persuaserimus.

Iam vero his expositis sequitur tandem, ut etiam de temporibus disserendum sit, quibus carmina lyrica ab Horatio composita esse credibile est. De qua quidem re in universum quidem haud sane magna est dubitatio. Est enim propemodum certum et exploratum, origines ipsorum incidere fere in tempora inde a bello Actiaco usque ad a. u. 741. aut, si quis ita malit, ad a. 744. Id enim quum ipsa eorum argumenta verisimillimum reddant, tum etiam ex eo fit perspicuum, quod mutatione reipublicae demum atque Caesaris Octaviani principatu et imperio factum est, ut poeta mutatis pristinis scribendi consiliis iam poesin lyricam eamque melicam sibi inprimis colendam sumeret. Quod tamen ita dictum volumus, ut singula quaedam carmina ab ipso iam prius, inprimis ex quo animus eius ad partes Octavianas inclinare coepisset, composita esse largiamur. Quamquam ea videntur et numero pauca et argumento levia fuisse, quandoquidem poetam apparuit tum Satiris et Epodis scribendis unice dedisse operam. Itaque non multum certe a recto aberraveris, si carminum lyricorum scriptionem maxime inde ab anno 724., quo sine dubio scripta sunt illa Carm. II. 2, 27 sqq. I. 26, 5 sqq. I. 34, 14 sqq., ab eo celebratam esse statueris, praesertim quum nullum usquam carmen reperiatur, quod manifestas habeat superioris alicuius temporis notas, ut si quae iam antea scripta putantur, eius opinionis caussae non in certis rei argumentis vel testimoniis, sed in mera mentis suspicione et coniectura positae sint.[1] Discernendum autem dili-

1 Certe nec Weberus nec alius quis adhuc nobis persuasit Carm. I. 4. et 9. anno u. 714. Carm. III. 24. a. 716. Carm. I. 16. 19, 27. 28.

genter est tempus, quo singula carmina vel eclogae seorsum in lucem prodierunt aut cum amicis sunt communicata, ab eo tempore, quo eadem in unum corpus collecta atque evulgata sunt. Quippe dubitari certe nullo modo potest, primitus poetam singula carmina singulis opportunitatibus oblatis scripsisse scriptaque cum amicis atque familiaribus communicavisse, usque dum ea uno corpore coniuncta in vulgus emitterentur. Quaeritur tamen de editionis istius ratione, quae res sane multas habet dubitationes. Alii enim poetam *bis*, alii *ter* eiusmodi collectionem instituisse arbitrantur. Quippe fuerunt primum, qui ium putarent ab initio duos tantum priores libros seorsum in lucem misisse, tum aliquo intervallo ineriecto addidisse librum tertium; enique aliquanto post illis etiam uartum adiecisse. Alii contra ı ea fuerunt sententia, ut tres bros priores uno eodemque temore iunctim editos esse censerent, uibus denique post longius temoris spatium accesserit liber quarıs.[1] De qua sententiarum discreıntia si nostrum requiris iudicium, m paucis declaravisse iuvabit. identur enim nobis neutiquam mere statuisse, qui ab initio duos ntum libros priores coniunctim ulgatos esse censuerunt. Nam imum quidem liber secundus ilogum habet, quo poeta tamam perfecto opere vaticinatur minis sui immortalitatem. Priıs autem liber habet dedicatioın collecti operis Maecenati iniptam. Quin etiam tertius suo atque proprio utitur prologo pariter atque epilogo. Ex quo profecto verisimillime colligitur, poetam primum duo libros priores seorsum in lucem edidisse. Atque hoc sane tanto verisimilius ita statuitur, quoniam tertius liber tam artis ratione quam argumentorum delectu a duobus prioribus multum differre iudicari debet. Iam vero quae illis comprehenduntur carmina, eorum certe nullum est quod post annum 730. scriptum esse probabilibus argumentis evinci queat; imo demonstrari etiam satis certo potest, omnia ante a. 730. vel hoc ipso anno composita esse, id quod nuper a Frankio, Webero, aliis ita factum esse censemus, ut controversiis etiam de Carm. I. 20. II. 13. II. 17. III. 8. remotis nihil dubitationis relictum sit. Unum tantum restat, quod huic sententiae officere videatur, Carm. I. 3., Virgilio in Graeciam profecturo missum. Eum vero constat a. 735. Athenas profectum et mox praematura morte abreptum esse. Ex quo colligunt, priorum librorum editionem non potuisse antea perfici. At enimvero quidni Virgilius iam ante a. 735. aliquando id consilii agitaverit, ut Athenas inviseret? Nimirum est hoc sane tanto verisimilius, quod poetam Graecarum litterarum amantissimum plus semel potuit talis itineris suscipiendi capere desiderium, quodque Horatius, si fatale illud iter cecinisset, certe mox etiam obitum amici deploraturus erat. Itaque nos quidem in ea sumus sententia, ut, quum incerta sit huius carminis scribendi opportunitas, Horatii carmina duobus libris prioribus comprehensa a. 730. vel 731. seorsum evulgata esse existimemus, quippe cui sententiae et epilogus libri secundi et maior libri tertii perfectio fidem faciat.[1] Iam vero haec si probabi-

ı. III. 19. a. 717., Carm. I. 6. II. 7. III. 19. 8., Carm. I. 7. a. 719., Carm. II. 8. a. 720., n. I. 30. a. 721. scripta esse, quae opinio n sit instabilis, vel ex eo intelligitur, l alii eadem carmina ad tempora multo eriora retulerunt. Atque idem etiam de n. I. 5. 17. 22. 23. II. 16. III. 11. 22. 23. 28. iudicari oportet, quae Weberus ad 722. referenda censet, itemque de Carm. 14. 15. 32. II. 12. III. 29., quae ab illo untur a. 723.

De harum sententiarum auctoribus vel ısoribus v. Kirchner. Quaest. Horatt. ıqq. Iani Praefat. ad Hor. Carm. Vol. I. XIII.

1 Convenit ratio nostra quodammodo cum ratione Ricard. Bentleii, qui libri primi et secundi carmina intra a. 725—730. scripta esse censuit, ut facile appareat, eum et ipsum nullum carmen istorum librorum post a. 730. scriptum putasse.

liter disputata sunt, sponte consequitur, ut liber tertius postea aut seorsum prodierit aut data rei occasione prioribus adiunctus sit. Narrant enim Suetonius in Vita Horatii §. 10 sq. et Scholiastae ad Carm. IV. 1., Horatium tribus libris odarum iam editis aliquanto post quartum scribere occepisse, quippe ad id operis ab Augusto excitatum et tantum non coactum, qui victoriam Tiberii Drusique, privignorum suorum, de Raetis et Vindelicis reportatam ab eo laudibus celebrari vellet, ideoque tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addidisse. Quod si vere memoriae proditum est, tertius certe liber non cum quarto iunctus prodiit, quandoquidem hic solitarius in lucem emissus est. Iam vero si quaeritur, quando tandem tertius liber prodierit, magna regnat ea de re virorum doctorum dissensio. Nam qui eum iuxta cum duobus libris prioribus editum esse volunt, ii ipsum aut a. 735. vel 736. absolutum esse censent, in qua opinione plerique olim fuisse videntur critici et nuper quoque perseverarunt Kirchnerus[1] et Walckenaerius, aut illum iam a. 731. vel 732. una cum ceteris publicatum esse arbitrantur, quam posteriorem sententiam nuper defenderunt Car. Lachmannus,[2] Frankius,[3] Weberus[4] et qui hos sequuti sunt interpretes. Qui autem illum seorsum prodiisse censent, hi eum aut universe dicunt aliquot annis post duos priores libros editum, tempore non accuratius definito, aut iuxta cum iis, quos modo diximus, diverse statuunt, dum eum vel ad a. 732. vel ad a. 736. referunt. De qua re si nostram sciscitaris sententiam, videntur nobis illi, qui eius editionem ad a. 736. procrastinarunt, sane statuisse probabilius. Nam primum quidem huic sententiae illud minime officit, quod Horatius Carm. III. 19. Murenam ut novum augurem honorifice salutat, sicuti praeter alios putat Frankius,[1] plane improbabile esse existimans, Horatium Murenam, scilicet Proculeii et Terentiae fratrem, qui a. 732. contra Augustum coniurationem iniisset, in carminum libro quinquennio fere post edito ista ratione celebraturum fuisse. At enimvero non ibi intelligendus est L. Licinius Terentius Varro Murena, quem ob coniurationem contra Augustum factam a. 732. publica senatus auctoritate interfectum esse constat, sed Murena alius, fortasse Licinii Terentii Murenae frater, Caius ille Proculeius Varro Murena, eques Romanus, Augusti amicitia et liberalitate erga fratres clarus, de quo Horat. Carm. II. 2, 5. conf. de eo Burmann. ad Quinctil. VI. 3. IX. 3. Drumann. Gesch. Roms Vol. I. p. 496. Nec vero L. Licinium illum Murenam auguris dignitate fuisse ornatum aliunde constat. Itaque istud quidem argumentum nullius momenti est, planeque non efficit, quod inde effici voluerunt, ut tertius carminum liber ante a. 732. editus putandus sit. Nec vero illud magni momenti est ad eam sententiam confirmandam, quod Horatius de Marcelli obitu, qui a. 731. magno Augusti et universi populi luctu evenit, plane tacuit neque etiam mortem Virgilii a. 735. aut Tibulli a. 736. fato defunctorum lugubri carmine deploravit. Inde enim effici voluerunt, ut Horatius putandus esset trium librorum priorum carmina iam ante a. 731. et scripsisse et publicavisse, deinde autem diutius poesi lyrica abstinuisse, usque dum a. 737. fere ad eam denuo reverterit, id quod post Bentleium et Lachmannum inprimis Frankius[2] docere conatus est, cui praeter alios etiam Weberus adstipulatur. Nimirum speciosa sane haec argumentatio est, quae tamen non eam vim habet, ut libri tertii car-

1 Quaest. Hor. I. p. 8 sqq.
2 conf. Hallisch. Litteraturzeit. a. 1836. N. 110 sqq.
3 Fast. Horat. p. 51 sqq. et p. 186 sqq.
4 Horaz als Mensch u. Dichter p. 270 sqq.

1 Fast. Horat. p. 62.
2 Fast. Hor. p. 62 sqq.

mina ad illud tempus reiicere cogamur. Quippe videtur sane lyrica Horatii Musa inde ab anno 730. aliquamdiu conticuisse, id quod etiam ex eo coniicias, quod aliorum eventorum a. 731. et 732. atque etiam a. 733. et 734. nusquam in ipsius carminibus mentio iniicitur. Sed inde minime consequitur, ut liber tertius iam a. 730. vel 731. in lucem prodiisse existimandus sit. Imo nos quidem ex hac ipsa re colligi posse existimamus, illum inde ab anno demum 735. exeunte scribi coeptum ac postea editum esse. Quod quidem verisimiliter ita statui, non pauca sunt quae satis certo arguere videantur. Nam primum quidem seiunctionem tertii libri a duobus prioribus vel illud suadet, quod, sicuti iam antea significavimus, bini libri priores et unus liber tertius suos sibi habent prologos et epilogos. Deinde ertius liber universo colore suo duobus libris prioribus multum ane discrepat estque illis magnam erte partem perfectius elaboratus. orro epilogus libri secundi, si em accurate aestimes, ita compaatus videatur necesse est, unde oetam suspiceris, quo tempore um scripsit, sese opere lyrico in mne tempus perfunctum putaisse. Ex quo facilem habet exlicationem, si tertius liber odarum liquot demum annis post scribi oeptus sit. Ad haec vero accedit, uod non pauca carmina, quae rtio libro continentur, verisimius ad tempus inde ab a. 735. inequutum quam ad aetatem anno 30. antecedentem referuntur. Nam armen quintum libri tertii, ut hoc tamur, quod Frankius aliique ad a. 728. vel 729. retulerunt, argutis et ptiosis usi illi rationibus, ubi rem curatius consideraveris, certe non io tempore nisi anno 735. litteris nsignari potuisse videbitur. Quum im in eo memorentur signa militaet captivi a Phraate a. 734. Austo in Syria versanti remissi, Austus autem per dilogiam quandam praesens Romae designetur, qui anno demum 735. medio fere mense Octobri ex Asia illuc rediit, consequens est, ut carmen illud post medium mensem Octobr. a. 735. scriptum sit, sicuti dudum demonstravit Massonus in Vita Horat. p. 311 sqq. Similis vero ratio est carminis octavi libri III., quod minime referendum est ad a. 730., quum poeta neutiquam significaverit sese, propterea quod a. 729. ab infelici arboris casu salvus servatus sit, iam anno *proxime* insequenti solemnes epulas instituere velle. Nimirum celebravit potius diem illum etiam aliquanto post annuo sacrificio. Itaque quum vers. 17. Maecenatis civiles super urbe curae commemorentur, qui Caesare Octaviano per annos 732—735. absente urbi praefectus fuit, quum porro v. 21. vetus Hispanae orae hostis *sera* catena domitus dicatur, quum item v. 17. Daci revicti memorentur, qui teste Floro[1] anno 734. una cum Sarmatis aliisque Istri accolis reiecti a Lentulo sunt, quum denique etiam Medus sibi infestis armis dissidere dicatur, quod commodissime referri potest ad Phraatis, crudelissimi tyranni regnum, parum illud tutum, ut cives identidem contra eum rebellaverint[2]; nihil est profecto verisimilius, quam hoc quoque carmen exeunte demum anno 735. litteris consignatum esse. Atque eiusdem temporis vestigia etiam expressa cernuntur in Carm. III. 6, 9. III. 3, 43. et III. 29., quamquam alii haec quoque aliorsum trahi voluerunt. Sed hoc quidem utcunque sese habet, illud certe omnibus opinor erit perspicuum atque evidens, non posse editionem libri iam anno 731. factam esse. Atque haec sententia etiam aliis rationibus certissime confirmatur. Neminem enim praeteribit, non pauca in hoc libro reperiri poemata, quae morum emendandorum necessitatem demonstrant et futurum melioris disciplinae auctorem ut virum summis laudi-

1 IV. 12.
2 Dio Cass. LV. 23.

bus dignum praedicant. Quorsum pertinent decem fere carmina haec: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 16. 23. 24. 29. Ea vero, qui tertium librum iam ante a. 730. scriptum esse censent, pleraque omnia a. 726. vel 727. scripta arbitrantur,[1] propterea quod Caesar Octavianus iam tum de moribus emendandis cogitaverit. Sed magnopere veremur, ut ea ratio satis valeat ad demonstrandas istas horum carminum origines aut per se satis firma sit. Nam illud ut recte ita statuatur, qui tandem factum dicemus esse, ut Horatius ista carmina non statim primo aut secundo libro insereret, sed potius in tertium reiiceret, quem, si quid ex secundi libri epilogo colligere licet, ab initio ne scribere quidem constituisset? Deinde Caesar Augustus etiamsi iam a. 726. regimine morum legumque suscepto censum instituit, lustrum fecit, senatum legit, atque etiam de morum emendatione cogitavit; tamen potissimum inde ab anno demum 736. disciplinam publicam emendare et corrigere instituit, quo tempore ipsum etiam sapientissimas illas leges, sumtuariam, de adulteriis et pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus, alias scripsisse exploratum habetur. Itaque carmina ista Horatiana, de quibus diximus, potius ad a. 735. et 736. referri consentaneum est, quippe quibus poeta popularibus suis saluberrima Augusti consilia ita commendare studuerit, ut etiam ipsum simul egregiis laudibus ornaverit. Neque vero ullum eorum est, quod aliquid contineat, unde ipsorum scriptionem in aliud tempus incidisse certo demonstrari queat. Id quod de carmine primo, secundo, tertio,[2] quarto, quinto, sexto decimo, aliis, adeo est manifestum, ut disputatione plane non opus sit. Sed dubitatum de sexto est, quod plurimi cum Massono[3] ad annum 726. pertinere arbitrantur. At enimvero ne illud quidem continet quidquam, unde eius origines illuc referendas esse perspicue intelligatur. Nec vero ex vers. 9—12. ullo modo intelligitur scriptum illud esse antequam signa Romana a Parthis reddita essent. Consulto enim ibi poeta Romanos vetera mala admonet, quae ab imperii hostibus propter impietatem perpessi sint, et quibus isti etiam nunc laetentur. Quamobrem illi adhuc prae gaudio *renidere* dicuntur. Verisimile autem per se est, hoc quoque carmen plane eodem tempore scriptum esse, quo quinque priora, propterea quod cum his manifesto arctiore argumenti necessitudine continetur, idque tanto profecto verisimilius est, quod inde a vers. 17 sqq. aperte leges Iuliae quaedam a. 736. latae respiciuntur, quod posterius inprimis etiam de carmine vicesimo quarto ita iudicari oportet. Itaque nos quidem fatemur in ea esse sententia, ut librum tertium annis demum 735. et 736. elaboratum et confectum esse putemus. Cuius quidem libri indoles sanequam singularis est, quandoquidem inter carmina gravitate et severitate plena reperiuntur etiam multa, quae plane alius sunt generis. Nimirum videtur poeta ea pleraque omnia iam olim lusisse partim Graecos poetas imitatus. Quae quum diutius seposuisset, nunc eadem una cum carmine quarto decimo iam anno 730. in Augusti ex Hispania reditum composito non sine caussa idonea divulgare constituit. Non sine caussa, inquam. Agitavit enim ille, si quid coniicere possumus, tum rursus id consilii, ut tandem poesi lyricae in omne tempus valediceret. Quod quum satis clare appareat ex tricesimo carmine, quo continetur tertii libri epilogus, tum certius etiam cognoscitur ex Suetonio Vit. Hor. §. 10., ubi Augustus narratur scripta eius adeo probavisse et perpetuo mansura putasse, ut ei non modo carmen saeculare compo-

1 sicuti Lachmannus, Frankius, Weberus fecerunt, quos nuper interpretes et editores odarum plerique sequuti sunt.

2 quod propter nomen *Augusti* (v. 11.) ne potuit quidem ante a. u. 727. litteris consignari.

3 Vit. Horat. p. 190 sqq.

nendum iniunxerit, quod a. 737. edito libro tertio factum esse constat, sed ipsum etiam Vindelicam victoriam Tiberii et Drusi celebrare iusserit adeoque *coegerit* propterea tribus carminum libris *ex longo intervallo* quartum addere. Atque his expositis, quid de trium priorum librorum editione existimandum sit, satis iam demonstravisse videmur. Progredimur aliquando ad librum quartum, de quo paucis absolvere licebit. Consentiunt enim viri docti plerique omnes, carmina, quae eo continentur, scripta esse omnia intra annos 736. et 741. aut 744. Nam ea Bentleius a. 738—740., Kirchnerus a. 736—744., Frankius et Weberus a. 737—741. exarata esse arbitrantur; quibus nos ita adstipulamur, ut iudicium de tempore carminis quinti decimi omnium postremo scripti paullo aliter regendum statuamus. Putamus enim illud anno 741., nec vero 744. assignari oportere. Quod si ita est, liber quartus intra a. 735. et 741. scriptus esse iudicandus erit. Atque haec omnia si probabiliter disputata sunt, sponte tandem intelligetur, poetam inde ab eo tempore, quo primum se ad poesin lyricam studiosius colendam contulit, hoc est inde ab a. 724. usque ad a. 741. aut, si quis ita malit, quod tamen fatemur nobis minus probari, usque ad a. 744. lyricis studiis ita deditum fuisse, ut tantum inter duos libros priores atque librum tertium quinque ferme annorum spatium interiectum fuisse videatur, quo nihil lyrici cecinerit. Quo nomine dissentimus sane nonnihil cum Frankio et Bentleio, qui poetam per longius tempus inter a. 732. et 738. interiectum nihil quidquam lyrici composuisse iudicaverunt. Nimirum statuerunt illi aliquanto aliter de tertii libri natalibus, quem Frankius iam anno 731. vel 732. una cum duobus libris prioribus publici iuris factum esse censuit, Bentleius autem intra a. 731. et 732. scriptum existimavit, quum nos illum aliquanto post a. 731. vel 732. in publicum prodiisse censeamus. Cui sententiae etiam a Kirchnero defensae, sed ita tamen defensae, ut is etiam duos libros priores anno demum 736. una cum tertio in vulgus emissos esse statuerit, non veremur ne quis Epistolam libri primi tertiam decimam adversari existimet, quae sane eorum rationi plurimum officit, qui tres libros priores coniunctim posteriore demum tempore, hoc est anno 736., publici iuris factos esse putaverunt. Etenim primum Epistolarum librum a. 734. vel paullo post evulgatum esse certissime cognoscitur ex ultima libri illius epistola. Iam vero in epistola huius libri XIII. vers. 17. Vinius Asella iubetur signata volumina *carminum* ad Caesarem Augustum perferre. Enimvero cogitandum ibi sine dubio est de duobus tantum carminum libris prioribus, non item de tribus, ut alii statuerunt; quos quidem prius quam Epistolas editos fuisse ex Epist. I. 19, 32. ita intelligitur, ut ibi non opus sit etiam de libro tertio cogitare. Commoratus autem Caesar Augustus a. 730. et 731., quo tempore duo libri priores odarum confecti sunt, utique in Italia est, quandoquidem priore anno teste Dione[1] et consulatum gessit et legibus est solutus et imperium proconsulare perpetuum accepit, posteriore autem inde a die 27. m. Iunii tribunitiam potestatem perpetuam suscepit atque mox etiam Marcellum pro funere laudavit. Ex quo sponte intelligitur fieri sane tum potuisse commodissime, ut poeta carminum suorum modo in unum corpus collectorum volumen ad eum transmitteret.

Sed veniamus aliquando ad Epistolas Horatii, quas eadem fere aetate ab eo scribi coeptas esse, qua se ad melicae poesis studium converterat, quemadmodum mox videbimus, haud sane dubium aut controversum est. Eae vero si quaeritur ex quibusnam quasi primordiis progerminaverint, haud

1 Pag. 516. et 518. conf. Sueton. Aug. c. 28.

cunctanter respondemus, origines ipsarum tamquam radicibus suis in satirarum scriptione defixas haerere, quam poeta olim studiosius coluisset. Nam quod nuper fuit qui eas cum odis cognatiores putaret et lyrici esse generis censeret, utpote ab intimis animi sensibus profectas,[1] fatemur nos ab hac sententia longissime discedere. Nimirum habent certe cum satiris hoc commune, quod pariter atque illae iudicia poetae de vita communi atque moribus et studiis hominum patefaciunt ac declarant, quamquam id ipsum, sicuti mox videbimus, in iis paullo aliter fit quam in Satiris. Id quod unumquemque vel exigua docere potest consideratio argumentorum, in quibus tractandis versantur. Inserviunt enim prope omnes explicandis sapienter vivendi praeceptis, illustrandis variis hominum moribus, denique exponendis illuminandisque de arte poeseos et litterarum ingenuarum studio iudiciis, hoc quidem discrimine, ut prioris libri epistolae fere ethici sint generis, rarius litterarum studia attingant; posterior autem liber unice in rebus ad litteras maximeque poesin pertinentibus occupatus sit. Sed quum Satirae et Epistolae haud dubie iudicandae sint maxima inter se cognatione ac similitudine contineri, tamen eaedem etiam dissimilitudine quadam a se invicem distinentur. Quod tamen quatenus ita iudicari oporteat, viri docti saepe magis sensu percepisse, quam certo mentis iudicio exploratum habuisse videntur. Quamobrem de discrimine Satirarum et Epistolarum Horatianarum multum in utramque partem disputatum est, aliis nihil fere discrepantiae inter utrasque obtinere existimantibus, aliis contrarium statuentibus. Itaque iuvabit misso variarum de hac re opinionum examine continuo exposuisse, quid ipsi de re perquam controversa sentiamus, si forte ita fieri possit, ut una eademque opera etiam indolem ac naturam Epistolarum Horatii in clariore luce ponamus.

Itaque primum quidem materiam si spectamus, in qua tractanda Horatianae Epistolae versantur, pertinent illae non tam ad taxandos et ridendos perversos aequalium mores atque studia, quamquam subinde item habent urbanam quandam irrisionem atque cavillationem, quam potius ad prodendam illustrandamque propriam ipsius poetae sapientiam et sentiendi iudicandique rationem diuturniore vitae usu collectam, quandoquidem in iis fere moralia atque litteraria proponuntur praecepta, quibus aequalium studia et consilia sapienter regantur. Agit igitur Horatius in Epistolis suis omnino hoc, ut homines instruantur sapientiae opibus atque moneantur et edoceantur, quid in vitae actione atque in litterarum studiis bonum, verum et pulchrum sit. Quocirca in illis fere expressa cernitur mitis cuiusdam sapientiae institutio ac disciplina, non tamen aversa illa a faceta et urbana iocandi ridendique hilaritate, neque plane aliena ab urbana irrisione, qualis dominatur Epist. I. 19., ubi duplex hominum genus, alterum malevolorum obtrectatorum, alterum servorum imitatorum, satis acriter corripitur. Enimvero hanc quidem iocandi ridendique consuetudinem propriam fuisse poetae ingenio, etiam cetera eius poemata loquuntur, ut prope a semet ipso descivisse iudicandus esset, si ea in Epistolis desideraretur. Sed quamquam passim istiusmodi sales orationi admixti sunt, tamen omnino certe in Epistolis moderatam quandam sapientiae disciplinam regnare nemo facile infitias iverit. Quin sunt etiam nonnulla ipsius epistolia ita comparata, ut plane ad vulgarium epistolarum usum et consuetudinem accedere videantur. Quorsum pertinet epistola illa Lib. I. 13., cuius modo mentionem iniecimus, qua poeta iocose admodum Vinio

1 Obbarius Commentar. in Horat. Epist. I. 1. p. 24.

Asellae praecipit, quomodo carmina sua Augusto decore tradenda sint; quam epistolam nos quidem fasciculo carminum ad Augustum misso per lepidum iocum adiunctam, non ad Asellam missam fuisse arbitramur, ut Augusti potius quam tabellarii gratia scripta censeri debeat. Eodem quodammodo pertinet Epist. I. 4., qua quanti Tibullum faciat et quo amore eum amplectatur, ita declarat, ut illum simul ad vitam laete hilariterque fruendam cohortetur. Atque huic simillimae sunt etiam Epistolae 8. et 9. libri primi. Iam vero haec si vere sunt animadversa, sponte, opinor, intelligetur, epistolas Horatii sane ab ipsius satiris argumento suo aliquantum differre, ut frustra fuerint, qui hoc nomine utrarumque discrimen ullum obtinere negarent.[1] Quid quod hac in parte vel satirae illae, quae habent Maecenatis alloquutionem ideoque epistolis videntur simillimae, Sat. I. 1. et Sat. I. 6., ab harum ratione aliquantum recedere existimandae sunt.

Iam vero hoc quum poetae in exarandis his carminibus fuerit propositum, ut suas ipsius de vita atque litterarum studiis opiniones ac iudicia expromeret et cum popularibus suis communicaret; tum prudentissime eam delegit illis speciem atque formam, quae isti consilio quam maxime conveniret. Itaque primum quidem iis epistolarum formam tribuit. Inscripsit enim singula singulis hominibus, quibuscum aliqua coniunctus esset necessitudine, cum iisque de rebus ad disceptandum delectis ita confabulatus est, ut speciem verarum epistolarum prae se ferrent. In quo nemo dubitabit, quin etiam prudentem cautionem in deligendis iis adhibuerit, ad quos istas epistolas suas misit. Hoc autem artificio sollertissime sane excogitato rursus illud est consequutus, quod etiam in multis odis ab eo factum est, ut duplex fere propositum in singulis elaborandis sequutus esse videatur, quandoquidem et vitae externae necessitudines ob oculos habuit certosque homines de sua animi sententia mentisque iudicio edocere conatus est, et maturioris sapientiae fructus in lucem publicam studuit educere, quibus aequales sui ad rectum vitae artisque poeticae iudicium perducerentur. In quo quantum venustae elegantiae cernatur, vix attinet copiosius demonstrare. Nam quum epistolarum argumenta ista ratione dupliciter spectanda sint, siquidem et ad vitam hominum et ad virtutis vel artis rationem referuntur, mira inde profecto oritur cuiusque poematis gratia, qua legentium animi vario ac multiplici modo oblectentur, mulceantur ac teneantur prorsus necesse est. Sed de hoc quidem poetae artificio paucis monuisse sufficiet. Intelleximus igitur ex iis, quae hactenus disputata sunt, epistolarum Horatianarum proprium atque privum esse hoc, quod in iis poetae iudicia de rebus moralibus ac litterariis, iisque maxime poeticis, epistolari forma atque specie palam proferuntur et poetice illustrantur.

Inde vero etiam aliae illarum dotes ac virtutes facili negotio iudicari aestimarique poterunt. Etenim omnes certe consentiunt etiam maiorem quandam in illis reperiri lenitatem, mansuetudinem, urbanitatem denique, quam in satiris expressa sit. Nempe in his carpitur fere morum studiorumque perversitas; ridetur lubido et pravorum consiliorum stultitia; perstringitur denique errorum et vitiorum turpitudo. Quod quamquam non fit iracunde et acerbe, sed iocose atque urbane, tamen omnia denique ad castigandi ridendique consilium referuntur. In illis contra poeta vel comem se praestat virtutis magistrum vel benevoli amici partes agit, vel etiam familiaris alicuius personam sustinet, qui cum aliis de variis rebus suaviter hilariterque confabulatur. Itaque manifestum esse puta-

1 ut Weichert: Lectt. Venuss. p. 64 sqq. et Manso: Nachträge zu Sulzer p. 481.

mus, etiam orationis colorem in epistolis atque satiris regnantem ita esse diversum, ut in illis sit aliquanto lenior, temperatior, moderatior, prouti consilium tulit, quo utraeque litteris sunt consignatae. Cuius diversitatis caussas etiamsi non temere statuerimus in maturiore poetae aetate quaerendas esse, cuius caussa sese ipse identidem ait iam nunc ludicris positis illud potius curare, ut quid verum sit atque decens discat et cognoscat (Epist. I. 1, 4—6. 8. 99. I. 14, 36 sqq. 103 sqq. 129 sqq. I. 18, 96 sqq. coll. II. 2, 210 sqq.); tamen easdem illas non minore profecto iure in eo positas esse iudicabimus, quod poeta mutatis temporum rationibus etiam studia sua et scribendi consilia mutanda esse arbitratus est. Hac enim caussa permotus deposita aliquando animi acerbitate et aegrimonia, quam temporum superiorum iniquitas ac tristitia attulisset, stilum acriorem temperavit ad maiorem lenitatem, ita ut cum aequalibus, quibus antea perversitatem morum ac studiorum exprobravisset, ut comis et humanus morum artisque magister agere inciperet. Regnat igitur in epistolis non modo maior quaedam sensuum iudiciorumque gravitas atque dignitas, verum etiam elegans atque suavis docendi monendique lenitas atque urbanitas et in maxima dicendi libertate prudens quaedam moderatio cum amabili animi candore et hilaritate coniuncta. Recludit enim poeta ubique interioris animi sui sensus atque pectus amicis offert non acrimonia aut acerbitate agitatum, sed plenum ac refertum caritate benevolentiae. Quemadmodum igitur Horatius inde ab a. u. 725. missa aliquando epodorum scriptione animum suum ad odas scribendas appulit, ita tum etiam satirarum dicacitate et acerbitate temperata ad lenius epistolarum genus accedendum sibi esse iudicavit. Cui quidem ipsius consilio sanequam mirabiliter epistolarum ratio congruit. Est enim proprium epistolarum familiarium cum amicis loqui amice et humaniter. Quamobrem poeta sollertissime ita instituit, ut omnem orationem non modo ad eorum hominum, quibus scripsit, ingenia, mores et fortunam attemperaverit, verum etiam per omnia urbanitatis, lenitatis atque iucunditatis laudem sectatus sit. Nimirum hoc ipsum consilio illi monendi, hortandi, docendi, quo epistolae scriptae sunt, egregie convenire sponte intelligitur. En igitur, tertium quiddam iam invenimus, quo epistolae a rationibus satirarum diversae esse haud dubie iudicandae sunt.

Ad haec vero accedunt etiam alia utrarumque discrimina haud sane exigua atque animadversione dignissima. Nam quum epistolae amabili sapientia pariter atque singulari humanitatis urbanitate insignes sint, tum huic ipsarum indoli atque virtuti etiam color orationis atque usus numerorum attemperatus est.[1] Nam quum in iis severioris sapientiae gravitas regnet, tum ne dictio quidem et eloquutio caret maiore dignitate atque gravitate, ut petulans illa dicacitas et lasciviens oratio satirarum ab iis omnino absit, quamquam hilaritas amici urbane iocantis aut cavillantis neutiquam in ipsis desideratur. De qua re verissime Lambinus:[2] „Epistolae et satirae," inquit, „non eodem stilo mihi videntur scriptae esse. Hae enim (satirae) non solum humili sed etiam orationi solutae simillimo, verum etiam faceto, urbano, mordaci genere verborum textae sunt; epistolae vero, quamvis quotidiano illae quoque sermone et verbis de medio sumtis ac petitis magna ex parte constent, quemadmodum debent epistolae; tamen ea urbanitate, iis salibus, eo denique aceto, ut ita dicam, quo satirae imbutae sunt, carent, ut omittam, quod earum nonnullae

1 De numeris v. Hermann. Doctr. Metr. p. 353. Kirchner. Praef. ad Sat. p. 32. Düntzer. Kritik der Horaz. Gedichte IV. p. 43 sqq.

2 Commentar. ad Sat. I. 1. in.

aullo sunt elatiores atque orna-
ores et quibusdam verborum ac
ntentiarum luminibus illustrio-
es.“ Nimirum hanc rationem quis
ndem est quin familiaribus litte-
is, quarum speciem epistolae Ho-
tii prae se ferunt, plane conve-
ientem esse largiatur?

Atque haec si recte disputata
nt, certe etiam concedatur ne-
esse est haud parvum inter episto-
s atque satiras Horatianas discri-
en intercedere, quandoquidem
m materia quam forma sua inter
discrepant non mediocriter.
uamquam utraeque etiam pro na-
rae suae ratione multa habent
mmunia. Quorsum pertinet in-
imis hoc, quod utraeque sermo-
s vitae quotidianae imitantur
oque repentinas disputationis
nversiones audacioresque sen-
ntiarum connexiones admittunt;
od habent orationem variis figu-
s et artificiis dicendi similiter or-
tam et quasi animatam; quod
binde utuntur interrogandi et re-
ondendi vicibus, quasi res ipsa
atur, non disputatione exquira-
; quod crebris distinctae sunt
ulis ac lepidis narratiunculis.
imvero conveniunt sane haec
nia in utrumque hoc genus poe-
tum. Quamquam vel in his re-
s epistolis maiorem quandam
derationem ac simplicitatem pro-
am esse liquet. Sed haec utcun-
sese habent, unum tamen utris-
per omnia commune esse dubio
et. Sunt enim epistolae pariter
ae satirae Horatii sine dubio pro
fectis artis operibus habendae,
ppe in quibus nec unitas ideae
expositionis varietas, nec artifi-
a partium compositio nec con-
nationis absolutio et perfectio
iam desideretur. Nam epistolae
que, quantumvis saepe levior
videatur sententiarum iunctu-
que connexio, adeoque sermo
fica licentia ac varietate huc et
feratur, tamen unum semper
mentum unamque sententiam
uam primariam sibi subiectam
nt; semper ita comparatae
sunt, ut in summa varietate rerum artis legum memores maneant; denique unum finem habent propositum, ad quem denique omnia ac singula ita referuntur, ut materia cum forma ipsarum ac vicissim forma cum materia egregie consentiat, exeatque postremo singularum veluti corpus aliquod venustum, quod praeclaro animo animatum perfectae artis veluti simulacrum exhibeat.

Sed haec satis sunto de necessitudine epistolae et satirae Horatianae. Quibus explicandis simul id effecisse videmur, ut tandem virtutes ac proprietates epistolarum, quae poetae debentur, facilius cognoscantur. Facile autem est ad intelligendum, Horatium in hoc quoque poematum genere elaborando, sicuti in epodis, satiris et carminibus lyricis fecit, id spectavisse, ut litteras Romanas novo quodam poesis genere locupletaret. In qua re num quae aliorum legerit vestigia, difficile dictu est. Graecos certe auctores non videtur sequutus esse. Itaque verisimile est, ipsum, sicuti fecit in satiris, rudia quaedam poesis epistolaris inter Romanos exortae elementa ob oculos habuisse eaque ad artis normam atque regulam ita perpolivisse, ut satirarum artificio huc traducto novum poesis genus inde effingeret. Certe ante Horatium alios quoque Romanorum epistolas versibus conscripsisse, veluti Q. Ciceronem, Marci fratrem, de quo v. Corradi Quaest. p. 278. ed. Lips., et Mummium illum Achaicum, ex Cicerone Epist. ad Attic. I. 13, 7. XIII. 6, 4. constat. Sed istud quidem quoniam deficientibus rei documentis non potest ad maiorem quandam explicari probabilitatem, satis erit, quid rei sit, verbo indicavisse.

Progredimur ad inscriptionem epistolarum. Et *sermonum* quidem nomen in epistolas quoque convenire, nemo, opinor, dubitabit, qui quasnam ob caussas poeta satiras quoque suas ita appellandas putaverit, bene meminerit. Nam con-

tinent sane etiam epistolae familiares cum amicis sermones, quamvis alio modo scriptos. Nec vero dubitari licet, quin ipse poeta illas *sermonum* nomine insigniverit, ut iam supra ostendimus; v. Epist. II. 1, 250. Quamquam longius processisse iudicandi sunt, si qui id ab ipso Horatio in earum editione ita factum esse iudicaverunt.[1] Est enim potius credibile, Horatium, quum epistolarum scriptionem non tempore tantum sed etiam materiae et formae ratione a satiris distinxisset, id ipsum etiam inscriptione operis indicari voluisse. Quamobrem nec *satirarum* nomen epistolis tribuisse videtur, quantumvis eo constet postera aetate etiam epistolas notari consuevisse. Ita enim Sueton. Vit. Horat. extr. „*Habitu corporis brevis fuit atque obesus, qualis a semet ipso in satiris describitur*" ubi manifesto respicitur locus Epistol. I. 20, 24. Sidon. Apollinar. Carm. IX. 223. *Non quod per satiras, epistolarum sermonumque sales, novumque epodon, libros carminis ac poeticam artem — voluit sonare Flaccus.* Quintilian. X. 1, 94. Nimirum quo iure etiam epistolae potuerint satirarum insigniri nomine, ex iis, quae supra de urbanitate et hilaritate per eas diffusa disputata sunt, sponte appariturum esse speramus. Restat igitur adhuc, ut de nomine *epistolarum* quaerendum sit. Id vero nos quidem non dubitamus quin ab ipso Flacco profectum sit. Nam primum quidem perquam est credibile, ipsum poetam epistolarum collectioni utpote a ceteris carminibus multum diversae peculiarem fecisse titulum. Deinde externa horum carminum forma ac species epistolarum nomen sibi paene efflagitavit, quae quum singulis hominibus inscriptae sint, ecquis est qui sibi persuadeat ipsum poetam ea communi *sermonum* nomine appellaturum fuisse? Porro Flaccus ipse *epistolarum* nomine usus est Epist. II. 2, 22. *ne mea saevus iurgares* (officia) *ad te quod epistola nulla veniret. — — Quereris super hoc etiam, quod exspectata tibi non mittam carmina mendax:* ubi procul dubio cogitandum est de epistola poetica, quandoquidem opponuntur epistolae *carmina*, i. e. poemata lyrica. Accedit ad haec, quod et grammatici, veluti Priscianus et scholiastae ad Sat. I. 1. et vetustissimi codices nomen *epistolarum* constanter tuentur. Quam inscriptionem unde tandem repetendam censebimus nisi ab ultima antiquitate? Denique vero etiam illud reputandum est, de quo iam monuimus in superioribus, probato *epistolarum* titulo commode inter se opponi *satiras* atque *epistolas*, dum *sermonum* nomen ab ipso poeta utriusque generis carminibus ob similitudinem cum vitae quotidianae confabulationibus haud sane inepte tribui potuit. Quae quum ita sint, neque *sermonum* nomen spernendum videtur, neque *epistolarum* inscriptio reiicienda, quippe quae his poematis eo consilio imposita est, ut facilius a *satiris* distinguerentur.

Sed satis haec de epistolarum inscriptione. Progredimur ad considerandas earum primordia et editionis tempora. Et de tempore quidem, quo liber primus in lucem prodierit, nostro certe iudicio non multum ambigi potest, licet hac quoque in caussa viri docti nonnihil inter se dissentiant. Nam Bentleius quidem primum librum editum esse statuit a. 736., Kirchnerus autem atque Walckenaerius eum anno demum 739. in publicum exiisse censuerunt. At enim vero nemo facile, opinor, dubitabit, quin epistola vicesima sive ultima totius libri epilogi instar sit. Ibi vero poeta sese fatetur, quo tempore totus liber in publicum proditurus fuerit, *quater undenos implevisse Decembres*, Lollio et Lepido coss., h. e. anno u. 733. Agebat igitur tum annum aetatis quadragesimum quintum, ut liquido appareat scriptam esse illam epistolam a. u. 734.,

[1] ut Heinrich: Explanatt. Horatian. prooem. Kilon. 1808.

iusquam poeta idus Decembres deuntes vidit. Ex quo tutissime lligi licet, eum epistolarum libri imi editionem aut iam a. 734. aut ltem a. 735. ineunte paravisse. iod si ita se habet, necessitate ıadam inde efficitur, ut omnes omno libri primi epistolae ante eum num scriptae putandae sint. Nec ro ulla est illius epistola, quae n ante annum 735. potuerit litte- consignari, quum inter eas non ucae reperiantur, quarum origi- ı sine dubio ad annum 734. refeıdae sunt, ut ep. III. VIII. XII. X. XX. ac secundum Frankium ım V. IX. XVIII. Minime omm autem huic rationi adversatur stola libri prima, quam perpe- ı Obbarius non ante a. 736., Weirtus et Grotefendius a. 737., ldkenaerius a. 738., Kirchnerus 739. scriptam esse censuerunt, ppe statuentes illi, tres priores rum libros, ad quos ab initio ıs epistolae respiciatur, anno ıum 736. vel 738. publici iuris os esse, adeoque inde conclutes ne totum quidem hunc epiarum librum ante a. 739. evul- potuisse. At enim vero res e aliquanto secus habet. Niım vere nobis videmur in supebus ostendisse, Horatium duolibris prioribus odarum anno vel 731. absolutis atque in vulemissis id consilii agitavisse, liquando poesi lyricae valedi-, ideoque ab eo inde tempore annos complures nihil quidı melici edidisse, usque dum 5. tertio odarum libro scribenl illam redierit. Huc vero per- epistolae primae initium. n enim Musa Horatii lyrica eo liximus tempore conticuisset, ıellavit Maecenas amicum de misso lyricae poesis studio, ue exhortatus est, ut rursus generis carmina pangeret. ille ita detrectat, ut primum ım iamiam maturiorem excudeinde etiam mutati consilii ıem ostendat, qua missis alilo ludicris unice sapientiae vacare decreverit, non quidem scholasticae illi, sed potius ei, quae spretis scholarum formulis perpetuo illud anquirat et circumspiciat, quod ad vitam bene beateque degendam conducat. Quae quidem commodissime a. 734. vel etiam 733. ita scribi potuisse, quis quaeso est qui negare audeat? Enimvero agebat tum Horatius utique annum aetatis quadragesimum quintum aut sextum, ut recte iam de ingravescentis aetatis tarditate conqueri potuerit, praesertim quum imbecilliore valetudine uteretur.[1] Atque haec quum ita sese habeant, etiam hinc robur atque firmamentum nostrae accedit sententiae, quam supra de tertii libri odarum editione a duobus libris prioribus seiuncta ac separata prodidimus. Etenim verisimile nobis ex prima ista epistola fit, Maecenatis inprimis precibus effectum esse, ut poëta rursus inde ab anno 735. ad lyrica redierit atque inprimis etiam Augusti consilia de morum ac disciplinae emendatione tum agitata carminibus suis commendare et adiuvare studuerit. Sed hoc quidem ut in medio sit relinquendum, utpote in mera positum coniectura, tamen illud quidem extra dubitationem collocatum esse putamus, primum epistolarum librum a. 734. absolutum et mox in publicam lucem editum esse. Iam vero si quaeritur, quando scriptio eius inchoata sit, magnopere veremur, ut quidquam certi ea de re pronuntiari possit. Illud unum nobis videtur non esse dubium, epistolam tertiam decimam iam anno 730. vel 731. scriptam esse, quo tempore poeta duorum priorum librorum lyricorum recens collectorum fasciculum ad Augustum transmisit. Si tamen etiam coniecturae hac in caussa aliquid tribuendum est, videntur sane haec poemata omnia illi temporis spatio assignari oportere,

1 De epist. X. errarunt qui eam inter a. 734—742. scriptam putarunt. Quasi vero ulla huius libri epistola ultra a. 734. poni possit!

quod inter libros duos odarum priores atque tertii libri initium interiectum fuit, h. e. annis 730—734., id quod etiam ex iis fit versimile, quae poeta de studiorum suorum ratione illo tempore instituta profitetur epistola prima, de qua modo dictum est, inde a vers. 10 sqq. Atque haec quidem de libro epistolarum priore. Sequitur, ut etiam de posterioris libri temporibus dicendum sit. De qua quidem re licebit nobis esse brevissimis, quandoquidem hoc unum pro certo affirmari potest, scriptum et editum eum esse post a. 734. et epistolam eius primam post carmen saeculare a. 737. esse compositum, quippe ad quod vers. 130 sqq. respici videtur. [1] Quamquam ceteroquin perquam verisimilis est Massoni sententia, qui epistolam ad Augustum a. 744. exeunte sive ineunte a. 745. litteris exaratam esse argumentis sanequam probabilibus demonstrare conatus est. [2] Omnino autem sic videtur existimandum esse, ut Horatius, quemadmodum librum primum epistolarum inter a. 730. et 734., quo tempore a poesi lyrica abstinuit, composuisse videtur, ita librum epistolarum secundum absoluto demum quarto odarum libro inde ab anno 741. litteris consignavisse putetur. Id quod fere etiam visum est Bentleio et Kirchnero, quorum alter secundi libri epistolas intra a. 740—746., alter easdem intra a. 743—746. scriptas arbitratur. Atque hac sententia nobis utique videtur acquiescendum esse. Restat igitur una *ars poetica*, de qua explicandum sit. Eam vero epistolis annumerandam esse minime dubium est, quamquam non modo *Epistola ad Pisones* inscribitur, sed etiam vocatur *Liber de arte poetica*, quo nomine utitur Quintil. VIII. 3., vel *Ars poetica*, ut apud Priscianum VI. 16. XVIII. Quod si ita est, librum consentaneum est iisdem fere temporibus scriptum esse, quibus posterior epistolarum liber litteris exaratus est. Agit enim item de re literaria. Quamobrem mirari sane subit origines eius a Weicherto Lectt. Venuss. p. 512. ad a. 731. referri, quo tempore poetam de artis poeticae ratione nihil dum aut cogitasse aut exposuisse credibile est. Probabilius igitur Kirchnerus et Walckenaerius eum anno 745. vel 746. assignandum censuerunt. Quamquam fatendum est in ipso opere nihil quidquam reperiri, unde tempus ipsius natale certius definiatur. Quocirca hic quoque mera coniecturae verisimilitudine acquiescere cogimur.

Iam vero his expositis iuvabit aliquando veluti summam eorum fecisse, quae hactenus de variis Horatii studiis et de poematum ipsius temporibus copiosius explicata sunt.

Bina igitur illorum statuimus tempora, quandoquidem poeta *primum in scribendis epodis atque satiris* elaboravit; *deinde* autem *componendis carminibus lyricis atque epistolis* operam dedit. Quod quidem ita fecisse iudicandus est, quia temporum communium mutatio etiam studiorum ipsius mutationem attulit. Prodierunt autem nostra sententia scripta eius hoc ordine:

I. Epodi, inde ab a. 713. usque ad a. 724. scripti et coniunctim a. 724. evulgati.

II. Satirae, inde ab a. 713. usque ad a. 726. elaboratae, quarum liber I. a. 720., sed liber II. a. 726. vel 727. editus est.

III. Carminum libri duo priores paucis exceptis inde ab a. 724. usque ad a. 730. scripti, editi autem a. 730. vel 731.

IV. Epistolarum liber primus, inde ab a. 731. usque ad a. 734. scriptus, atque a. 734. exeunte vel ineunte a. 735. editus.

V. Carminum liber tertius, a. 735—736. susceptis simul pristinorum temporum lusibus confectus et

1 v. Schmid. in edit. epist. Vol. II. p. 7. et 159. Weichert: De Var. et Cass. p. 165 sqq.

2 in Iano Reserato Sect. III. c. 8. §. 12. p. 210—216. et in Vita Horat. p. 360 sqq. Massoni sententiam confirmarunt etiam Dacierius Vol. IX. p. 30 sqq. Sanadon. Vol. VI. p. 348 sqq. et Weichert: De Var. et Cass. p. 165—168.

a. 736., fortasse rursus una cum duobus prioribus libris, editus.
I. Carminum liber quartus, intra a. 736—741. aut secundum alios 744. scriptus et a. 741. aut 744. evulgatus.
II. Carmen Saeculare a. 737. scriptum atque editum.
III. Epistolarum liber secundus, verisimiliter scriptus intra a. 741. et 746. ac deinde editus.
X. Ars poetica, non ante a. 741. scripta.

Hic igitur secundum nostram sententiam ordo est, quo sese Horatii scripta exceperunt; haec sunt tempora, quibus et nata et cum hominibus eruditis communicata sive foras in lucem publicam emissa sunt. Nolumus tamen legentibus eorum invidere notitiam, quae alii critici nobiliores de his rebus senserunt partim a nostra ratione plurimum diversa. Quae quidem hac tabula iuvabit sub uno veluti conspectu collocavisse:

	Bentleius.	Sanadon.	Kirchner.	Franke.	Walckenaer.	Weber.
atir. I.	715—717	711—724	713—726	714—719	712—724	714—719
atir. II.	720—722	724—726		720—724	713—726	717—726
podi	723—724		713—724	713—724	714—723	712—724
dar. I.	725—727		edit. 733		edit. post 746	
dar. II.	729. 730	714—738	715—736	724—731	715—735	714—732
dar. III.	731. 732			vel 732	720—736	
dar. IV.	738—740		736—744	737—741	715—744	733—741
pistol. I.	735. 736	720—734	727—739	730—734	730—739	727—734
pistol. II.	740—746	734—746	743—746	post 737	743. 744 edit. post 746	741—743
s poet.	740—746	730	745. 746	incert.	745. 746	734 vel postea

lii, ut Th. Obbarius et H. Düntzeduos priores libros odarum soprodiisse censent a. 730., quo ine nobiscum consentiunt; ter- autem librum a. 731. vel 732. licatum esse volunt, in quo um iis sane dissentimus, quippe tertium librum aliquanto post ublicum prodiisse nobis perimus. Sed haec quidem hacs. Transgredimur ad alia. Sust enim adhuc, ut de ingenio, o et moribus Horatii quaedam rse admoneamus.[1] Quod quiita facere consultum erit, ut um de nativa animi ingeniiindole, qua praeditus fuerit, le de ipsius iudicio de vita saer moderanda ac degenda, le eius moribus dicamus, quo etiam quae de externo eius u tradita sint, paucis expo. Quae tamen omnia breviter tantum perstringemus, praesertim quum pleraque omnia vel ex iis, quae hactenus de vita eius atque studiis sunt enarrata, nullo negotio cognosci possint.

Itaque nativam animi indolem poetae si quaerimus, fuit ille eo animo atque sensu praeditus, qui facile in utramque partem moveretur ideoque etiam *celer irasci*, ut ipse ait Epist. I. 20, 25. Quocirca dolet et gaudet; irascitur et laetatur; indignatur vitiis, virtutibus gaudet; vitae voluptatibus indulget, ac severus est rigidusque virtutis satelles; omnino autem proclivis ad mollitudinem est, dulcis, suavis, urbanus. Quamobrem etiam semper temporum inserviit rationibus suumque de illis iudicium varie mutavit et inflexit. Nam grassantibus bellis civilibus et fluctuante adhuc republica succensuit vitiis et flagitiis publicis; iratus est communi turpitudini; deploravit temporum miseriam ac tristitiam. Sed illucescente spe fortunae melioris, qualis exorta est crescente Octaviani potentia, temperavit dolorem

. *R. van Ommeren:* Hor. als Mensch ürger, *übers. v Walch.* Leipz. 1802. 8. *enaer: Histoire de la vie et des d'Hor.* Par. 1840. II. *Teuffel: Charik d. Hor.* Leipz. 1842. 8. *Weber:* s Mensch u. Dichter. Jena 1844.

antea animo susceptum, laetitiae indulgere coepit, de futuro bene speravit, denique vitae bene beateque degendae opportunitate, quantum potuit, usus est. Ac simillima animo etiam ingenii ac mentis indoles fuit. Nam quum acriore quodam sensu veri rectique polleret, tum etiam proprium ipsi fuit ingenium, quod maxima facilitate res perquam diversas caperet, tractaret, poetice intueretur atque illustraret. Quamobrem pro temporum diversitate perquam diversa coluit poesis genera, atque ita coluit, ut in unoquoque magnus et insignis, ne perfectus dicamus, existeret. Nam quod paucis mortalium a natura datum est, ut in hilari ac tristi, in iocoso ac severo, in levi et grandi poesis genere excellant, oratione etiam singulis poesis generibus sollerter adaptata; id illi omnium cessit prosperrime, ut vix omnibus saeculis unum alterumve poetam reperiamus, qui ad hanc ipsius virtutem et praestantiam comparandus sit, praesertim quum ille etiam trita via relicta nova semper excoluerit poesis genera. Sed cum admirabili ista animi ingeniique varietate et quasi mobilitate coniuncta in ipso fuit etiam moderatio quaedam ac temperantia, qua ne sibi nimium confideret aut plus iusto indulgeret, vel etiam rerum externarum nullam duceret rationem, utique cautum fuit. Quamobrem in omni vita tenuit mediocritatem, in poesi autem factitanda ita sibi temperavit, ut ne umquam tentaret, quod virium suarum modulum excedere videretur. Quo facilius etiam adscivit urbanitatem illam, qua vel maxime excelluit, quaque etiam aequalibus suis atque posteris omni aetate egregie placuit. Atque haec eadem moderatio etiam effecit, ut nec in vitiis carpendis esset intemperans, nec in virtutibus commendandis molestus, nec in laudibus praedicandis turgidus aut humilis, nec denique ullo in genere nimius. Quamobrem tam satirae eius atque epistolae quam epodi atque carmina melica et olim semper placuerunt sapientibus et vero etiam postero tempore placebunt.

Atque cum hac eius naturae ingeniique indole arctissime coniuncta sunt etiam ipsius iudicia de vitae recte prudenterque degendae ratione. Saepenumero a viris doctis quaestio agitata est de Horatii philosophia. Alii eum fecerunt Epicureum, alii Stoicum, alii Academicum, alii Peripateticum, alii etiam Cyrenaicum, qui se totum Aristippi doctrinae et rationi dedidisset. Nimirum noverat sane Horatius varia variorum philosophorum placita, ut modo Stoice philosophatus sit, modo Academicorum sapientiam probaverit, modo etiam Epicureorum et Cyrenaicorum disciplinam amplexus videatur. At enim vero idem ille non dubitavit Stoicidas acerbo sale perfricare, dum aliis locis severam Stoicorum germanorum rationem ex animo probat; irrisit item subinde argutias ac subtilitates Academicorum et Peripateticorum, dum aliis locis ingenue fatetur, sese illis debere plurimum; professus est lepide, se pinguem et nitidum bene curata cute conspectum iri Epicuri de grege porcum, dum aliis locis temperantiam et vitae mediocritatem tamquam unicum fontem ac principium verae vitae felicitatis ac beatitatis gravissime commendat; denique secundum Aristippum sese professus est res sibi, non se rebus, subiungere conari, quum tamen revera temporibus non uno modo inserviisse reperiatur. Nimirum non fuit Horatius unquam ulli philosophorum disciplinae ita addictus, ut se ei totum manciparet. Qui illud potius per totam vitam sequutus est, ut semper suam sibi tueretur animi libertatem. Diligenter autem tenendum est, mentem eius rationemque usque fuisse talem, quae cum bono et honesto bene consisteret. Itaque Epist. I. 1, 11 sqq. ipse de se: *Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum. — Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter;*

llius addictus iurare in verba gistri, quo me cunque rapit tem- tas, deferor hospes etc. Licet igi- olim adolescens liberius paullo serit, ut etiam cum Epicureis inam rerum humanarum procu- ionem videatur sustulisse (Satir. . extr. Odar. I. 34.), tamen quon- cum ingenii animique alacritate ue fervore in ipso consociata t nativa quaedam moderatio at- temperantia, suum de rebus anis iudicium ita rexit et gubernavit, ut quamvis ad molles suaves- affectus esset proclivior, tamen certe cum virtutis et honesta- atione bene conveniret. Omnino ita statuit, ut bona externa, , divitias, honores sine virtute pretii habere, imo etiam pra- um cupiditatum, quae auferrent m vitae felicitatem in animi quillitate positam, caussam at- fontem esse arbitraretur; v. Od. , 17 sqq. III. 2, 17 sqq. Epist. I. . al. Quamobrem ad bene bea- e vivendum virtute opus esse ratus est, maluitque ipse ser- animi aequabilitate parvo con- s vivere quam divitias quae- operosiores aut animo culpa nte amplis opibus et honoribus i, v. Epod. I. 25 sqq. Od. I. 31. II. 18. III. 1, 41 sqq. III. 16, q. 42 sqq. III. 2, 53 sqq. III. 29, . Sat. I. 6, 112 sqq. II. 2, 92 sqq. Epist. I. 10. I. 14. I. 18, 107 sqq. e persuaserat ille sibi penitus, beatitatem ita tantum posse tere, si quis, refrenatis cupi- bus, sui potens et quasi sui ssor atque dominus res sibi ro se rebus submitteret ideo- a sorte contentus quidquid fferretur aequo animo acci- acceptumque sapienter et ho- ad vitae suavis et iucundae conferret, de rebus futuris minime sollicitus, v. Od. II. 3. II. 12. II. 16. III. 1. III. 16, . III. 29, 32 sqq. IV. 9, 45 sqq. 2. Sat. I. 1, 105 sqq. Epist. ade non uno loco talia enun- quale est nobilissimum illud: *crede diem tibi diluxisse supremum!* Epist. I. 4, 13. Iam vero in hac re quoniam quadam mediocritate quasi opus esse vidit, sponte intelligitur, qui factum sit, ut virtutem in hac ipsa quaerendam esse iudicaverit. Definit enim virtutem sic: *Virtus est*, inquit, *medium vitiorum et utrinque reductum*, Epist. I. 18, 9., quo cum placito conferri possunt illa Sat. I. 1, 106 sq.: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.* Sat. I. 2, 24: *Dum vitant stulti vitia in contraria currunt.* Epist. I. 6, 11 sq.: *Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui, ultra, quam satis est, virtutem si petat ipsam.* Ex quibus dictis intelligitur professe eum hac in parte ab Aristotele,[1] quem constat et ipsum virtutem mediocritate quadam contineri voluisse, sed tamen ita profecisse, ut huius placitum cum sua ipsius ratione, cognata illa etiam Stoicorum et Cyrenaicorum doctrinae, coniunxerit et quasi in unum conflaverit. Nempe omnino auream mediocritatem arbitratur ubique sectandam atque tenendam esse, sine qua vitae felicitas et beatitas plane nulla reperiatur. Fuit igitur Horatii animus sincerissimo sane virtutis amore imbutus, ad quem sine dubio etiam puer et adolescens a patre, viro honestissimo atque prudentissimo, institutus erat. Enimvero quanto virtutis studio poetae animus incensus fuerit, id clarissime ex generosa illa animi indignatione intelligitur, qua de aetatis suae vitiis conquestus est. De quibus quid senserit, item paucis exposuisse iuvabit, quandoquidem eius rei notitia etiam ad poemata eius rectius intelligenda valet. Itaque primum quidem duo inprimis vitia esse iudicavit, quae vel maxime patriae attulissent perniciem, *avaritiam* et *luxuriam* cum effeminata coniunctam mollitie. Haec igitur vitia creberrime tum in sermonibus tum in lyricis carminibus vel vividis depinxit coloribus vel ridicule traduxit vel etiam acerbius castigavit,

1 v. Ethic. Nicom. c. 6. et 7.

velut Sat. I. 1, 61 sqq. II. 2. II. 5. 8. 12. II. 3, 111 sqq. Od. II. 15, 1 sqq. II. 18, 24 sqq. III. 21. et 36. Epist. I. 1, 53 sqq. 80. I. 2, 44 sqq. Art. Poet. v. 325 sqq., aliis locis innumeris; virtutes autem illis contrarias, continentiae, temperantiae, frugalitatis atque avitae fortitudinis, gravissimis fere verbis commendavit, sicuti inprimis fecit Od. II. 2. II. 11. III. 1, 25. III. 2. III. 24. Sat. I. 1, 36 sqq. II. 3, 82 sqq. Epist. II. 1, 188 sqq. al. Sed praeter istorum vitiorum turpitudinem poeta etiam alia vitia, quibus aetas laboraret, tamquam ulcera quaedam exagitavit vix sanabilia, quorsum ante omnia pertinent proterva impudicitia, mollis lubido et turpis castitatis neglectio, Od. III. 6, 17 sqq. Epist. I. 2, 55 sqq. Sat. I. 2, 36 sqq.; item prava ambitio, Sat. II. 2, 166., invidia et malevolentia, Epist. I. 2, 58., qui locus postremus inde a vers. 41. usque ad v. 71. etiam remedia illorum suadet, atque patrii moris nefaria neglectio et contemtio. Inprimis vero poeta etiam tristem religionum superstitionem, quae mentes occoecare inceperit, Sat. II. 3, 290 sqq., et temerariam impietatem deplorat, qua una maxime effectum esse censet, ut Romani non modo in turpissima quaeque vitia prolapsi essent, sed etiam imperii sui ruinam temere accelerarent; v. Epod. VII. et XVI. Sat. II. 2, 104. Od. III. 6 in. Od. I. 35, 33—38. Quamobrem et graviter passim suadet popularibus suis piam deorum reverentiam et egregias profert de diis ac rebus divinis sententias, ut quum divini numinis potentiam verbis magnificis adumbrat Od. I. 12, 14 sqq. I. 32, 12. III. 1, 6. III. 5, 1. III. 4, 45 al., aut providentiae deorum docet omnia pio animo permittenda esse, Od. III. 6, 6. I. 9, 9 sqq. III. 33, 1 sqq., et quae sunt id genus alia. In quibus omnibus etsi non eam pietatem agnoscimus, ut inde cum Dacierio[1] colligamus poetam non solum libros Moysis legisse, sed etiam methodum doctrinae ad satiras concinnandas ex proverbiis Salomonis mutuatum esse, aut cum pio patre Harduino,[1] portentosi sane ingenii homine, indidem effici posse existimemus, ut Horatium religionis Christianae primaria capita et sanctissima mysteria pernovisse credendum sit, tamen certissime inde cognoscitur, poetam eo fere pietatis sensu fuisse imbutum, qui vel Christianum sapientem non dedeceat. Sed nolumus harum rerum disputationem etiam ulterius persequi, quandoquidem vel ex iis, quae exposuimus, clarum ac perspicuum fore confidimus, quid poeta de vita humana eiusque bene beateque degendae ratione senserit et iudicaverit. Pergimus ad considerandos ipsius mores.

Et illud quidem nemo quisquam recte negaverit, Horatium utique iudiciis illis suis, quae de optima vivendi ratione prodidit, etiam re et veritate sedulo obtemperavisse. Quippe non fugit quidem ille voluptates, sed nec unice expetiit; nihili fecit porro externum vitae splendorem, potentiam, gloriam, opes, cupiditatibus refrenandis et coercendis facilius etiam atque tutius ad felicitatem nomine suo dignam perveniri posse ratus; sectatus item est vitae mediocritatem hilariter fruens bonis praesentibus et undique decerpens laetitiae et hilaritatis fructus, quoties ipsi offerrentur, nec de rebus futuris sollicitus; celsum porro generosumque animum sibi servavit, ut ne unquam ex rerum externarum casibus fortuitis aut fortunae arbitrio ac temeritate penderet. Quamobrem ne iis quidem, qui ipsi favissent et larga dedissent munera, ullo modo mancipatus esse voluit. Vitavit enim urbem, quantum potuit, ac vel invitis et reluctantibus principibus viris, qui ipsi bene vellent, sese subtraxit, ne iis humiliter servire cogeretur. Quin etiam Epistol. II. 7, 34. Maecenati liberrime profitetur, paratum sese esse ad omnia, quae ab eo accepisset, continuo reddenda, siquidem diuturnior eorum possessio sua ipsi-

1 Remarq. sur les Satires d'Horace.

1 in Operibus variis. Amstelodam. 1733. 4.

s libertate redimenda sit. Atque iis quoque nominibus probi et honesti viri partes laudabiliter tutatus it. Fuit enim patriae amantissimus; fuit erga alios modestus et ficiosus; fuit lenis et mansuetus; it simplex, apertus et candidus; it denique integer ac fidus amius, quandoquidem erga omnes, uibuscum amicitiae vinculis connctus vixit, inprimis erga Maecenem, constantissime religiosissieque fidem coluit.[1] Sed reprehensus tamen poeta est non uno omine. Obiectum enim ipsi est crien turpis adulationis, qua relictis rtibus eorum, qui pristinae reipuicae favissent, non dubitaverit Augusti laudes praedicare; obiectum item est crimen immoderatae lubinis ac turpis lasciviae, qua intemrantius indulserit amoribus. Et de a quidem criminatione hoc loco dire non attinet, quoniam, quid de ea ntiendum sit, iam in superioribus gnificavimus. Ostendimus enim ibi, oratium non unum ac solum fuisse, i desperata veteri republica optiı quaeque iam ab Augusti principatu speraverit, sed fuisse eam sentiam plurimorum Romanorum mmunem. Ostendimus item, poen etiam a turpi humilis adulatio vitio plane mansisse liberum et munem, ut ne invitatus quidem eriore Augusti familiaritate uti luerit. Reliquum est igitur, ut altera illa criminatione, quae rtinet ad castitatem, paucis explinus, quod nec ideo superva neum fore speramus, quia inde am carminibus quibusdam alid lucis accedet. Amorum igi- lubidinem Horatio exprobrat, vel Suetonii confisi testimonio etiam argumentis criminationis ipsius poetae carminibus repeti-

At enimvero Suetonii quidem us §. 9. nihil quidquam probat, quo nihil nisi vulgaris Augusti us narratur, unde pateat, quanta inter utrumque intercesserit familiaritatis necessitudo et coniunctio. Quocirca huius testimonium missum faciamus. Relinquuntur ergo ipsius Horatii carmina. In his vero bene multarum sane puellarum amores celebrantur, Lydes (Carm. III. 11. et 25.), Lydiae (III. 9.), Galateae (III. 27.), Chloes (I. 23. coll. III. 9. et III. 7.), Lalages (II. 5. I. 22. 10, 23.), Cinarae (I. 1. 13. Epist. I. 7, 27. et 14, 38.), Glycerae (I. 30, 3. III. 19, 28. coll. I. 19.), Lycoridis (I. 38, 5.), Pyrrhae (I. 5.), Neaerae (Epod. 15. Od. III. 14, 21.), Phyllidis (IV. 11.), Barines (II. 5.), Pholoes (I. 33, 7. II. 5, 17. III. 15, 7.), Phrynes (Epod. XIV. 15.), Phyllidis (IV. 11.), aliarum. Quid igitur? tot amores si poeta celebravit, fuitne tum revera homo profusae lubidinis ac perditae nequitiae? Nimirum ita sane primo adspectu unicuique videatur necesse est. Nihilominus autem caveamus oportet, ne ex tot puellarum mentione continuo turpissimae criminationis caussas atque rationes repetamus. Nam primum quidem non temere videtur contendisse Lessingius,[1] Horatium, quamvis alioquin ab amoribus minime abhorrentem, tamen non modo non amasse omnes istas puellas, de quibus cecinerit, verum etiam omnia fere illarum nomina ac personas poetice confinxisse, idemque etiam iudicari oportere de Ligurino (Carm. IV. 1.). A quo non multum dissentit Phil. Buttmannus,[2] qui ipse quoque statuit, omnes puellarum personas ab Horatio fictas esse una excepta Cinara, quam revera ab eo amatam fuisse verisimile videatur; quin etiam ficta ille putat nomina virorum iuvenumque Graecorum, Thaliarchi, Xanthiae, Telephi, aliorum. His vero etiam Grodefendius quodammodo suffragatur,[3] qui et ipse Cinaram vere ab Horatio amatam atque etiam sub nominibus Glycerae,

De amicis Horatii iam supra dictum est, f. etiam Iani Prolegg. ad Horat. Carmina I. p. CX. — CXII. et Estré Prosopogra- Horat. p. 432 sqq.

1 in libro: *Ehrenrettungen des Horaz.* Opp. edit. Berolin. 1838. Tom. 4. p. 20 sqq.

2 *Ueber das Geschichtliche u. die Anspielungen im Horaz*, Mytholog. Vol. I.

3 Vit. Horat. in Ersch et Gruber Encyclopaed. Sect. II. Tom. X. p. 463 sqq.

Lydiae et Lalages celebratam esse arbitratur, antea autem ab eo in deliciis habitam fuisse statuit Chloen atque Lyden, item variis nominibus insignitas, quum Leuconoes, Tyndaridis, Chloridos, Pholoes, Barines, Neobules et Pyrrhae personae pariter atque nomina pro ficticiis habenda sint. Sed nolumus recensere omnes virorum doctorum de his rebus opiniones, varias sane illas ac multiplices,[1] siquidem vel ex his, quid rei sit, intelligi licet. Videntur enim plurima Horatii carmina amatoria, praesertim si quae ad Graecorum imitationem sunt composita, nihil esse nisi meri lusus poëtici, ut profecto perquam ridiculo, ne dicamus turpiter, erraverint, qui inde criminationum in poetae mores conjectarum caussas et argumenta repetere non dubitaverunt. Sed ad haec accedit etiam aliud quid, quod ad vindicandam poetae integritatem atque innocentiam sanequam plurimum valet. Damnavit enim ipse amores mulierum aut vilium scortorum gravissime Sat. I. 2. I. 4, 111 sqq. II. 7, 72. I. 6, 68. deque aliis loquutus est multa cum irrisione. Ut igitur poeta a nostris moribus hoc in genere nonnihil deflexerit ac subinde verecundiae leges migraverit, tamen apud aequales suos sibi neutiquam eo nomine malam famam contraxisse reperitur. De ceteris autem probi honestique viri laudes severissime usquequaque tutatus est.

Sed satis haec pro consilio nostro de Horatii animi et ingenii virtutibus deque iudiciis, quae de vitae bene honesteque degendae ratione tam sentiendo quam agendo palam fecit atque declaravit. Superest adhuc, ut externum viri habitum ac speciem paucis depingamus.

Fuit igitur Horatius corporis exigui et obesus (Epist. I. 20, 24. Sueton. Vit. §. 13.), fronte angusta (Epist. I. 7, 26.), nigris oculis (Art. Poet. 37.), nigris item capillis (Epist. I. 7, 26.), sed mature illis praecanis (Epist. I. 20, 24. Carm. III. 14, 25.). Valetudine iam iuvenis non admodum firma ac robusta usus est, unde sese Epod. I. 16. appellat *imbellem ac firmum parum*. Postera autem aetate, praeterquam quod fortasse interdum oculorum lippitudine[1] laboravit (Sat. I. 5, 30. 49.), multo factus est infirmior (Epist. I. 7, 3 sqq. 25 sqq.). Quamobrem tum Antonio Musa medico suadente non iam amplius balneis Baianis usus est, sed frigida balnea Veliae vel Salerni adiit (Epist. I. 15.). Atque haec eadem fuit caussa, cur interdum per longius tempus ab urbe abesset neque ibi aut Maecenatem aut alios amicos inviseret. Quod quidem Maecenas aegerrime tulit, quippe qui et ipse aegrotaret, ut tanto maiore subinde absentis amici desiderio captus teneretur. Quamobrem poeta Epist. I. 7. illi sese ita excusat, ut ea epistola egregium plane testimonium illius libertatis exhibeat, qua erga potentem amicum uti non dubitavit. Ceterum eum in cultu corporis fuisse negligentiorem ex Epist. I. 1, 94. parum tuto colligitur.

Obiit Horatius, ut iam initio narrationis nostrae ostendimus, eodem anno, quo Maecenas, a. d. V. Cal. Decembr. Caio Martio Censorino, Caio Asinio Gallo coss., agens annum aetatis quinquagesimum septimum. Narrat vero Suetonius, cum *Augustum haeredem palam nuncupasse, quum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas; humatum et conditum esse extremis Exquiliis prope Maecenatis tumulum*. Itaque quos vita indissolubili amicitiae vinculo ad mutuae iunxerat benevolentiae caritatem, ii ne morte quidem a se

1 Recensum earum instituit Estré Prosopograph. Hor. p. 509 sqq. et Weber: Horaz als Mensch u. Dichter p. 72 sqq.

1 De lippitudine Horatii res sane incerta est. Nec Suetonius in Vita Horatii eius meminit. Rem tractavit Frid. Iacobs Lectt. Venus. p. 367 sqq., ut alios transeamus silentio. Illud unum monuisse iuvabit, ipsum Horatium lippitudinem cum irrisione memorare Sat. I. 1, 120. 3, 25. 7, 3. Epist. I. 1, 29. II. 2, 52., ut vix credibile sit, ipsum eo multo diutius laboravisse.

ıvicem divulsi ac disiuncti sunt, t hoc quoque nomine tamquam micitiae aeternitatem consequuti sse videantur.

Explicavimus hactenus de ipsius oratii vita atque studiis, quantum onsilium huius scriptionis requi- ire visum est, ac fortasse etiam piosius. Sequitur ut de fortuna fatis scriptorum eius breviter cendum sit.

Poemata Horatii constat iam de a primo post Chr. n. saeculo omae aliisque locis plurimis in holis grammaticorum tractata se. Quamobrem ea multos gram- aticos veteres nacta sunt inter- etes, qui sine dubio plurimis rum locis obscurioribus deside- tam lucem affuderunt. Ex qui- s nomine tantum noti sunt C. milius, I. Modestus, Terentius aurus; quum eorum, qui *de per- is Horatianis* scripserunt, ne mina quidem noverimus. Sed liquissimorum illorum commen- iorum nullus ad posteriora tem- a pervenit. Quod sane dolen- n est magnopere, quandoqui- n, illi si superessent, sine dubio iliter adiuvaremur in interpre- do et intelligendo Horatio, ut Cicerone Asconii Pediani inter- tamentis sustentamur. Nempe ersunt adhuc scholia Helenii onis, qui sexto post Chr. n. culo vixisse putatur, et Pom- ii Porphyrionis, qui posteriore m aetate videtur floruisse. umquam incertam esse utrius- aetatem probabiliter docuit ingar, V. Cl., in Historia critica oliastar. Latinor. P. III. p. 8 sq. enimvero ne horum quidem mentarii, qui partim ex anti- orum commentatorum operibus erpti fuerunt, adhuc integri ac eri habentur. Sunt enim multis ibus corrupti, interpolati, deni- multis alienis adnotationibus eriorum grammaticorum con- nati, ut ex centonibus istis ile sit eruere, quod recte inum ducatur. Quamquam in vel sic plurima continentur, quae ex antiquis ducta fontibus quantivis sunt pretii et sine quorum notitia iucundissimi poetae intelligentia aut plane nulla foret aut misere laboraret. Promeritus est maxime de horum scholiis Georg. Fabricius in edit. Horat. a. 1555. fol. et 1580. fol. Henricipetr., unde ea nuper repetiit Braunhardus in editione Horatii Operum etc. Lipsiae, 1831—1834. 4. Vol. 8. Sed emendari ea passim possunt ex antiquioribus editionibus et bonis codicibus, quamquam sinceros et integros horum grammaticorum commentarios unquam repertum iri nulla sane spes est. Anonymi scholia primus edidit Cruquius in editione Operum Horatii, Lugd. Batav. ex offic. Plantin. 1597. 4. al. Quae scholia item res non contemnendas continent, quamvis et ipsa ex rudi et indigesta annotationum farragine conflata. Nec vero dubium est, quin eiusmodi scholia etiamnunc plurima in bibliothecis lateant, quum non pauci codices [1] interpretamenta vel versibus interposita vel marginibus adscripta habere ferantur.

Sunt etiam recensiones operum Horatii iam mature a grammaticis factae, de cuiusmodi grammaticorum studiis, non semper illis adeo magni faciendis, dixerunt Burmann. ad Valesium De Critica p. 180 sq. Schneidewin. Prolegg. ad Martial. p. 109 sqq. O. Jahn. Prolegg. ad Pers. p. 177 sq. Bernhardy Röm. Literaturgesch. ed. 3. p. 88 sq. Unam ex istis Horatii recensionibus ex codicibus manu scriptis vett. hodie quoque novimus. Non pauci enim codices [2] hanc habent subscriptionem: *Vettius Agorius Basilius Mavortius, vir clariss. et inlustr. excom. dom. excons. ord. legi et ut potui emendavi conferente mihi magistro Felice, oratore urbis Romae.* Fuit igitur Mavortius vir magnis ornatus dignitatibus, de quarum rationibus

1 v. Kirchner. Novv. Quaestt. Horatian. p. 59.

2 v. Kirchner. Novv. Quaest. p. 24. et Horkel. Analect. Horat. p. 9. et 19.

exposuit Peerlkamp. Praefat. ad Horat. Carm. p. XIX. sqq. Idem secundum Reland. Fast. Consular. p. 694. Iustino et Iustiniano imperatoribus a. post Chr. n. 527. consulatum gessit. Sed de doctis eius studiis nihil aliunde constat. Neque compertum habetur, quis fuerit ille Magister Felix, quo adiutore in recensendo Horatio usus est. Neque vero id scire multum refert, praesertim quum illi codices, qui Mavortianam recensionem profitentur, ceteris nequaquam sint praestantiores, sive quod illam habent corruptam et interpolatam, sive quia eam mentiuntur, sive etiam quia Mavortius praelegente Felice Magistro nihil magnopere praestitit, nisi quod alius alicuius codicis scripturas adnotavit aut in ordinem verborum recepit. Accedit huc, quod Mavortiana ista recensio sine dubio ad lyrica tantum ac fortasse ad Epodos et Artem Poet. pertinuit; Sermones et Epistolas non complexa est, de qua re acute disputavit nuper Horkel. Analect. Horat. p. 9 sqq. p. 14. et p. 19.

Codices Horatii plurimi supersunt. Quorum notitiam aliquam si quis sibi comparare voluerit, adeat is praeter ceteros Chr. David. Iani Praefat. ad Horat. Operum Vol. I. p. Isqq. Tom. I. Mitscherlichium Edit. Oper. Horat. T. I. p. XXIII sqq., quos fere Germanice interpretatus est C. F. Preiss in: Horazens Werke, Lips. 1805. 8. Vol. I. p. 179 sqq., Car. Kirchnerum Praefat. ad Horat. Satir. I. p. XC—XCVII. et Novv. Quaest. Horat. Lips. 1847. 4., in qua commentatione exhibetur quinquaginta codicum accuratior descriptio deque eorum stirpibus ac familiis disquiritur; Casp. Orelli Praefat. ad Horat. V. I. p. V sqq. ed. 2. et Baiterum Praef. ad Horat. edit. III. Orell. Tom. I. p. XII sqq. et Tom. II. p. I sqq. Perquam autem memorabile est, in tanta codicum copia et multitudine nondum effici potuisse, quod in aliis scriptoribus plurimis effectum esse constat, ut quanam illi cognatione ac necessitudine inter sese contineantur, accuratius perspectum habeatur.[1] Itaque in critica factitanda hoc tantum relinquitur, ut diligenter animadvertatur, quinam libri praeter ceteros bonitate sua atque integritate emineant, quo possit ad horum quasi normam et legem dirigi atque gubernari veri rectique iudicium. Bonum factum vero, quod hac virtute nonnulli saltem adeo excellunt, ut ceteris omnibus sine dubitatione palmam praeripere iudicandi sint. Nam primum quidem codices Blandiniani, quibus Cruquius usus est, olim in bibliotheca Blandinia Benedictinorum s. Petri in monte Blandinio Gandavi (*Gent*) asservati, sed postea a. 1568. a Belgis tumultuantibus, quos Cruquius ad Satir. I. 1. εἰκονοκλαστάς vocat, proh dolor, combusti ac deleti, sine dubio huc referendi sunt. Inter quos tamen rursus praestantissimus est, quem Cruquius multis locis simpliciter *antiquissimum*, aliis autem locis *quartum* vocat, sicuti ipse ad Satir. I. 1. extr. claris verbis indicavit, ut multum falsi sint, qui eum, quem dixit *primum*, putarunt intellexisse *antiquissimum;* ex quo fonte manarunt graves sane atque partim ridiculi criticorum errores, qui bona fide *primum* istum intellexerunt antiquissimum. Porro codex Dessaviensis s. Anhaltinus,[2] quo complures usi sunt, utique est egregius, ut merito inter primarios numerandus sit. Praeterea nos quidem etiam Argentoratensem *primum* ab Oberlino collatum, sed male adhuc a criticis neglectum, praestantissimum ducimus. Accedunt huc Bernensis N. 263. saeculi VIII. ab Orellio signatus littera B. itemque Santogall. ac Turicensis. Nec vero spernendi sunt codices Bersmanni, Bentleii et quorundam aliorum, minus accurate tamen illi excussi neque satis diligenter descripti; inter quos est etiam Gothan. 2., qui nobis quidem nescio quam cogna-

1 v. Kirchner. Novv. Quaest. p. 59.
2 de quo v. Kirchner. l. c. p. 11.

onem cum Blandiniano quarto s. ntiquissimo habere visus est. His itur libris et si qui alii iis sunt ropius affines in conformanda oratii oratione ita censemus plumum tribui oportere, ut nec deteores libri plane contemnantur, tandoquidem nec illi vitiis plane munes sunt et hi interdum eas ferunt lectiones, quas, si res suis omentis ponderentur, nemo tere infitietur omnes habere veritis numeros. Quamquam illud ique tenendum videtur, deterious libris maiore cum cautione am emendatioribus et castigaribus utendum esse.

ed satis haec de libris Horatii manuptis. Pari brevitate de eiusdem editioniope artis typographicae factis dicendum, ndoquidem ea de re copiosius dicere ab huscriptionis consiliis alienum est; est enim atius inde ab a. 1470., quo princeps ipsius lo, ab Antonio Zaroto curata, Mediolani llisse putatur, tam saepe editus, ut vix orum exemplarium typis descriptorum erum inire liceat, nedum ut malorum aut locrium recensio hoc loco commode fieri it. Itaque satis erit, missis ceteris edibus omnibus, etiam antiquioribus, hasce memoravisse.[1] *Q. Hor. Flacci Opera, matticorum antiquissimorum, Helenii nis et Porphyrii commentariis illustrata, ixtis interdum C. Aemilii, Iulii Modesti rentii Scauri adnotatiunculis, edita au- et emendatius quam unquam antea per gium Fabricium Chemnicens.* Basil. 1555. max. Emendatius vero idem opus amimum repetiit editione Henrico-Petrina 10. fol. et postea eadem a. 1580. fol., quae operis omnium est absolutissima. — *oratius Flaccus ex fide et auctoritate n codd. mss. emendatus et commentariis ratus a Dionys. Lambino.* Lugdun. 1561. it. sec. locuplet. et auctior. Paris. 1567. einde identidem recusa (optimum exemputatur Lugd. 1597. 4. editum). — *Q. tius Flaccus ex antiquissimis undecim mss. emendatus et plurimis locis cum ientariis antiquis expurgatus et editus Iacob. Cruquii.* Antwerp. 1579. 4. et is; optime Lugd. Bat. 1597. et 1611. 4. *Horatii Flacci Poemata ex sex libris et ex optimae notae libris aliquot imis ed. Gregor. Bersmann.* Lips. 1602. 8. epet. 1616. — *Quint. Horatius Flaccus aevin. Torrentii commentar.* Antwerp. 4. 1620. 1708. — *Q. Horatii Flacci ua* ed. *Dan. Heinsius.* Lugd. B. 1604. 9. 1610. 1612. al. — *ed. Tanaq. Faber.* r. 1671. 12. — *ed. Dacierius.* Paris. X. voll. 12. et 1733. IV. voll. 4. ac X. 2. — ed. *Guil. Baxter.* Lond. 1701. 8. deinde cura *I. Matth. Gesneri.* Lips. e editt. Horatii v. Iani et Mitscherlich. t., item edit. Bipontin. et Neuhaus. Bi- ic. Horatian. Lips. 1775. 8.

1725. et 1772. 8. postea a *Car. Zennio* et novissime 1822. a *Fr. Henr. Bothio* repetita. — *Q. Horatius Flaccus ex recens. et cum notis atque emendationibus Ricardi Bentleii.* Cantabrig. 1711. 4. Amstelod. 1714. 4. ibid. 1728. 4. Lips. 1764. et 1826. 2. voll. 8. mai. — ed. *Alex. Cunningham.* Hag. Com. 1721. et Londin. 1721. 8. — *Les Poesies d'Horace — par Sanadon.* Paris. 2. voll. 4. et 8. octon. 1728. et 1756. — *Q. Horatius Flaccus* cum lectt. codd. quattuor manuscr. ed. *Ier. Iac. Oberlin.* Argentor. 1788. 4. mai. — ed. *Wakefield.* Lond. 1794. 2. voll. 8. — *Q. Horatii Flacci Opera recensuit, varietate lectionis et perpetua adnotatione illustravit Chr. David. Iani.* Lips. Vol. I. et II. 1778. et 1782. 8. editio inchoata, non absoluta, complectitur tantum quattuor libros carminum. — *Q. Horatii Flacci Opera illustravit Christ. Guil. Mitscherlich.* Lips. Vol. I. et II. 1800. 8. nec haec editio operum Hor. absoluta est et continet tantum carmina atque epodos. — *Q. Horatii Flacci Opera ad mss. codd. Vatican. Angel. Barberin. etc. emend. notisque ill. Car. Fea.* Romae, duob. Voll. 1811. 8. quam editionem repeti iussit Fr. Henr. Bothe adiectis Graevii in odas ac suis in satir. et epist. adnotationibus Heidelberg. II. voll. 1820. et 1821. 8. — *Q. Horatius Flaccus. Recensuit atque interpretatus est I. Caspar Orellius addita varietate lectionis codicum Bentleianorum, quattuor Bernensium, Sangallensis et Turicensis, Petropolitani, Monacensis et Turicensis, Petropolitani, Montepessulani. Editio tertia emendata et aucta;* quam curavit *Io. Georg. Baiterus.* Turici, II. voll. 1850. et 1852. 8. mai. — Nec vero negligi debent editiones Fr Guil. Doeringii (Lips. II. voll. ed. noviss. 1839. 8.), Guil. Dillenburgeri (Bonn. edit. 2. 1848. 8.), Henr. Duentzeri (Brunsv. 1849. 8.), eiusdemque liber: Kritik u. Erklärung der horazischen Gedichte. Ein Handbuch zur tiefern Erfassung des Horaz. 5 Bde. Bruns. 1840—46. 8. min. quemadmodum nec ea negligenda sunt, quae peculiaribus editionibus Wielandius (a. 1786.), Heindorfius (1815. et iter. 1845.), Kirchnerus (1829.) in Satiras, Wielandius (1782.), Theod. Schmid (1828.), S. Obbarius (1837—47.) in Epistolas, Hofmann. Peerlkamp (Harlem. 1834. 8.), Libkerus (Siesw. 1841.), Theod. Obbarius (1848.) in Carmina commentati sunt. Denique verba Horatii diligenter ad fidem codd. recensuerunt Io. Christian. Iahn (Lips. 1824. et iterum 1827. tertium 1847.), Aug. Meineke (Berol. 1834. 8.) et Maur. Haupt (Lips. 1851. 12.). Praeterea vero alii plurimi nuper de carminibus Horatianis disputaverunt, quorum scriptorum notitia ab iis petenda est, qui indices eiusmodi librorum peculiari opera confecerunt. Hoc enim loco quominus de iis exponamus, instituti nostri ratio prohibet. Iuvabit potius paucis exposuisse, quid nos in verbis Horatii describendis sequuti simus.

Fatemur autem nos in recognoscendo poeta servata tamen usus communis gratia vulgari orthographia inprimis codices illos sequutos esse, quos supra iudicavimus omnium videri praestantissimos esse. Quod quidem ita fecimus, ut hic et illic etiam nostro arbitratu refingeremus, si quid emendatione indigere videretur; id quod inprimis de interpunctione verborum profiteri licebit, quae saepenumero visa est adhuc vitiosa esse. Ut autem intelligatur, quatenus a superioribus editionibus

discessserimus, paucis perstringere placet, quae ad eorum locorum scripturam pertinent, de quibus hodie quoque criticorum iudicium fluctuatur. Quod quidem ita faciemus ut, transmissis iis, quae leviora videantur, potiora tantum attingamus. Ordiamur igitur a Carminibus; quo facto de Epodis et Satiris dicemus. Quibus expositis sponte intellectum iri speramus, qua ratione etiam in Epistolis recognoscendis versati simus.

CARM. LIBER I. CARM. I. seorsum posuimus primos duos ac duos postremos odae versus, quippe qui habeant alloquutionem, ut a reliquo carmine secernendi fuerint. Quo facto omnia versibus tetrastichis eo ordine decurrunt, quem desideravit Godofredus Hermannus. — CARM. III, 6. post *Virgilium* colo interpunximus. Perperam nonnulli orationem post *Atticis* incidunt. — 19. pro *turgidum*, quod tenuit Orell., ex Blandiniis omnibus, Argentor. A. B., aliis, dedimus *turbidum*. — CARM. IV, 12. *agnam* duo Bland., sed *hoedo* Blandinii ceterique Cruq. omnes, ut legitur ap. Mar. Victor. p. 173. ed. Gaisf. — CARM. VI, 2. Blandinii omnes, etiam antiquissimus, Argentorat., alii verissime *alite* pro v. *aliti*. Sed vera lectione recepta prave nuper post *victor* commate distincta mansit oratio. — CARM. VIII, 6. et 7. pro eo, quod alii habent: *equitat — temperat*, ex codd. Cruq. omnibus, etiam Blandinianis, et Argent. A. B. al. dedimus *equitet — temperet*, mutata etiam interpunctione. — CARM. IX, 14. Cruquiani omnes, Argentor. A. B. plurimi alii *fors*, quod unice verum. Minus recte etiam nuperi editt. *sors*, neglecto utriusque vocabuli discrimine. — CARM. XII, 2. *sumes* scripsit Cruq., sed *sumis* libri. ‖ 14. *et deorum* Cruq. ex suis codd. ut nos pro vulg. *ac deorum*. ‖ 23. *refulsit* Cruquiani omnes cum Arg. A. B. al. Male quidam *refulget*. ‖ 31. *quod sic voluere* Cruq. ex Divaeo. Reliqui eius codices omnes cum aliis multis *quia sic voluere*, quae est voc. *quod* interpretatio. Alii *quum* vel *quom*. ‖ 14. *incomptis* Blandinii ceterique Cruquii omnes cum Argentor. A. B. et plerisque aliis. Fea et qui eum sequuti sunt *intonsis*, quod legitur ap. Quint. IX, 3, 18. ‖ 57. Cruquiani libri iuxta cum multis aliis *latum*. Nuperi editores *laetum*, quod habet etiam Arg. A. — CARM. XIII, 3. tenuimus cum codd. *cerea* pro eo, quod nuper cum Bentl. exigua aut potius nulla codicum auctoritate posuerunt *lactea*. — CARM. XIV, 13. vulgo: *nomen inutile*. Scripsi de meo: *nomen; inutile!* quo facto reliqua per epexegesin subiunguntur. — CARM. XV, 9. pro *Heu heu*, quod nuperi editores tenuerunt, dedimus ex Cruquianis, etiam omnibus Blandinianis: *Eheu*. Nimirum *Heu heu* est eiulantis, *Eheu* deplorantis. conf. III. 14, 1. IV. 6, 16. ‖ 17. vere codd. aliquot *Cnosii* pro *Cnossii*, de qua scriptura ad Leges Platonis dicemus. ‖ 22. *genti* tres Bland. inter eosque antiquiss. iuxta cum multis aliis. Ante Orellium erat *gentis*. ‖ 35. *Achaicus* Cruqq. omnes et Arg. A. B., qui 36. etiam *Iliacas* tuentur. Utrumque cum Hauptio suscepimus. Alii nuper *Achaius* et *Pergameas* ediderunt. — CARM. XVI, 8. *sic geminant* tenuimus cum Cruquianis et Argentorr. Nuper de Bentleii coniect. posuerunt *si geminant*. — CARM. XVII, 14. *hinc tibi copia* dedimus cum libris Cruquianis aliisque plurimis, etiam Argent. B. Orellius aliique nuper *hoc* dederunt. Atqui *hinc* est: ex hac mea pietate. — CARM. XVIII, 5. *crepat* liquido etiam Blandiniani et Arg. A. B. ‖ 7. *ac ne quis* pro *at ne quis* tuentur Arg. A. B. — CARM. XXII, 2. *Mauris* pro *Mauri* tuentur iuxta cum plerisque omnibus etiam quattuor Blandin. et Div., ut de eius veritate nulla possit esse controversia. ‖ 14. *Daunias*, quod nuper pro *Dauniae* vel *Daunia in* posuerunt, verissime etiam Blandinii et Argent. A. B. cum aliquot libris Bentleii. — CARM. XXIV, 13. vulgo *quodsi Thr.* Sed recte *quid si Threicio* etc. Quod recte ponitur in gradatione, ut prope idem sit quod *quin si Threicio*. — CARM. XXV, 2. *iactibus* pro v. *ictibus* Cruqq. omnes praeter Div. itemque Arg. A. B. et non pauci alii. ‖ 7. non spernenda lectio Argentorat. A. B. *me tuo longas*

ereunte noctes. — CARM. XXVI, 9. *'implea* libri Cruqq. omnes cum ırg. A. et plurimis aliis, quod deit etiam Orell. Alii *Pimplei* de conctura, ut nuper Hauptius. Sed lteram formam librorum consensio ıtis tutam praestat.—CARM. XXVII, 9. *laborabas* verissime Blandin. anquiss. cum alio Bland. Maldegh. t Arg. A. B. Sic etiam Orell. ex ern. Santog. Tur. et Haupt. Vulgo *ıboras in Charybdi.*—CARM. XXVIII, 1. *iudice te* etiam Cruqq. et Argenırr. omnes, ut hinc quoque vulatae scripturae robur ac firmaentum accedat, sicuti 19. lectioni *ınsentur*, quam male quidam murunt in *densantur.* — CARM. XXIX, 1. Cruq. *nobile is* pro *nobilis.* Unice ɛrus est pluralis numerus, sive *ɔbiles* sive *nobileis* sive etiam *nobilis* ɛribatur. — CARM. XXXI, 3 sq. ruquiani omnes et Arg. A. B. recte *ɔimas — feracis.* Quod non debeınt spernere nuperi editores. ‖ 15. *ıscunt* verissime Cruqq. et Argent. . iuxta cum ceteris prope omnibus ·o eo quod nuper cum Bentl. scriɛerunt *pascant.* ‖ 18. *ac* pro *et* Blannii ceterique Cruqq. omnes, ut ripsimus sine ulla dubitatione.— ARM. XXXII, 15. tenui etiam Cruqq. Argent. libris consentientibus: *hi cunque*, pro quo alii alia comenti sunt. — CARM. XXXIII, 7. pro *ɔpulis* scripsimus *Apulis*, ut ubique. ɔrripit enim Horatius aliquoties llabam primam, quod littera *p* genata nullo pacto fieri potuisset.— ARM. XXXV, 30. dedimus *diffingas*, habent Blandin. omnes cum optis Orell. *defingas* ex Cruquian. tanm Maldeg. et Mart., quod quum n esset animadversum, quidam os Blandinios esse putarunt.

CARM. LIBER II. CARM. I, 16. *ılmatico* codd. Blandinn. Argoraıss. cum aliis tuentur contra anquiss. Bern., qui habet *Delmatico*, quod nuperis placuit editoribus. CARM. II, 7. *aget* optimi quique dd., ut *agit*, receptum a Bentleio, hnio, aliis, fere idonea careat dicum confirmatione. ‖ 18. *beato-* libri optimi, quos cum Orellio sequuti sumus. Alii *beatum* vel *beatûm.* Pro *plebi* cod. vers. Bland. *plebis*, probante Cruquio. — CARM. III, 9. *quo pinus ing.* tuentur etiam libri Cruqq. communi consensione, pro *qua*, quod cum Lambin. scripserunt Bentl. Meinck. Orell. Sed verissimum est *quo*, h. e. *eo ubi;* cui respondet deinde *huc.* De attractione v. Kuehner. Gramm. Gr. Amplior. T. II. p. 318. ‖ 11. tenuimus: *ramis*, *quo et obliquo.* Duo Blandinn. antiquiss. non sine litura: *ramis*, *quid obliquo* etc., ut habent etiam alii quidam, probantibus nuperis editoribus, Orellio, Mein., Hauptio. Verum istud *quid* ortum videtur ex *quo et* utpote per ecthlipsin pronuntiato: unde alii libri *quod obliquo* scribunt. Itaque post *rivo* comma posuimus. — CARM. IV, 18. *dilectam* pro *delectam* firmant Cruqq. omnes. — CARM. VI, 19. *fertilis*, ut Bentl., duo Cruqq. i. e. Maldeg. et Mart. Ceteri omnes, etiam Blandinii, *fertili*, quod iam aliunde satis firmatum est. — CARM. IX, 7. Blandinii omnes *querqueta* cum Bern. antiquiss. Editt. *querceta.* — CARM. X, 10. *pinus*, *et celsae* tacite edidit Cruq., cuius codd. id videntur exhibuisse. Et ita etiam Arg. A. cum aliis non paucis. Alii cum Cuningh. et Fea: *pinus*, *excelsae*, asyndeto satis molesto. Paullo ante *saepius* Cruqq. omnes et Argentor. pro eo, quod Iahn. cum Fea exigua codd. auctoritate scripsit *saevius.* Mox *fulgura* pro *fulmina* omnes Cruqq., inter quos sunt etiam Blandinii. — CARM. XI, 4. servavimus lectionem: *quaerere*, *nec trepides*, plena interpunctione post *pauca* facta. Novissimus editor: *quaerere. ne trepides in usum posc. aevi pauca*, *fugit retro* etc. ‖ 23. *in comtum* seiunctim cum nuperis editt. dedimus pro *incomtum*, idque dudum Cruq. ex codd. scripserat. — CARM. XII, 2. *durum Hannib.* pro *dirum* ex Cruq., Blandiniis, Lol. Mald. Div. Arg. A. B. recipere non dubitavimus. *dirum*, quod nuperi editt. tenuerunt, ex Cruqq. unus Mart. habet. Itaque *durum* non in-

ferioris notae libris debetur, ut scribit Orellius, sed potius optimis. || 13. scripturam *Licymniae*, pro qua Bland. antiquiss. offert *Lycymniae*, alii etiam alia praebent, cum Bern. antiquiss. confirmat etiam Arg. A. B. || 28. *occupet* ex Cruqq. aliisque restitui pro lectione post Bentl. vulgata *occupat*. — CARM. XIII, 15. *Poenus*, pro quo nuper tentarunt *Thynus*, codd. Cruq. omnes, etiam Blandinii, iuxta cum reliquis omnibus tuentur. || 38. *laborum* etiam Cruqq. omnes pro eo, quod qui dam scripserunt *laborem*. Posterius tamen etiam in Arg. A. legitur. — CARM. XIV, 1. *Heu heu fugaces* pro *Eheu fugaces* Fea et Iahn. ex paucis libris, sed invitis quum aliis libris tum etiam Cruquii et Oberlini codd. omnibus. || 27. *superbo* Cruq. et Argent. pro eo, quod Lamb. Fea et Iahn. dederunt *superbum*. — CARM. XVIII, 25. *limites* pro var. lectione *limitem* tuentur etiam Cruqq. et Arg. A. B. — CARM. XX, 11. *superne*, ultima syllaba a Lucretio quoque correptum VI, 543. et 596., iuxta cum plurimis tuentur codd. Cruquiani et Arg. A. B. v. Commentar. Cruq. p. 137. Iidem libri mox etiam *ocior* tenent, pro quo nuper de coniectura Bentl. scripserunt *tutior*.

CARM. LIBER III. CARM. I, 17. *districtus* pro *destrictus* tacite Cruquius, quod ideo est notabile, quia ita videtur in codd. suis scriptum repperisse. || 23. et 30. tenent codd. Cruqq. et Arg. A. B. cum ceteris *umbrosamque* et *fundusque*, quod cave cum Dav. Ianio, Mitscherlichio, aliis, in *umbrosamve* et *fundusve* mutes. Idem iudicandum de Carm. II. 12, 6. et III. 2, 28. IV, 4. Sed res nuper rectius quam olim diiudicata est. || 35. *demittit* habent duo Blandin. cum Maldeg. Cruq. Ceteri Cruqq. cum Arg. A. *dimittit*, ut multi alii. || 43. *delenit* duo Blandin., sed *delinit* unus Bland. Div. Mart. Mald. Arg. A. B. Eadem est etiam aliorum codd. dissensio. Servandum fuit *delenit*. Dein *Falernae vites* unus Bland. et praeter ceteros Blandinios, qui tuentur *vitis*, reliqui libri Cruqq. cum Arg. A. B. — CARM. II, 28. tenendum *fragilemque* cum codd., quod nuper in *fragilemve* commutarunt. — CARM. III, 6. *manus Iovis* codd. Cruquii cum aliis plurimis pro eo, quod alii ediderunt olim *Iovis manus*. || 10. *enisus* cum recentiss. editor. Blandin. antiquiss. et quattuor alii Cruq. Alii *innixus* vel *invisus*. || 32. *Troia* pro *Troica* codd. meliores et Argent. A. || 54. *tangat* Cruquii codd., ut videtur, omnes et Arg. A. Orellius cum aliis *tanget;* sed recte Haupt. *tangat*. || 66. *auctore Phoebo* codd. Cruq. omnes, etiam Blandinn., uno excepto cod. Maldeg., unde Cruquius suscepit *ductore Phoebo*. || 69. *haec — conveniunt* Cruqq. omnes, etiam quattuor Blandinii, atque Arg. A., quod sane restituendum fuit. — CARM. IV, 4. *citharave* libri Cruq., sed recte *citharaque* Arg. A. B. || 10. duo Bland. et Mart. *nutricis*, quod etiam Acro et Porphyr. sequuntur. Sed *altricis* Blandin. antiquiss. cum ceteris Cruq. et Arg. A. || 38. unus ex Blandinn. cum Maldeg. *reddidit*, ut nuper editum. Sed ceteri Cruqq. omnes, etiam Bland. antiquiss., cum Tur. aliisque *abdidit*, quod pro vero probandum. Alii *addidit*, ut scripsit nuper etiam Orellius. Sed ea lectio ex *abdidit* orta videtur. || 78. *relinquit* pro *reliquit* etiam codd. Cruq. et Oberlin. omnes. — CARM. V, 8. *in arvis* Arg. A. || 17. libri: *si non periret immiserabilis*, metro laborante. Lachmannus ad Lucret. p. 17. corr. *si non perires immiserabilis*, verbis *captiva pubes* vocativo casu acceptis. Eam rationem probavit etiam Hauptius. Sed habet ista alloquutio nescio quid affectati, ut non videatur apta esse sententiae. Refinximus: *si non periret iam miserabilis*, h. e. miserabiliter, ut Virg. Aen. XII. 338. || 21. *direpta* pro *derepta* cum aliis multis codd. Cruquii omnes. Quod vide ne verum sit. Est nostrum: *weggerafft;* cf. IV. 15, 7. ubi codd. item *direpta*. sed Arg. A. cum ceteris *derepta*. || 37. pro *inscius* alii *aptius*. Hauptius: *anxius*, ut Iani coni. Tacet de loco

ontroverso Cruquius; nec vero uidquam in eo mutandum videtur. – Carm. VI, 9. dedimus *Monaesis*, uod Cruq. quoque ex codd. suis vulgavit. Alii *Monaeses*. ‖ 22. prave lii: *artibus iam nunc, et incestos* etc. [am *iam nunc* opponitur v. inseuenti *mox* et explicatur verbis *de nero ungui*. ‖ 36. *dirum* pro *durum* icite etiam Cruq., fortasse codd. iis fretus.—Carm. VII, 19. *monet* pro *ovet* Cruq. de codd. tacens, ut iis mnibus confisus esse videri queat. – Carm. IX, 5. *aliâ* codd. Cruqq. mnes praeter Maldeg., qui cum ulg. *aliam* habet, ut Cruq. edidit. – Carm. XI, 52. *scalpe* codd. Bland. mnes. Sed alii libri Cruq. ut Div. [art. Maldeg. *sculpe*, quod Fea et anderb. praetulerunt.—Carm. XII, l. *arto* Bland. antiquiss. cum aliis urimis. Verissime, opinor, et ita iam Lambin. Bentl. Fea, Iahn. ein. Haupt. Vulgo *alto*, quod teuit Orellius.—Carm. XIII, 1. *Bantsiae* firmant etiam Blandinii cerique codd. Cruquii omnes cum ern. Santog. Tur. aliis. Alii *Blantsiae*. — Carm. XIV, 6. *divis* pro *cris*, quod nuper ediderunt, reitui ex duobus Blandin. Mart. aldeg. Argentor. A. aliisque plumis. ‖ 11. *virum expertae* Cruquius cite, h. e. codd. suis fretus. Sed rg. A. *expertes*, quod auctore Cungh. Fea edidit aliis non improntibus. Dein *male ominatis* etiam ıtiquiss. Bland. cum Div. et Silv. ripsimus de coniect. Bentleii: *ıle inominatis*, quorsum perducit riptura antiq. Bern. Turic. aliom: *male nominatis*. ‖ 22. *mureum* landinn. omnes cum Bern. Tur. al. de Bentl. aliique recte *murreum*. Carm. XVI, 26. *arat impiger* etiam uqq. unanima consensione. Corxerunt olim *non piger*, quo non ıus, v. Carm. III. 24, 5. ibique ellius. — Carm. XVII, 13. *dum tis* Arg. A., ut Bentl. Mein. Haupt., ii, ex aliquot codd., sed Cruquius m plurimis tacite, h. e. ex codd. is, *dum potes*. — Carm. XIX, 24. *bili* Bland. antiquiss., quod vulg. ctioni *habilis* praefert Cruquius.— Carm. XX, 3. *post paullo*, ut vulgo, Blandinii omnes cum Div. et Sil. Argent. A. B. Ceteri ap. Cruq. *post paullum*. ‖ 8. cum libris tenuimus *an illi* pro eo, quod nuper evulgatum est, *an illa*, quod merae coniecturae debetur Hoffm. Peerlkampii. — Carm. XXIII, 12. *secures* codd. Cruq. et Argentor. cum aliis plurimis. Bentl. ex paucis codd. *securim*, probante Hauptio. — Carm. XXIV, 4. Bland. vetustiss. *mare publicum* cum annot. „i. e. *late patens*." Cum eo faciunt alius Blandin. et Sil. Sed tertius Blandin. legit: *Ponticum*, et super vers. *Apulicum*. Maldeg. *Apulicum*. Divaeus et ceteri Cruqq. omnes *Ponticum*. Scripturam *publicum* probabat Lachmann. ad Lucret. p. 37., quia *Apulicum* correpta prima syllaba ferri non posset; de quo tamen v. Od. III. 4. init. Hauptius edidit: *terrenum — et mare publicum*. Nos *Tyrrhenum* et *Apulicum* unice verum putamus, quandoquidem de mari supero et infero cogitandum est. ‖ 24. *pretium est mori* Cruquius de codd. suis tacens. Alii *pretium mori* aut *pretium emori*. ‖ 60. *fallat et hospites* cum Bentl. dedi pro vulg. *hospitem*. Pluralem, qui praestat ob sententiae gravitatem, tuentur Blandinii omnes cum Maldeg. Sil. Arg. B. — Carm. XXV, 6. *consilio Iovis* codd. Cruq. omnes, etiam Blandinii. Bentl. ex paucis libris: *concilio*. — Carm. XXVII, 5. *rumpat* pro *rumpit* a Bentl. Mein. Haupt. recepto Cruquio potissimum auctore restituimus. ‖ 48. *monstri* pro *tauri* etiam Blandinn. omnes, item Mart. Maldeg. Sil. et Bern. antiquiss. Itaque nemo iam de illius lectionis veritate, siquidem res ex codd. auctoritate pendeat, dubitare ausit. ‖ 60. tenuimus *laedere collum*, pro quo nuper quidam ex aliquot codd. scripserunt *elidere collum*, v. Nodell. Act. Traiect. I. p. 162. Lachmann. ad Lucret. p. 324. *lidere* probabat, ut olim Fabricius. Nimirum est hoc verbum hac in re proprium. Sed poeticum magis est *laedere*. — Carm. XXX, 12. *regnavit populorum* Blandinii duo antiquissimi sine li-

tura et duo alii per lituram. Etiam Sil. Cruq. et Arg. A. B. iuxta cum aliis non paucis eam scripturam tuentur. Plerique codd. *regnator populorum*, quod unde ortum duxerit, non difficile dictu est.

CARM. LIBER IV. CARM. I, 18. *largis muneribus* ex Cruq. et Arg. A., consentientibus aliis libris, dedimus pro *largi*. ‖ 20. *citrea* pro *Cypria* praeter alios duo Blandinii antiquiss., quam lectionem dudum vindicavit Cruq. Arg. A. *cypria* et corr. *cyprea*. — CARM. II, 33. et 41. scripsi *concines* cum codd. Hauptius utrobique *concinet*, nescimus, qua auctoritate. ‖ 45. *loquar* dedi ex Blandiniis ceterisque Cruqq. omnibus. Idem tenent Arg. A. B. cum Bern. antiquiss. aliisque plurimis. Sed Meinek. et Haupt. *loquor*. Nimirum *loquar* pro futuro accipiendum. ‖ 49. dedimus *Tuque dum procedis, io triumphe*, ut habent Blandin. tres a pr. m. et Arg. A. B. itemque ceteri Cruquiani. Nuperi editores: *Teque, dum procedit, io triumphe* etc., quod et ipsum nititur non paucorum librorum auctoritate. — CARM. IV, 7. *propulit* etiam duo Bland. et Arg. A. ut editum vulgo est. Alii *protulit*, quod habent ceteri Cruqq. ‖ 17. *Raetis* confirmat Arg. A. ut Bentl. coni. Ceteri, etiam Cruqq. omnes, *Raeti*. ‖ 36. *dedecorant* Cruq. tacite, ut codd. ipsius nihil aliud videantur exhibuisse. Sed *indecorant* Arg. A. quod praeter Acron. et Porphyr. non pauci tuentur. Probarunt posterius etiam Jani, Fea, Mitscherl. Jahn. Orell. Usus eo verbo etiam Accius est. ‖ 65. *evenit* duo Blandinii et plerique alii Cruqq. cum Arg. A. B. aliisque plurimis atque optimis, sed Meinek. Orell. Jahn. Haupt. ex corr. Vat. L. et Valarti codd. aliquot *exiet;* quod videtur ob seqq. futura esse refictum. Certe *evenit* magis poeticum est. ‖ 73. *perficiunt* antiquiss. Bland. et pauci alii. — CARM. V, 4. *concilio* tacite scripsit etiam Cruq., sed Fea et Jahn. ex aliquot Ital. *consilio*. ‖ 12. *distinet* etiam tres Blandin. pro vulg. *detinet*. — 14. *dimovet* tres Cruqq.; ipse tamen cum Lamb. scripsit *demovet*. — 34. *defuso* verissime cum aliquot aliis antiquiss. Blandin. pro *diffuso*, quod praeter alios Fea, Jahn. et Mein. tenuerunt. — CARM. VI, 6. *quamvis* etiam Cruq. codd. suis fretus. Sed *quamquam*, ut Fea et Jahn., praestantissimus Arg. A. ‖ 21. pro *victus* Blandin. antiquiss. *flexus*, ut scripsit Bentl. et Haupt. ‖ 28. pro vulg. *Agyieu* codd. Cruq. omnes, etiam Blandinii, *Agylleu*, et alii nonnulli, ut Arg. B. *Agileu*. Reposuimus *Agylleu*, quod iam Cruq. in Comment. doctissime defendit ex Strabone V. ubi Pythii Apollinis templum memoratur Agylleorum nominatum. Agylla autem nominabatur olim Caere; v. Virgil. Aen. VIII. 479. ibique Heyn. — CARM. VII, 15. *quo pius Aeneas* Cruq. edidit, sed ex Bland. antiquiss. *pater* enotavit, quod reliqui spernunt cum Arg. A. B. antiquiss. Bern. aliis plurimis. Nuperi editt. tamen *pater*. — Mox pro *crastina summae* Blandin. antiquiss. Tur. et alii quidam *crastina vitae*, quod editt. omnes iure spreverunt. — CARM. VIII, 9. *nec tibi* pro v. *non tibi* Bland. antiquiss. et alii quidam. ‖ 12. *muneri* recte tres Bland. antiquiss. Bern. aliique pro *muneris*, quod alii tuentur. ‖ 17. spurium putamus itemque 28., quibus versibus eiectis totius carminis ratio optime constare videtur. — CARM. IX, 52. *timidus perire*. Bland. antiquiss. sed duo alii Cruqq. *peribit*. Eadem lectionis discrepantia est etiam in aliis codd. — CARM. XII, 13. antiquiorem scripturam: *Vergili*, de qua v. Wagner. ad Virg. T. V. p. 479., Cruquiani, Argentoratenses, alii plurimi ignorare videntur. Ex antiq. Bern. vero liquido *Vergili* enotatum. Tenuimus tamen ubique communis usus gratia formam vulgarem. — CARM. XIII, 14. *cari* Blandin. antiquiss. cum ann. *pretiosi;* recte: ita etiam libri quidam alii. Vulg. *clari*, quod etiam Oberlin. edidit nulla adscripta lectionis discrepantia. — CARM. XIV, 4. *fastos* libri Cruqq. et alii plurimi; sed *fastus* cum Bern. ant. item bene

ılti. ‖ 10. *Genaunos* etiam Cruius ex tribus Blandin. et sine ant. Oberlinus. Alii *Genannos* etc. 1. *Breunos* etiam Cruquius ex tris Blandin. et Oberlinus ex Arg. Alii *Brennos* vel *Brencos*. ‖ 19. *igaret* pro vulg. *fatigarit* cum uq. Oberlin. aliis plurimis scripsiıs. — CARM. XV. in codd. Cruqq. ıgitur praecedenti carmini, scili- ; quod et iisdem numeris et de lem argumento scriptum est. Sic am alibi. ‖ 7. *derepta* duo codd. uqq. incertum an Blandin. Ceteri nArg. A. et multis aliis *direpta;* v. III. 5, 21. ‖ 9. *Quirinum* pro vulg. *irini*, ex Arg. A. dedi, quod J. Fr. onovius coniectura erat assequu- . ‖ 15. *ad ortum* pro vulg. *ad ortus* ipsi ex Arg. A. et sic etiam Cruq. ite, Lambin. et Bentl. ARM. SAECUL. 21. *certus un de*- pro eo, quod alii scriptum habent *tus ut denos*, praebent iuxta cum is quattuor Blandinn. et Div. Cruii itemque duo Argent. ‖ 25. *quod ıel dictum est* ediderunt etiam ıq. et Oberlin. sine lectionis dispantia. Dein *servet* pro *servat* ınd. et Div. itemque Arg. A. B., cum Lamb. Cruq. Bentl. etiam ın. et Mein. scripserunt. Indicaım cum Orell. servavimus. ‖ 29 . *quaeque vos — impetret* quatr Bland. et Div. item Arg. A. B. le vulg. *quique — imperet*, quod ıt Cruquium etiam Bentlei. corit. ‖ 65. pro v. *arces* cum Cruq. a, Mein. ex Blandiniis omnibus et ent. A. B. restituimus *aras*. ‖ 68. 72. ex Arg. A. dedimus *proroget*, et et *applicet*, quamquam quatt. ndin. cum aliis plurimis tuentur icativum. Coniunctivum etiam llius probat. — Atque haec quin de Carminibus. Pergimus ad odos et Satiras, de quibus tamen vius exponere licebit.

POD. I, 5. emendavimus interıctionem verbis: *quibus te vita si rsitie*, utrinque commate inclu- et interrogandi signo post *gra*illato. ‖ 9. post *laturi* comma demus. ‖ 21. ex codd. *non ut adsit ili* dedimus, ut Orell. et al. quamquam Bland. antiq. habet: *non uti sit auxili*. ‖ ult. v. *ut* ante *nepos* cum codd. optimis eliminavimus vulgo male intrusum. — EPOD. II. 18. *arvis* pro *agris* dedi ex Blandin. omnibus, de quibus falsa narrat Orellius. ‖ 39. fortasse cum Hauptio corrigendum est *quid si* pro codd. lectione *quod si;* v. ad Carm. I 24, 13. ‖ 69. *redegit* Bland. omnes cum ceteris fere omnibus. — EPOD. V, 37. dedi *exusta* pro *exsucta*, *exsecta* etc. sequutus unum cod. Torr. et Bersm. ‖ 55. *formidolosae* etiam antiquiss. Blandin. h. e. quartus, de quo falsa narrat Orellius, qui omnes Bland. ait habere *formidolosis*. ‖ 60. *laborarunt* ex codd. plurimis dedimus pro *laborarint*, quod tamen Bland. antiquiss. habet. Indicativum praeter alios Bern. ant. tuetur. ‖ 87. distinxi: *venena, magnum fas nefasque, non valent*, servata ceterum librorum scriptura. Ita mutatione non videtur opus esse. — EPOD. IX, 17. *ad haec* scripsimus vestigia codicum sequuti. Alii *ad hoc* vel *adhuc* vel *ad hunc*. — EPOD. XII, 2. *cur mihi* cum Blandiniis aliisque plurimis retinuimus. Nam quod nuper ex Bern. dederunt *quid mihi*, id sine dubio curis grammaticorum debetur. ‖ 7. *quis sudor* pro v. *qui sudor* dedimus adstipulantibus, ut videtur, Blandiniis omnibus, certe Cruquio tacente, qui ita cum Lambino edidit. Etiam codd. Orellii ad unum omnes *quis*. — EPOD. XIII, 3. *amici* cum codd. dedimus. Bentl. de coni. *amice*, quod etiam Meinek. et Haupt. comprobarunt. ‖ 8. *Achaemenio* pro vulg. *Achaemenia* cum Bentl. aliisque scripsimus ex codd. plurimis. ‖ 12. Fea et Jahn. distinxerunt: *invicte mortalis, dea* etc. ‖ 13. *parvi*, librorum lectionem, retinuimus, quam non opus fuit mutari in *tardi* vel *proni* vel *puri*, quod nuper de coni. scripserunt. — EPOD. XV, 8. 9. recte Blandinn. et Bern. antiquiss. cum aliis multis *turbaret* et *agitaret*, quod iure desiderarunt Cuningh., Gesner. alii. Sed Bentl. ex ed. Locher. itemque Fea, Meinek., Haupt. *turbarit* et *agitarit*. —

Erod. XVI, 15. emendavimus verborum interpunctionem, ut sententia haec sit: *si forte quaeritis, quid expediat, ut careatis malis laboribus, haec sit optima sententia: Phocaeorum* etc. Ita nec opus est pro *quid* refingere *quod*, aut alio modo verba sanissima tentare. ‖ 14. Blandin. omnes cum multis aliis: *nefas videri* pro vulg. *nefas videre*. Illud tamquam rarius reponere non dubitavimus; conf. Carm. IV. 2, 59. ‖ 33. *ravos* quattuor Bland. et Bern. antiquiss., sed *flavos* plerique codd., quod mutare non ausi sumus. ‖ 65. *aere, dehinc* Blandinii omnes Bern. ant. Tur. alii plurimi. Vulgo ante Bentl. *aerea dehinc*, quod reduxit Meinek. — Erod. XVII, 11. *unxere* Blandinn. omnes et multi alii; sed *luxere* Bern. ant. cum totidem aliis. v. Muret. Varr. Lectt. III. 19. ‖ 18. *relapsus* Blandinn. omnes Bern. ant. alii multi pro v. *relatus*. ‖ 50. Bland. omnes et optimi quique *Pactumeius*. Editt. nonn. *Partumeius*. ‖ 64. optimi libri *laboribus* pro *doloribus*. ‖ 65 *infidi* Blandinn. Bern. Tur. alii optimae notae libri. Olim fuit *infidus*. ‖ 78. et 79. *possum* pro *possim* ex codd. scripsimus. ‖ 81. *agentis* Bland. antiquiss. Bern. Tur. Arg. B. Olim *habentis*, quod nuper recte mutatum est. — *exitum* pro *exitus*, quod a Bentl. ex codd. mutatum est, tuentur Blandin., ut videtur, omnes.

SATIR. LIBER I. Sat. I, 8. *momento cita mors* Blandinii, Bern. antiq. alii plurimi. Non opus est lectione: *momento aut cita mors*, quam ex quattuor codd. Lambini susceperunt Bentl. et Meinek. ‖ 23. post *praeterea* puncta posuimus, suspensae orationis signa; pertinet enim voc. ad verba 28. oratione liberius conformata. ‖ 29. ingeniose Bothius coni. *Fervidus hic campo miles*. ‖ 55. *mallem* cum Orellio ex codd. optimis et plurimis restituimus, quod ex paucis libris in *malim* mutarunt Bentl., Mein., Haupt. ‖ 88. *an si* duo Bland. Bern. ant. Santog. alii plurimi, ut Bentl. scripsit. *at si* plurimae edit. vett. ‖ 108. scripsimus ex Bland. antiquiss. *redeo, qui nemo ut avarus*, quod etiam Cruquii cod. Div. superscriptum habet. Idem Reisig. et Haupt. probarunt. Vulgo legitur: *redeo. Nemon' ut avarus*. ‖ 113. *obstat* cum codd. longe plurimis tenendum censuimus. Alii *obstet*. — Sat. II. 80. sequutus sum Blandinios, qui, uno excepto, scriptum exhibent: *sit licet hoc Cerinthe tuum*. Idem tuentur Bern. Santog. alii. Vulgo: *sit licet, o Cerinthe, tuum;* alii: *sit licet, hoc, Cerinthe, tuo tenerum est femur* etc., quod postremum placuit Hauptio. ‖ 110. *tolli* pro *pelli* Bland. antiquiss. et alii nonnulli, probante Bentl. et Hauptio. ‖ 120. vulgo interpungunt: *Gallis, hanc Philodemus ait sibi, quae neque magno* etc. — Sat. III, 20. *alia et fortasse* libri plerique omnes; paucissimi: *haud fortasse*, quod tamen tacite edidit Cruquius. Mutavi verborum distinctionem. ‖ 38. adiuvimus locum in editt. vitiosissime scriptum puncto post *praevertamur* posito, ubi vulgo commate interpungunt, et vicissim v. 40. post *Hagnae*, ubi editt. plenam habent interpunctionem, leniore illata interpunctione. — Similiter 57. et 58. interpunctionem emendavimus, dativo *illi* servato et post *tardo* eliminato *ac* vel *et*, quod fuerunt qui de mera coniectura infercirent. Nimirum *tardo pingui* per asyndeton dictum pro *tardo et pingui*, cuius rationis exempla etiam alia apud Horatium reperiuntur. ‖ 71. post *inclinet* in locum commatis plenam interpunctionem substituimus. ‖ 133. *vellent* Bentl. ex aliquot codd.; sed *vellunt* verum esse patet ex *coerces, urgeris, rumperis, latras*. — Sat. IV, 25. *eripe* dedi ex Bland. *quarto*, i. e. antiquissimo, et aliis Cruq. h. e. Tons. Busl. Nan. Div. Plurimi libri *erue*. Alii *elige*. Bentl. coni. *arripe*. ‖ 39. *esse poetas* pro *esse poetis* cum codd. scripsimus; est enim illud iniuria in dativum commutatum. ‖ 105. post *dabis* plene distinximus, quum vulgo media ponatur interpunctio. ‖ 124. pro *factu* plurimi codd. etiam Blandinn. et ceteri Cruqq. omnes *factum*. — Sat. V, 1. *excepit* verissime Bland.

Bern. antiq. cum multis aliis. lii *accepit.* ‖ 36. *vatillum* pro *batil-m* Blandinii omnes, quattuor ersm., alii non pauci.— Sat. VI, 4. o *imperitarent* Cruq. iuxta cum amb. *imperitarint*, codd. suos, opi-or, sequutus, cum quibus conci-nt etiam alii, ut Argent. A. duo ersm. tres Pullm., complures Pot-r. et Orell. ‖ 13. pari fere codd. ctoritate *fugit* et *fuit* scribitur. edimus tamen *fuit*, quod res ipsa quirere visa est. ‖ 31. *et cupiat* timi quique tuentur; *ut cupiat*, od cum Bentl. nuper amplexi nt, deteriores libri. ‖ 47. *sim* pro *m* Cruq. omnes cum aliis plurimis; dimus igitur coniunctivum. ‖ 79. *si is* pro *si qui*, quod Bland. aliquot bent, ob reliquorum librorum ctoritatem tenendum iudicavi-us. ‖ 85. commate ante *olim* di-nximus, quum vulgo *verteret olim* ngatur. ‖ 111. *millibus atque al.* uq. omnes aliique plurimi pro v. *llis atque al.* ‖ 126. scripsimus ex tiquiss. Blandin. *fugio campum sumque trigonem.* Olim vulgaba-r: *fugio rabiosi tempora signi.* No-ndum tamen est, in Bland. codice lgatam lectionem esse adscri-am atque verbis: *fugio campum sumque trigonem* puncta supposi-, quod solet esse erroris indicium. que iure de receptae scripturae ctoritate etiamnunc dubites. — r. VII, 7. non *tumidusque*, sed nisso *que* cum Bland. vetustiss. iisque libris optimae notae *tumidus* idimus, et vers. 10 sqq. inter-nctionem emendavimus, in editt. re vitiosissimam. — Sat. VIII, . post *sepulcrum* colo distinxi-is, v. 11. post *nepoti* interpunctione ni sublata. ‖ 20. post *animos* ple-, non colo, interpunximus. ‖ 32. *que* pro *ut quae* restituimus, quae m fuit lectio vulgata. — Sat. IX, . post *tacitus* non commate, sed ene distinximus, post *laudaret* tem in locum puncti comma suf-cimus. Mox v. 16. post *prosequar* nctum, post *tibi* interrogandi no-m posuimus; alii enim haec in um coniungunt. ‖ 45. verba: „*ne-mo dexterius — summosses omnes*" nugatori adscripsimus; alii aliter. — Sat. X, 25 sqq. post *Petilli* recte interrogandi nota distinguitur, sed non item post *bilinguis* 30. ubi punctum ponendum fuit. Quo facto poeta primum adversarium urget interrogatiuncula; deinde autem eum acerbe ridet propterea, quod ineptissime sentiat. Nec vero cum Bentleio *oblitus* in *oblitos* et *Latine* in *Latini* mutandum fuit. Hoc enim dicit: *scilicet* (tu) *oblitus patriae patrisque malis Pedium Poplicolam et Corvinum patriis* (verbis) *intermiscere verba foris* (aliunde) *petita Canusini more bilinguis, quum illi Latine caussas exsudent*, i. e. caussas difficillimas orent. *Latine caussas exsudare*, i. e. Latino sermone caussas maxima cum contentione agere, rectissime dictum est respondetque formulae: *patriis intermiscere petita verba foris.* ‖ 31. *atqui ego* verissime codd. Cruqq. aliique multi pro *atque ego*, quod defendit Orellius et recepit etiam Haupt. ‖ 86. *Bibule et Servi* scripsimus cum aliis ex em. Mureti et N. Heinsii. Libri *Bibuli et Servi.*

SATIR. LIBER II. Sat. I, 20. Bentl. ex aliquot libris *recalcitret*, refragantibus plurimis iisdemque optimis. ‖ 31. *usquam* pro *unquam* recte Blandinii ceterique Cruqq. cum plerisque aliis. ‖ 54. emendavimus verborum distinctionem signo exclamandi post *mirum* posito. Scilicet ita ad proxima: *ut neque* etc. ex antegressis intelligitur *nil faciet.* ‖ 59. *iusserit* codd. plerique omnes; *luserit* ex paucis iisque deterioribus libris Mein. et Fea. ‖ 79. *diffindere* scripsimus ex Bland. antiquiss. Mart. Busl. al. Alii *diffingere* vel *defringere.* — Sat. II, 2. *quem* rectissime plurimi codd. etiam 3 Bland. Alii *quae*, quod post Bentl. plurimi susceperunt. Praeterea codd. omnes *Ofellus* praeter corr. Santog. Orellii, qui *Ofella* habet, quod unice verum putabat Bentl., conf. v. 53. 112. 133. Defendit codicum lectionem Grotefend. z. Geogr. u. Gesch. von Altitalien V. p. 25. ‖ 10 sqq. vitiosam

interpunctionem sustulimus post *indomito* et post *aera disco* suspensae orationis signo interposito. Primaria enim sententia haec est: *leporem sectatus equove lassus ab indomito—sperne cibum vilem, quum labor est:* quibus reliqua per liberiorem sermonis conversionem interposita sunt. ‖ 29. Gesnerum sequuti sumus; intell. *vesceris.* ‖ 32. post *hiet* nota interrogandi distinximus, quam male nuper sustulerunt. ‖ 38. ubi *raro* non cum *temnit*, sed cum *ieiunus* iunxeris, versum non ut spurium cum Bentl. damnaveris. ‖ 40. vulgo post *ait* deest interpunctio: sed *ait* ut *inquit* infinite positum videtur pro *ait aliquis*, ut reliqua accedant per epexegesin. ‖ 65. noli cum Bentl. probare *qua*, quod paucissimi codd. habent. Verissimum est, opinor, *qui*, dummodo recte intelligatur. ‖ 84. praeter necessitatem pro *ubique*, i. e. *et ubi*, cum Bentl. scripserunt *ubive* Cuningh. Heindorf. et alii quidam. ‖ 94. verissime libri plerique omnes *occupat;* male nuper scripserunt *occupet*, a Bentleio olim quidem commendatum, sed postea reiectum. ‖ 99. tenendum utique cum codd. *inquis*, quod etiam Schol. Cruq. habuit. Minus recte *inquit* cum Bentl. scripseris. ‖ 106. *erunt* futurum unice verum est, pro quo iniuria Bentl. et Meinek. de N. Heinsii coni. dederunt *eunt.* ‖ 129. *propriae*, i. e. perpetuae, recte codd. plerique omnes; sed Fea et Meinek. *proprie.* — SAT. III, 1. Bentl. aliique nuper ex tribus Blandin. et aliis quibusdam: *Si raro* etc. commate ante *quid fiet?* illato. Sed vere plerique libri: *Sic raro scribis*, ut habent etiam Blandin. antiquiss. Santogall. alii. Nimirum concisis utitur homo orationis membris utpote loquens iracundius et Horatio scribendi tarditatem vehementius exprobrans. Recte positum esse *Sic* facile concedent, qui interrogativi illius *siccine* bene meminerint. Pro *scribis* Bentl. *scribes.* Sed productio syllabae *is* tam ab arsi quam ab interpunctione habet excusationem. Lachmannus tamen ad Lucret. p. 76 sqq. de syllabae productione movit controversiam. ‖ 4. unice verum est: *ab ipsis*, pro quo alii cum Bentl. *at ipsis.* ‖ 5. distinguunt alii: *fugisti sobrius. ergo*, quum vera sit lectio: *fugisti. sobrius ergo dic* etc., h. e. ergo quum effugeris Saturnaliorum comessationes, iam aliquando dic aliquid sobrius etc. ‖ 12. legendum censemus: *comites et ducere*, ut est in aliquot codd. ‖ 88. vulgo interpungunt: *seu recte hoc volui, ne sis patruus*, quod nos mutavimus. ‖ 93. *periret* pro *perisset* Argent. A. B. Cruquiani omnes cum Sanctog. praeter tres Blandin. Sil. et Div., qui habent *perisset*, ut nuper scripserunt Mein. et Haupt. Bentleium sequuti. ‖ 129. *tuos* codd. fere omnes. Alii *tuo* de T. an. Fabri coni. Non opus mutatione. Nam *tuos* est: qui sint in tua potestate. Cui recte subiungitur: *quos aere pararis.* ‖ 154. praestantissimi quique libri *accedat* pro *accedit*, quod inde a Bentl. edi solitum. ‖ 163. legitur etiam Epist. I. 6, 28. De versibus apud Hor. repetitis exposuit Obbar. ad Ep. I, 1. p. 73. ‖ 170. *haec* pro *hoc*, quod inde a Bentl. editum est, codicum auctoritate restituimus. ‖ 172. *et ludere* verissime codd. omnes. Bentl. coni. *perdere.* ‖ 208. *veris* scripsit Orellius de coni. Lambini, idque a prima manu habet etiam antiquiss. Blandin., sed *veri* tuetur Giphanius in Indic. Lucret. s. v. *Aliena* p. 10. ‖ 276 sq. post *scrutare* colo distinximus. Ineptissime vulgo: *scrutare modo, inquam. Hellade percussa* etc. Alii ante *modo* plene interpungunt, quod et ipsum vitiosum est. Pro *inquam* Hauptius de coni. Car. Frankii *in quem.* ‖ 283. *quid tam magnum* recte praeter paucos alios Blandinii. Vulgo *quiddam magn.* ‖ 301. *quam — stultitiam* pro v. *qua — stultitia* Cruq. ex cod. Mart. et Bentl. recte, opinor. ‖ 317. vulgo erat: *num tandem, se inflans, sic magna fuisset.* Quod ex vetustiss. Bland. et aliis quibusdam refictum dederunt Cruq. Bentl. alii. Corrigendum autem videtur: *num tantum? sufflans se: magna fuisset!*

Sat. IV, 37. recte *averrere* Bland. ıues cum aliis non paucis pro lg. *avertere*. Sic *verrere* de piscium ptu Sat. II. 3, 135. — Sat. V, 90. dimus *ultra*, i. e. plus quam satis :, interpunctione post *garrulus* :ta. Alii *ultro*, quod fuerunt qui m *offendes garrulus* connecterent. 104. Lachmann. ad Lucret. p. 297. rr. *illacrima; e re est*, ut Hauptius idit. — Sat. VI, 46 sqq. post *in re* sustulimus plenam interpunonem, et 48. post *invidiae* punctum suimus, quum vulgo scribatur: *idiae noster. Ludos spectaverat* etc. ıippe nominativus *subiectior* surioribus accedit per appositiom, perinde ac si antea dictum sit: *quo fui in numero amicorum Maeıatis*. Similiter Sat. I. 2, 101. conf. stra ad Plat. Phaedr. p. 241.

Est autem *noster* i. q. amicus us, Maecenas. ‖ 59. pro *perditur* chmann. corr. *porgitur*, probante uptio. — Sat. VIII, 30. *porrexe-* codd. Cruquiani aliique plurimi. lgo *porrexerat*. ‖ 35. retinuimus plurimorum codd., etiam Cruquianorum, scripturam: *quam—remittit*, pro qua alii: *quod—remittat*.

Sed satis haec de opera nostra in verbis Horatii recognoscendis posita. Nam de Epistolis quoque quominus similiter exponamus, vel spatii huic scriptioni nostrae concessi angustiae prohibent. Neque vero id unice necessarium esse arbitramur, quandoquidem si qui fontes scripturae a nobis susceptae accuratius cognoscere voluerint, iis praesto erunt amplissimae variae lectionis copiae editionis Epistolarum a S. Obbario et Th. Schmidio institutae; ratio autem atque via, quam hac in re tenuimus, vel ex iis, opinor, perspicietur, quae hactenus a nobis exposita sunt.

Superest, ut tironum caussa brevem conspectum metrorum, quibus Horatius in lyricis usus est, subiiciamus; nam de numeris ac versibus in Sermonibus et Epodis usurpatis data opportunitate iam in superioribus explicatum est.

SCHEMATA METRORUM HORATIANORUM.

. *Metra Asclepiadea*, quae constant nuis choriambicis cum basi spondiaca, rarise trochaica, et catalexi disyllaba.

Asclepiadeum primum:

⏑̄ ⏑̄, –́ ⏑ ⏑ – | , –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏓

I. 1. III. 30. IV. 8.

. *Asclepiadeum secundum:*

⏑̄ ⏑̄, –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏒

⏑̄ ⏑̄, –́ ⏑ ⏑ –, | –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏑

I. 3. 13. 19. 36. III. 9. 15. 19. 24. 25. 28. IV. 1. 3.

I. *Asclepiadeum tertium:*

:, –́ ⏑ ⏑ –, | –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏓ ter repetit.

⏑̄ ⏑̄, –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏓

I. 6. 15. 24. 33. II. 12. III. 10. 16. IV. 5. 12.

7. *Asclepiadeum quartum:*

:, –́ ⏑ ⏑ – | –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏒, bis repet.

⏑̄ ⏑̄, –́ ⏑ ⏑ –, ⏓

⏑̄ ⏑̄, –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏓

I. 5. 14. 21. 23. III. 7. 13. IV. 13.

. *Asclepiadeum maius s. quintum:*

, –́ ⏑ ⏑ –, | –́ ⏑ ⏑ –, | –́ ⏑ ⏑ –, ⏑ ⏓

I. 11. 18. IV. 10.

. *Metra Sapphica*, quae propriam sibi ha: trochaicorum et dactylicorum numem consociationem atque exitum logaoem, quandoquidem versus logaoedici dicti :, in quibus a dactylicis numeris ad trocos transitur, ut medii inter cantum et ;arem sermonem esse videantur.

I. *Stropha sapphica s. metrum Sapphicum primum:*

–́ ⏑ – –, –́ | ⏑ ⏑, –́ ⏑ – ⏓ ter repet.

–́ ⏑ ⏑, –́ ⏑

Habet igitur stropha Sapphica in ternis versibus prioribus primum dipodiam trochaicam, ita quidem, ut secundus pes semper spondeus sit; deinde dactylum cum trochaeis, hoc est ordinem logaoedicum, quem metrici vocant. Caesura rarius fit post sextam brevem, ut I. 10, 1. 6. 18. II. 6, 11. IV. 6, 27. IV. 2, 38. al. Quamquam in libro quarto et Carm. Saecul. ea ratio est longe creberrima. Postremus versiculus Adonius vocari solet.

Od. I. 2 10. 12. 20. 22. 25. 30. 32. 38. II. 2. 4. 6. 8 10 16. III. 8. 11. 14. 18. 20. 22. 27. IV. 2. 6. 11. Carm. Saecul.

II. *Metrum Sapphicum maius s. secundum*, quod vulgo dicitur, duobus constans versibus, quorum prior habet dactylum cum dipodia trochaica, qui versus Aristophanicus vocatur; posterior exorditur a dipodia trochaica, cuius pes secundus semper spondeus est, deinde ad choriambum transgreditur; quo posito denique finitur in ordinem logaoedicum. Caesuram prior versus post dactylum, posterior post primam et quartam syllabam choriambi sibi deposcit. Est igitur forma eius haec:

–́ ⏑ ⏑, | –́ ⏑ ⏓

–́ ⏑ – –, –́ | ⏑ ⏑ –, | –́ ⏑ ⏑, –́ ⏑ – ⏓

Od. I. 8.

C. *Metrum Alcaicum.*

Strophа Alcaica numeros habet dactylicos et trochaicos in unum coniunctos. Constat enim quaternis versibus, quorum ratio, vulgo parum perspecta, haec est. Duo priores versus compositi sunt ex dipodia trochaica praemissa anacrusi et dactylo logaoedico, adiuncto dupl. troch. catal.; tertius versus est dimeter trochaicus acatalect. cum anacrusi; quartus denique habet duos dactylos cum totidem trochaeis acat. Itaque ratio eius haec est:

⏑, ˊ ⏑ – –, | ˊ ⏑ ⏑, ˊ ⏑ ⏓
⏑, ˊ ⏑ – –, | ˊ ⏑ ⏑, ˊ ⏑ ⏓
⏑, ˊ ⏑ – –, ˊ ⏑ – ⏓
ˊ ⏑ ⏑ ˊ ⏑ ⏑ ˊ ⏑ ˊ ⏓

Caesura hendecasyllabi versus ante dactylum quinquies neglecta est: Od. I. 16, 21. I. 37, 5. et 14. II. 17, 21. IV. 14, 17.

Od. I. 9. 16. 17. 26. 27. 29. 31. 34. 35. 37. II. 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 14. 15. 17. 19. 20. III. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 17. 21. 23. 26. 29. IV. 4. 9. 14. 15.

D. *Metra Archilochia*, quae vel meris numeris dactylicis, vel etiam numeris dactylicis cum iambicis consociatis constant.

I. *Archilochium primum*, quod habet primum hexametrum heroicum ac deinde trimetrum dactylicum in syllabam catal.:

ˊ ⏑⏑, – ⏑⏑, ˊ | ⏑⏑, – ⏑⏑, ˊ ⏑⏑, – ⏑
ˊ ⏑ ⏑, – ⏑ ⏑, ⏓

Od. IV. 7.

II. *Archilochium secundum*, quod constat versu hexam. heroico et versu iambelego:

ˊ ⏑⏑, ˊ ⏑⏑, ˊ | ⏑⏑, ˊ ⏑⏑ ˊ ⏑⏑ ˊ ⏑
⏑ ˊ ⏑ –, ⏑ ˊ ⏓ | ˊ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓

Epod. 13. In Odis non usurpatur.

III. *Archilochium tertium*, quod compositum est ex trimetro iamb. acatal. et vers. iambelego:

⏑ ˊ ⏑ –, ⏑ | ˊ ⏑ –, ⏑ ˊ ⏑ ⏓
ˊ ⏑ ⏑, ˊ ⏑ ⏑, ⏓ | ⏑ ˊ ⏑ –, ⏑ ˊ ⏑ ⏓

Reperitur tantum Epod. 11.

IV. *Archilochium quartum*, quod constat versu Archiloch. maiore et trimetro iamb. catalect.

ˊ ⏑⏑, ˊ ⏑⏑, ˊ ⏑⏑, ˊ ⏑ ⏑, ˊ ⏑ ˊ ⏑ ˊ ⏑
⏑ ˊ ⏑ –, ⏑ | ˊ ⏑ –, ⏑ ˊ ⏑

Od. I. 4.

E. *Metrum Alcmanium*, ex dactylis compositum.

ˊ ⏑⏑, ˊ ⏑⏑, ˊ | ⏑⏑, ˊ ⏑⏑, ˊ ⏑ ⏑, ˊ ⏑
ˊ ⏑⏑, ˊ ⏑⏑, ˊ ⏑ ⏑, ˊ ⏑

Od. I. 7. et 28. coll. Ep. 12. Spondeus in quinta hexametri sede positus est Od. I. 28, 21. et in tertia tetrametri I. 28, 2.

F. *Metrum Hipponacteum*, ex dimetro troch. catal. et iambic. trimetro catalectico conflatum.

ˊ ⏑ – ⏑, ˊ ⏑ ⏓
⏑ ˊ ⏑ ⏑⏑, ⏑ | ˊ ⏑ –, ⏑ ˊ ⏑

Od. II. 18.

G. *Systema Ionicum a minore:*

⏑ ⏑ ˊ –, ⏑ ⏑ ˊ –, ⏑ ⏑ ˊ –, ⏑ ⏑ ˊ –
⏑ ⏑ ˊ –, ⏑ ⏑ ˊ –, ⏑ ⏑ ˊ –, ⏑ ⏑ ˊ –
⏑ ⏑ ˊ –, ⏑ ⏑ ˊ –

Eo metro usus est Horatius in uno tantum carmine Od. III. 12.

Ceterum carmina numeris Asclepiadeis scripta, etsi vel *κατὰ στίχον*, id est, eodem versu semper repetito, vel etiam ut *δίκωλα*, sive duobus versuum generibus coniunctis, composita sunt, tamen omnia ut *τετράστιχα* describi iussimus, ita ut item strophas efficiant, sequuti legem illam, sive a Wetzelio sive a Meinekio primum animadversam, postea etiam a G. Hermanno comprobatam, qua carmina istiusmodi, quae vulgo mere monostropha ac distropha habita sunt, pro strophicis agnoscere iubemur. Quam quidem legem etsi fuerunt qui vanam et irritam esse contenderent, tamen ab Horatio revera observatam esse nos quidem plane nobis persuasimus. Cuius tamen sententiae nostrae caussas et rationes subtilius exponere nunc nec vacat nec lubet.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER PRIMUS.

CARMEN I.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Maecenas atavis edite regibus,
o et praesidium et dulce decus meum,

sunt quos curriculo pulverem Olympicum
collegisse iuvat, metaque fervidis
evitata rotis palmaque nobilis
terrarum dominos evehit ad deos;

hunc, si mobilium turba Quiritium
certat tergeminis tollere honoribus;
illum, si proprio condidit horreo,
quidquid de Libycis verritur areis.

gaudentem patrios findere sarculo
agros Attalicis conditionibus
nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.

luctantem Icariis fluctibus Africum
mercator metuens otium et oppidi
laudat rura sui; mox reficit rates
quassas, indocilis pauperiem pati.

est qui nec veteris pocula Massici
nec partem solido demere de die
spernit, nunc viridi membra sub arbuto
stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.

multos castra iuvant et lituo tubae
permixtus sonitus bellaque matribus
detestata. manet sub Iove frigido
venator tenerae coniugis immemor,
seu visa est catulis cerva fidelibus,
seu rupit teretes Marsus aper plagas.
me doctarum hederae praemia frontium
dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
quodsi me lyricis vatibus inseris,
sublimi feriam sidera vertice.

CARMEN II.

AD CAESAREM AUGUSTUM.

Iam satis terris nivis atque dirae
grandinis misit pater et rubente
dextera sacras iaculatus arces
terruit urbem,
terruit gentes, grave ne rediret
seculum Pyrrhae nova monstra questae,
omne quum Proteus pecus egit altos
visere montes,
piscium et summa genus haesit ulmo,
nota quae sedes fuerat columbis,
et superiecto pavidae natarunt
aequore damae.
vidimus flavum Tiberim retortis
litore Etrusco violenter undis
ire deiectum monumenta regis
templaque Vestae,
Iliae dum se nimium querenti
iactat ultorem, vagus et sinistra
labitur ripa Iove non probante u-
xorius amnis.

audiet cives acuisse ferrum,
quo graves Persae melius perirent;
audiet pugnas vitio parentum
rara iuventus.

quem vocet divum populus ruentis
imperi rebus? prece qua fatigent
virgines sanctae minus audientem
carmina Vestam?

cui dabit partes scelus expiandi
Iuppiter? tandem venias, precamur,
nube candentes humeros amictus,
augur Apollo;

sive tu mavis, Erycina ridens,
quam Iocus circumvolat et Cupido;
sive neglectum genus et nepotes
respicis, auctor,

heu nimis longo satiate ludo,
quem iuvat clamor galeaeque leves
acer et Mauri peditis cruentum
vultus in hostem;

sive mutata iuvenem figura
ales in terris imitaris, almae
filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor:

serus in caelum redeas, diuque
laetus intersis populo Quirini,
neve te nostris vitiis iniquum
ocior aura

tollat; hic magnos potius triumphos,
hic ames dici pater atque princeps,
neu sinas Medos equitare inultos,
te duce, Caesar.

CARMEN III.

AD NAVEM VIRGILII ATHENAS PROFECTURI.

Sic te diva potens Cypri,
sic fratres Helenae, lucida sidera,
ventorumque regat pater
obstrictis aliis praeter Iapyga,
navis, quae tibi creditum
debes Virgilium: finibus Atticis
reddas incolumem, precor,
et serves animae dimidium meae.

illi robur et aes triplex
circa pectus erat, qui fragilem truci
commisit pelago ratem
primus, nec timuit praecipitem Africum

decertantem Aquilonibus,
nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti,
quo non arbiter Hadriae
maior, tollere seu ponere vult freta.

quem mortis timuit gradum,
qui siccis oculis monstra natantia,
qui vidit mare turbidum et
infames scopulos Acroceraunia?

nequidquam deus abscidit
prudens Oceano dissociabili
terras, si tamen impiae
non tangenda rates transiliunt vada.

audax omnia perpeti
gens humana ruit per vetitum nefas;
audax Iapeti genus
ignem fraude mala gentibus intulit.

post ignem aetheria domo
subductum macies et nova febrium
terris incubuit cohors,
semotique prius tarda necessitas

leti corripuit gradum.
expertus vacuum Daedalus aera
pennis non homini datis;
perrupit Acheronta Herculeus labor.

nil mortalibus ardui est;
caelum ipsum petimus stultitia, neque
per nostrum patimur scelus
iracunda Iovem ponere fulmina.

CARMEN IV.

AD L. SEXTIUM.

olvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
trahuntque siccas machinae carinas,
neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
nec prata canis albicant pruinis.

m Cytherea choros ducit Venus imminente Luna,
iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
erno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

nc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
aut flore, terrae quem ferunt solutae;
nc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
seu poscat agnam sive malit hoedum.

llida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turres. o beate Sexti,
ae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
iam te premet nox, fabulaeque Manes,

domus exilis Plutonia: quo simul mearis,
nec regna vini sortiere talis,
tenerum Lycidam mirabere, quo calet iuventus
nunc omnis et mox virgines tepebunt.

CARMEN V.

AD PYRRHAM.

Quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urget odoribus
grato, Pyrrha, sub antro?
cui flavam religas comam,

simplex munditiis? heu, quoties fidem
mutatosque deos flebit et aspera
nigris aequora ventis
emirabitur insolens,

qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper vacuam, semper amabilem
sperat, nescius aurae
fallacis. miseri, quibus

intentata nites. me tabula sacer
votiva paries indicat uvida
suspendisse potenti
vestimenta maris deo.

CARMEN VI.

AD M. VIPSANIUM AGRIPPAM.

Scriberis Vario fortis et hostium
victor Maeonii carminis alite,
quam rem cumque ferox navibus aut equis
miles te duce gesserit.

nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
nec cursus duplicis per mare Ulixei,
nec saevam Pelopis domum

conamur, tenues grandia, dum pudor
imbellisque lyrae Musa potens vetat
laudes egregii Caesaris et tuas
culpa deterere ingeni.

quis Martem tunica tectum adamantina
digne scripserit, aut pulvere Troico
nigrum Merionen, aut ope Palladis
Tydiden superis parem?

Nos convivia, nos proelia virginum
sectis in iuvenes unguibus acrium
cantamus vacui, sive quid urimur,
non praeter solitum leves.

CARMEN VII.

AD MUNATIUM PLANCUM.

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen
aut Ephesum bimarisve Corinthi
moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
insignes aut Thessala Tempe.

unt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
carmine perpetuo celebrare et
ndique decerptam fronti praeponere olivam.
plurimus in Iunonis honorem

ptum dicet equis Argos ditesque Mycenas.
me nec tam patiens Lacedaemon
ec tam Larissae percussit campus opimae,
quam domus Albuneae resonantis

t praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
mobilibus pomaria rivis.
lbus ut obscuro deterget nubila caelo
saepe Notus neque parturit imbres

erpetuos, sic tu sapiens finire memento
tristitiam vitaeque labores
olli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
castra tenent seu densa tenebit

'iburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
quum fugeret, tamen uda Lyaeo
mpora populea fertur vinxisse corona,
sic tristes affatus amicos:

„quo nos cumque feret melior fortuna parente,
ibimus, o socii comitesque.
nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro;
certus enim promisit Apollo
ambiguam tellure nova Salamina futuram.
o fortes peioraque passi
mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
cras ingens iterabimus aequor.“

CARMEN VIII.

AD LYDIAM.

Lydia, dic, per omnes
te deos oro, Sybarin cur properes amando
perdere; cur apricum
oderit campum, patiens pulveris atque solis;
cur neque militaris
inter aequales equitet, Gallica nec lupatis
temperet ora frenis?
cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
sanguine viperino
cautius vitat, neque iam livida gestat armis
brachia, saepe disco,
saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
quid latet, ut marinae
filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
funera, ne viriles
cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

CARMEN IX.

AD THALIARCHUM.

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
silvae laborantes, geluque
flumina constiterint acuto.

dissolve frigus ligna super foco
large reponens, atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.

permitte divis cetera; qui simul
stravere ventos aequore fervido
deproeliantes, nec cupressi
nec veteres agitantur orni.

quid sit futurum cras, fuge quaerere, et
quem fors dierum cumque dabit, lucro
appone, nec dulces amores
sperne puer neque tu choreas,

donec virenti canities abest
morosa. nunc et campus et areae
lenesque sub noctem susurri
composita repetantur hora;

nunc et latentis proditor intimo
gratus puellae risus ab angulo
pignusque dereptum lacertis
aut digito male pertinaci.

CARMEN X.

HYMNUS AD MERCURIUM.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
qui feros cultus hominum recentum
voce formasti catus et decorae
more palaestrae,

te canam, magni Iovis et deorum
nuncium curvaeque lyrae parentem,
callidum, quidquid placuit, iocoso
condere furto.

te, boves olim nisi reddidisses
per dolum amotas, puerum minaci
voce dum terret, viduus pharetra
risit Apollo.

quin et Atridas, duce te, superbos
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
castra fefellit.

tu pias laetis animas reponis
sedibus, virgaque levem coerces
aurea turbam, superis deorum
gratus et imis.

CARMEN XI.

AD LEUCONOEN.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios tentaris numeros. ut melius, quidquid erit, pati! seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam, qui nunc oppositis debilitat pumicibus mare Tyrrhenum; sapias, vina liques, et spatio brevi spem longam reseces. dum loquimur, fugerit invida aetas; carpe diem, quam minimum credula postero.

CARMEN XII.

AD CAESAREM AUGUSTUM.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
tibia sumis celebrare, Clio?
quem deum? cuius recinet iocosa
nomen imago

aut in umbrosis Heliconis oris
aut super Pindo gelidove in Haemo?
unde vocalem temere insequutae
Orphea silvae,

arte materna rapidos morantem
fluminum lapsus celeresque ventos,
blandum et auritas fidibus canoris
ducere quercus.

quid prius dicam solitis Parentis
laudibus, qui res hominum et deorum,
qui mare ac terras variisque mundum
temperat horis?

unde nil maius generatur ipso,
nec viget quidquam simile aut secundum.
proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

proeliis audax, neque te silebo,
Liber, et saevis inimica Virgo·
belluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.

dicam et Alciden puerosque Ledae,
hunc equis, illum superare pugnis
nobilem; quorum simul alba nautis
stella refulsit,

defluit saxis agitatus humor,
concidunt venti fugiuntque nubes,
et minax, quod sic voluere, ponto
unda recumbit.

Romulum post hos prius an quietum
Pompili regnum memorem an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
nobile letum.

Regulum et Scauros, animaeque magnae
prodigum Paullum superante Poeno,
gratus insigni referam Camena,
Fabriciumque.

hunc et incomtis Curium capillis
utilem bello tulit et Camillum
saeva paupertas et avitus apto
cum lare fundus.

crescit occulto velut arbor aevo
fama Marcelli; micat inter omnes
Iulium sidus velut inter ignes
luna minores.

gentis humanae pater atque custos,
orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data; tu secundo
Caesare regnes.

ille, seu Parthos Latio imminentes
egerit iusto domitos triumpho,
sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

te minor laetum regat aequus orbem;
tu gravi curru quaties Olympum,
tu parum castis inimica mittes
fulmina lucis.

CARMEN XIII.

AD LYDIAM.

Quum tu, Lydia, Telephi
cervicem roseam, cerea Telephi
laudas brachia, vae meum
fervens difficili bile tumet iecur.

tum nec mens mihi nec color
certa sede manent, humor et in genas
furtim labitur, arguens
quam lentis penitus macerer ignibus.

uror, seu tibi candidos
turparunt humeros immodicae mero
rixae, sive puer furens
impressit memorem dente labris notam.

non, si me satis audias,
speres perpetuum, dulcia barbare
laedentem oscula, quae Venus
quinta parte sui nectaris imbuit.

felices ter et amplius,
quos irrupta tenet copula nec malis
divulsus querimoniis
suprema citius solvet amor die.

CARMEN XIV.

AD REMPUBLICAM.

O navis, referent in mare te novi
fluctus? o quid agis? fortiter occupa
portum! nonne vides, ut
nudum remigio latus

et malus celeri saucius Africo
antennaeque gemant ac sine funibus
vix durare carinae
possint imperiosius

aequor? non tibi sunt integra lintea,
non di, quos iterum pressa voces malo.
quamvis Pontica pinus,
silvae filia nobilis,

iactes et genus et nomen: inutile!
nil pictis timidus navita puppibus
fidit! tu, nisi ventis
debes ludibrium, cave.

nuper sollicitum quae mihi taedium,
nunc desiderium curaque non levis,
interfusa nitentes
vites aequora Cycladas.

CARMEN XV.

NEREI VATICINIUM DE EXCIDIO TROIAE.

Pastor quum traheret per freta navibus
Idaeis Helenam perfidus hospitam,
ingrato celeres obruit otio
ventos, ut caneret fera

Nereus fata: „mala ducis avi domum,
quam multo repetet Graecia milite,
coniurata tuas rumpere nuptias
et regnum Priami vetus.

eheu, quantus equis, quantus adest viris
sudor! quanta moves funera Dardanae
genti! iam galeam Pallas et aegida
currusque et rabiem parat.

nequidquam Veneris praesidio ferox
pectes caesariem, grataque feminis
imbelli cithara carmina divides;
nequidquam thalamo graves

hastas et calami spicula Cnosii
vitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem: tamen, heu! serus adulteros
cultus pulvere collines.

non Laertiaden, exitium tuae
gentis, non Pylium Nestora respicis?
urgent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus, sciens

pugnae, sive opus est imperitare equis,
non auriga piger; Merionen quoque
nosces. ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre;

quem tu cervus uti vallis in altera
visum parte lupum graminis immemor
sublimi fugies mollis anhelitu,
non hoc pollicitus tuae.

iracunda diem proferet Ilio
matronisque Phrygum classis Achillei;
post certas hiemes uret Achaicus
ignis Iliacas domos."

CARMEN XVI.

AD AMICAM.

O matre pulchra filia pulchrior,
quem criminosis cumque voles modum
pónes iambis, sive flamma,
sive mari libet Hadriano.

non Dindymene, non adytis quatit
mentem sacerdotum incola Pythius,
non Liber aeque, non acuta
sic geminant Corybantes aera,

tristes ut irae; quas neque Noricus
deterret ensis nec mare naufragum
nec saevus ignis nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.

fertur Prometheus, addere principi
limo coactus particulam undique
desectam, et insani leonis
vim stomacho apposuisse nostro.

irae Thyesten exitio gravi
stravere, et altis urbibus ultimae
stetere caussae, cur perirent
funditus imprimeretque muris

hostile aratrum exercitus insolens.
compesce mentem: me quoque pectoris
tentavit in dulci iuventa
fervor et in celeres iambos

misit furentem; nunc ego mitibus
mutare quaero tristia, dum mihi
fias recantatis amica
opprobriis animumque reddas.

CARMEN XVII.

AD TYNDARIDEM.

Velox amoenum saepe Lucretilem
mutat Lycaeo Faunus, et igneam
defendit aestatem capellis
usque meis pluviosque ventos.

impune tutum per nemus arbutos
quaerunt latentes et thyma deviae
olentis uxores mariti,
nec virides metuunt colubras

nec Martiales haedulcae lupos;
utcumque dulci, Tyndari, fistula
valles et Usticae cubantis
levia personuere saxa.

di me tuentur, dis pietas mea
et musa cordi est; hinc tibi copia
manabit ad plenum benigno
ruris honorum opulenta cornu.

hic in reducta valle Caniculae
vitabis aestus, et fide Teia
dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.

hic innocentis pocula Lesbii
duces sub umbra, nec Semeleius
cum Marte confundet Thyoneus
proelia, nec metues protervum

suspecta Cyrum, ne male dispari
incontinentes iniiciat manus,
et scindat haerentem coronam
crinibus immeritamque vestem.

CARMEN XVIII.

AD P. QUINCTILIUM VARUM.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
circa mite solum Tiburis et moenia Catili;
siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?
quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
ac ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero

debellata, monet Sithoniis non levis Evius,
quum fas atque nefas exiguo fine libidinum
discernunt avidi. non ego te, candide Bassareu,
invitum quatiam, nec variis obsita frondibus

divum rapiam. saeva tene cum Berecyntio
a tympana, quae subsequitur caecus Amor sui,
llens vacuum plus nimio Gloria verticem,
aique Fides prodiga, perlucidior vitro.

CARMEN XIX.

AD GLYCERAM.

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque iubet me Semeles puer
et lasciva Licentia
finitis animum reddere amoribus.

urit me Glycerae nitor
splendentis Pario marmore purius;
urit grata protervitas
et vultus nimium lubricus adspici.

in me tota ruens Venus
Cyprum deseruit, nec patitur Scythas
et versis animosum equis
Parthum dicere, nec quae nihil attinent.

hic vivum mihi cespitem, hic
verbenas, pueri, ponite thuraque
bimi cum patera meri;
mactata veniet lenior hostia.

CARMEN XX.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Vile potabis modicis Sabinum
cantharis, Graeca quod ego ipse testa
conditum levi, datus in theatro
quum tibi plausus,

care Maecenas eques, ut paterni
fluminis ripae simul et iocosa
redderet laudes tibi Vaticani
montis imago.

Caecubum et praelo domitam Caleno
tu bibes uvam: mea nec Falernae
temperant vites neque Formiani
pocula colles.

CARMEN XXI.

HYMNUS AD DIANAM ET APOLLINEM.

Dianam tenerae dicite virgines,
intonsum, pueri, dicite Cynthium
Latonamque supremo
dilectam penitus Iovi.

vos laetam fluviis et nemorum coma,
quaecumque aut gelido prominet Algido,
nigris aut Erymanthi
silvis aut viridis Cragi;

vos Tempe totidem tollite laudibus
natalemque, mares, Delon Apollinis,
insignemque pharetra
fraternaque humerum lyra.

hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
vestra motus aget prece.

CARMEN XXII.

AD ARISTIUM FUSCUM.

Integer vitae scelerisque purus
non eget Mauris iaculis neque arcu
nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra;

sive per Syrtes iter aestuosas,
sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
lambit Hydaspes.

namque me silva lupus in Sabina,
dum meam canto Lalagen et ultra
terminum curis vagor expeditis,
fugit inermem;

quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
nec Iubae tellus generat, leonum
arida nutrix.

pone me, pigris ubi nulla campis
arbor aestiva recreatur aura,
quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget;

pone sub curru nimium propinqui
solis in terra domibus negata:
dulce ridentem Lalagen amabo,
dulce loquentem.

CARMEN XXIII.

AD CHLOEN.

Vitas hinnuleo me similis Chloe
quaerenti pavidam montibus aviis
matrem non sine vano
aurarum et silüae metu;

nam seu mobilibus veris inhorruit
adventus foliis, seu virides rubum
dimovere lacertae,
et corde et genibus tremit.

atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor;
tandem desine matrem
tempestiva sequi viro.

CARMEN XXIV.

AD P. VIRGILIUM MARONEM.

Quis desiderio sit pudor aut modus
tam cari capitis? praecipe lugubres
cantus, Melpomene, cui liquidam pater
vocem cum cithara dedit.

ergo Quinctilium perpetuus sopor
urget? cui Pudor et Iustitiae soror,
incorrupta Fides nudaque Veritas
quando ullum invenient parem?

multis ille bonis flebilis occidit;
nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
tu frustra pius, heu, non ita creditum
poscis Quinctilium deos.

quid, si Threicio blandius Orpheo
auditam moderere arboribus fidem;
num vanae redeat sanguis imagini,
quam virga semel horrida,

non lenis precibus fata recludere,
nigro compulerit Mercurius gregi?
durum: sed levius fit patientia,
quidquid corrigere est nefas.

CARMEN XXV.

AD LYDIAM.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
iactibus crebris iuvenes protervi,
nec tibi somnos adimunt, amatque
ianua limen,

quae prius multum facilis movebat
cardines; audis minus et minus iam:
„me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?“

invicem moechos anus arrogantes
flebis in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento;

quum tibi flagrans amor et libido,
quae solet matres furiare equorum,
saeviet circa iecur ulcerosum,
non sine questu,

laeta quod pubes hedera virenti
gaudeat pulla magis atque myrto,
aridas frondes hiemis sodali
dedicet Hebro.

CARMEN XXVI.

AD MUSAM DE AELIO LAMIA.

Musis amicus tristitiam et metus
tradam protervis in mare Creticum
portare ventis, quis sub Arcto
rex gelidae metuatur orae,

quid Tiridatem terreat, unice
securus. o, quae fontibus integris
gaudes, apricos necte flores,
necte meo Lamiae coronam,

Pimplea dulcis: nil sine te mei
prosunt honores; hunc fidibus novis,
hunc Lesbio sacrare plectro
teque tuasque decet sorores.

CARMEN XXVII.

AD SODALES.

Natis in usum laetitiae scyphis
pugnare Thracum est: tollite barbarum
morem, verecundumque Bacchum
sanguineis prohibete rixis.

vino et lucernis Medus acinaces
immane quantum discrepat: impium
lenite clamorem, sodales,
et cubito remanete presso!

vultis severi me quoque sumere
partem Falerni? dicat Opuntiae
frater Megillae, quo beatus
vulnere, qua pereat sagitta.

cessat voluntas? non alia bibam
mercede. quae te cumque domat Venus
non erubescendis adurit
ignibus, ingenuoque semper

amore peccas. quidquid habes, age,
depone tutis auribus. — ha miser,
quanta laborabas Charybdi,
digne puer meliore flamma!

quae saga, quis te solvere Thessalis
magus venenis, quis poterit deus?
vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

CARMEN XXVIII.

ARCHYTAS.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
mensorem cohibent, Archyta,
pulveris exigui prope litus parva Matinum
munera, nec quidquam tibi prodest
aerias tentasse domos animoque rotundum
percurrisse polum, morituro!
occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras
et Iovis arcanis Minos admissus, habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
demissum, quamvis, clypeo Troiana refixo
tempora testatus, nihil ultra

ıervos atque cutem morti concesserat atrae,
iudice te, non sordidus auctor
ıaturae verique. sed omnes una manet nox,
et calcanda semel via leti!
lant alios Furiae torvo spectacula Marti;
exitio est avidum mare nautis;
nixta senum ac iuvenum densentur funera, nullum
saeva caput Proserpina fugit. —
ne quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
ıt tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
ossibus et capiti inhumato
›articulam dare; sic, quodcumque minabitur Eurus
fluctibus Hesperiis, Venusinae
›lectantur silvae, te sospite, multaque merces,
unde potest, tibi defluat aequo
ıb Iove Neptunoque sacri custode Tarenti.
negligis immeritis nocituram
›ostmodo te natis fraudem committere? fors et
debita iura vicesque superbae
e maneant ipsum; precibus non linquar inultis,
teque piacula nulla resolvent.
ıuamquam festinas, non est mora longa; licebit
iniecto ter pulvere curras.

CARMEN XXIX.

AD ICCIUM.

Icci, beatis nunc Arabum invides
gazis, et acrem militiam paras
non ante devictis Sabaeae
regibus, horribilique Medo

nectis catenas? quae tibi virginum,
sponso necato, barbara serviet?
puer quis ex aula capillis
ad cyathum statuetur unctis,

doctus sagittas tendere Sericas
arcu paterno? quis neget arduis
pronos relabi posse rivos
montibus et Tiberim reverti,

quum tu coemtos undique nobiles
libros Panaeti Socraticam et domum
mutare loricis Hiberis,
pollicitus meliora, tendis?

CARMEN XXX.

AD VENEREM.

O Venus, regina Cnidi Paphique,
sperne dilectam Cypron, et vocantis
thure te multo Glycerae decoram
transfer in aedem.

fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
et parum comis sine te Iuventas
Mercuriusque.

CARMEN XXXI.

AD APOLLINEM.

Quid dedicatum poscit Apollinem
vates? quid orat, de patera novum
fundens liquorem? non opimas
Sardiniae segetes feracis;

non aestuosae grata Calabriae
armenta; non aurum aut ebur Indicum;
non rura, quae Liris quieta
mordet aqua, taciturnus amnis.

premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem, dives et aureis
mercator exsiccet culullis
vina Syra reparata merce,

dis carus ipsis, quippe ter et quater
anno revisens aequor Atlanticum
impune: me pascunt olivae,
me cichorea levesque malvae.

frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones, ac, precor, integra
cum mente, nec turpem senectam
degere nec cithara carentem.

CARMEN XXXII.

AD LYRAM.

Poscimur. si quid vacui sub umbra
lusimus tecum, quod et hunc in annum
vivat et plures; age, dic Latinum,
barbite, carmen,

Lesbio primum modulate civi,
qui ferox bello, tamen inter arma
sive iactatam religarat udo
litore navim,

Liberum et Musas Veneremque et illi
semper haerentem puerum canebat,
et Lycum nigris oculis nigroque
crine decorum.

o decus Phoebi et dapibus supremi
grata testudo Iovis, o laborum
dulce lenimen, mihi cumque salve
rite vocanti.

CARMEN XXXIII

AD ALBIUM TIBULLUM.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
immitis Glycerae, neu miserabiles
decantes elegos, cur tibi iunior
laesa praeniteat fide.

insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
declinat Pholoen; sed prius Apulis
iungentur capreae lupis,

quam turpi Pholoe peccet adultero.
sic visum Veneri, cui placet impares
formas atque animos sub iuga aenea
saevo mittere cum ioco.

ipsum me, melior quum peteret Venus,
grata detinuit compede Myrtale
libertina, fretis acrior Hadriae
curvantis Calabros sinus.

CARMEN XXXIV.

AD SE IPSUM.

Parcus deorum cultor et infrequens
insanientis dum sapientiae
consultus erro, nunc retrorsum
vela dare atque iterare cursus

cogor relictos. namque Diespiter,
igni corusco nubila dividens
plerumque, per purum tonantes
egit equos volucremque currum,

quo bruta tellus et vaga flumina,
quo Styx et invisi horrida Taenari
sedes Atlanteusque finis
concutitur. valet ima summis

mutare, et insignem attenuat deus,
obscura promens; hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
sustulit, hic posuisse gaudet.

CARMEN XXXV.

AD FORTUNAM ANTIATEM.

O diva, gratum quae regis Antium,
praesens vel imo tollere de gradu
mortale corpus, vel superbos
vertere funeribus triumphos:

te pauper ambit sollicita prece
ruris colonus; te dominam aequoris,
quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

te Dacus asper, te profugi Scythae
urbesque gentesque et Latium ferox
regumque matres barbarorum et
purpurei metuunt tyranni,

iniurioso ne pede proruas
stantem columnam, neu populus frequens
ad arma cessantes, ad arma
concitet, imperiumque frangat.

te semper anteit saeva Necessitas,
clavos trabales et cuneos manu
gestans aena, nec severus
uncus abest liquidumque plumbum.

te. Spes et albo rara Fides colit
velata panno; nec comitem abnegat,
utcumque mutata potentes
veste domos inimica linquis.

at vulgus infidum et meretrix retro
periura cedit; diffugiunt cadis
cum faece siccatis amici,
ferre iugum pariter dolosi.

serves iturum Caesarem in ultimos
orbis Britannos, et iuvenum recens
examen, Eois timendum
partibus Oceanoque rubro.

eheu, cicatricum et sceleris pudet
fratrumque. quid nos dura refugimus
aetas? quid intactum nefasti
liquimus? unde manum iuventus
metu deorum continuit? quibus
pepercit aris? o utinam nova
incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum!

CARMEN XXXVI.

IN HONOREM PLOTII NUMIDAE.

Et thure et fidibus iuvat
placare et vituli sanguine debito
custodes Numidae deos,
qui nunc Hesperia sospes ab ultima
caris multa sodalibus,
nulli plura tamen dividit oscula
quam dulci Lamiae, memor
actae non alio rege puertiae
mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota,
neu promtae modus amphorae,
neu morem in Salium sit requies pedum,
neu multi Damalis meri
Bassum Threicia vincat amystide,
neu desint epulis rosae,
neu vivax apium, neu breve lilium.
omnes in Damalin putres
deponent oculos; nec Damalis novo
divelletur adultero,
lascivis hederis ambitiosior.

CARMEN XXXVII.

AD SODALES.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
pulsanda tellus, nunc Saliaribus
ornare pulvinar deorum
tempus erat dapibus, sodales;
antehac nefas depromere Caecubum
cellis avitis, dum Capitolio
regina dementes ruinas
funus et imperio parabat
contaminato cum grege turpium
morbo virorum, quidlibet impotens
sperare fortunaque dulci
ebria. sed minuit furorem
vix una sospes navis ab ignibus,
mentemque lymphatam Mareotico
redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem
remis adurgens, accipiter velut
molles columbas, aut leporem citus
venator in campis nivalis
Haemoniae, daret ut catenis
fatale monstrum: quae generosius
perire quaerens, nec muliebriter
expavit ensem, nec latentes
classe cita reparavit oras,
ausa et iacentem visere regiam
vultu sereno, fortis et asperas
tractare serpentes, ut atrum
corpore combiberet venenum,
deliberata morte ferocior,
saevis Liburnis scilicet invidens
privata deduci superbo
non humilis mulier triumpho.

CARMEN XXXVIII.

AD PUERUM MINISTRUM.

Persicos odi, puer, apparatus;
displicent nexae philyra coronae;
mitte sectari, rosa quo locorum
sera moretur.

simplici myrto nihil adlabores
sedulus curo; neque te ministrum
dedecet myrtus, neque me sub arta
vite bibentem.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

CARMEN I.

AD C. ASINIUM POLLIONEM.

Motum ex Metello consule civicum
bellique caussas et vitia et modos
ludumque Fortunae gravesque
principum amicitias et arma
nondum expiatis uncta cruoribus,
periculosae plenum opus aleae,
tractas, et incedis per ignes
suppositos cineri doloso.
paullum severae Musa tragoediae
desit theatris: mox, ubi publicas
res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
insigne maestis praesidium reis,
et consulenti, Pollio, curiae,
cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
iam nunc minaci murmure cornuum
perstringis aures; iam litui strepunt;
iam fulgor armorum fugaces
terret equos equitumque vultus.
audire magnos iam videor duces
non indecoro pulvere sordidos,
et cuncta terrarum subacta
praeter atrocem animum Catonis.

Iuno, et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
tellure, victorum nepotes
rettulit inferias Iugurthae.

quis non Latino sanguine pinguior
campus sepulcris impia proelia
testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?

qui gurges aut quae flumina lugubris
ignara belli? quod mare Dauniae
non decoloravere caedes?
quae caret ora cruore nostro?

sed ne, relictis, Musa procax, iocis,
Ceae retractes munera neniae:
mecum Dionaeo sub antro
quaere modos leviore plectro.

CARMEN II.

AD C. SALLUSTIUM CRISPUM.

Nullus argento color est avaris
abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
splendeat usu.

vivet extento Proculeius aevo,
notus in fratres animi paterni;
illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

latius regnes avidum domando
spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas et uterque Poenus
serviat uni.

crescit indulgens sibi dirus hydrops,
nec sitim pellit, nisi causa morbi
fugerit venis et aquosus albo
corpore languor.

redditum Cyri solio Phraaten,
dissidens plebi, numero beatorum
eximit Virtus, populumque falsis
dedocet uti

vocibus, regnum et diadema tutum
deferens uni propriamque laurum,
quisquis ingentes oculo irretorto
spectat acervos.

CARMEN III.

AD Q. DELLIUM.

Aequam memento rebus in arduis
servare mentem, non secus in bonis
ab insolenti temperatam
laetitia, moriture Delli,

seu maestus omni tempore vixeris,
seu te in remoto gramine per dies
festos reclinatum bearis
interiore nota Falerni.

quo pinus ingens albaque populus
umbram hospitalem consociare amant
ramis, quo et obliquo laborat
lympha fugax trepidare rivo,

huc vina et unguenta et nimium breves
flores amoenae ferre iube rosae,
dum res et aetas et sororum
fila trium patiuntur atra.

cedes coemtis saltibus et domo
villaque, flavus quam Tiberis lavit;
cedes, et exstructis in altum
divitiis potietur heres.

divesne, prisco natus ab Inacho,
nil interest, an pauper et infima
de gente sub divo moreris,
victima nil miserantis Orci.

omnes eodem cogimur; omnium
versatur urna serius ocius
sors exitura, et nos in aeternum
exsilium impositura cymbae.

CARMEN IV.

AD XANTHIAM PHOCEUM.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu: prius insolentem
serva Briseis niveo colore
movit Achillem;

movit Aiacem Telamone natum
forma captivae dominum Tecmessae;
arsit Atrides medio in triumpho
virgine rapta,

barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore et ademptus Hector
tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.

nescias, an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes;
regium certe genus et Penates
maeret iniquos.

crede, non illam tibi de scelesta
plebe dilectam, neque sic fidelem,
sic lucro aversam potuisse nasci
matre pudenda.

brachia et vultum teretesque suras
integer laudo; fuge suspicari,
cuius octavum trepidavit aetas
claudere lustrum.

CARMEN V.

AD AMATOREM LALAGES.

Nondum subacta ferre iugum valet
cervice, nondum munia comparis
aequare, nec tauri ruentis
in Venerem tolerare pondus.

circa virentes est animus tuae
campos iuvencae, nunc fluviis gravem
solantis aestum, nunc in udo
ludere cum vitulis salicto

praegestientis. tolle cupidinem
immitis uvae; iam tibi lividos
distinguet autumnus racemos
purpureo varius colore.

iam te sequetur; currit enim ferox
aetas, et illi, quos tibi dempserit,
apponet annos; iam proterva
fronte petet Lalage maritum,

dilecta, quantum non Pholoe fugax,
non Chloris albo sic humero nitens,
ut pura nocturno renidet
luna mari Cnidiusque Gyges;

quem si puellarum insereres choro,
mire sagaces falleret hospites
discrimen obscurum solutis
crinibus ambiguoque vultu.

CARMEN VI.

AD SEPTIMIUM.

Septimi, Gades aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et
barbaras Syrtes, ubi Maura semper
aestuat unda:

Tibur Argeo positum colono
sit meae sedes utinam senectae,
sit modus lasso maris et viarum
militiaeque!

unde si Parcae prohibent iniquae,
dulce pellitis ovibus Galaesi
flumen et regnata petam Laconi
rura Phalantho.

ille terrarum mihi praeter omnes
angulus ridet, ubi non Hymetto
mella decedunt viridique certat
bacca Venafro,

ver ubi longum tepidasque praebet
Iuppiter brumas et amicus Aulon
fertili Baccho minimum Falernis
invidet uvis.

ille te mecum locus et beatae
postulant arces; ibi tu calentem
debita sparges lacrima favillam
vatis amici.

CARMEN VII.

AD POMPEIUM GROSPHUM.

O saepe mecum tempus in ultimum
deducte Bruto militiae duce,
quis te redonavit Quiritem
dis patriis Italoque caelo,

Pompei, meorum prime sodalium?
cum quo morantem saepe diem mero
fregi, coronatus nitentes
malobathro Syrio capillos.

tecum Philippos et celerem fugam
sensi, relicta non bene parmula,
quum fracta virtus, et minaces
turpe solum tetigere mento.

sed me per hostes Mercurius celer
denso paventem sustulit aere;
te rursus in bellum resorbens
unda fretis tulit aestuosis.

ergo obligatam redde Iovi dapem,
longaque fessum militia latus
depone sub lauru mea, nec
parce cadis tibi destinatis.

oblivioso levia Massico
ciboria exple; funde capacibus
unguenta de conchis. quis udo
deproperare apio coronas

curatve myrto? quem Venus arbitrum
dicet bibendi? non ego sanius
bacchabor Edonis: recepto
dulce mihi furere est amico.

CARMEN VIII.

AD BARINEN.

Ulla si iuris tibi peierati
poena, Barine, nocuisset unquam,
dente si nigro fieres vel uno
turpior ungui,

crederem: sed tu simul obligasti
perfidum votis caput, enitescis
pulchrior multo, iuvenumque prodis
publica cura.

expedit matris cineres opertos
fallere et toto taciturna noctis
signa cum caelo gelidaque divos
morte carentes.

ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
simplices Nymphae, ferus et Cupido,
semper ardentes acuens sagittas
cote cruenta.

adde quod pubes tibi crescit omnis,
servitus crescit nova; nec priores
impiae tectum dominae relinquunt,
saepe minati.

te suis matres metuunt iuvencis,
te senes parci miseraeque nuper
virgines nuptae, tua ne retardet
aura maritos.

CARMEN IX.

AD VALGIUM.

Non semper imbres nubibus hispidos
manant in agros aut mare Caspium
vexant inaequales procellae
usque; nec Armeniis in oris,

amice Valgi, stat glacies iners
menses per omnes, aut Aquilonibus
querqueta Gargani laborant
et foliis viduantur orni:

tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum, nec tibi Vespero
surgente decedunt amores
nec rapidum fugiente Solem.

at non ter aevo functus amabilem
ploravit omnes Antilochum senex
annos, nec impubem parentes
Troilon aut Phrygiae sorores

flevere semper. desine mollium
tandem querelarum, et potius nova
cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,

Medumque flumen gentibus additum
victis minores volvere vortices,
intraque praescriptum Gelonos
exiguis equitare campis.

CARMEN X.

AD LICINIUM MURENAM.

Rectius vives, Licini, neque altum
semper urgendo, neque, dum procellas
cautus horrescis, nimium premendo
litus iniquum.

auream quisquis mediocritatem
diligit, tutus caret obsoleti
sordibus tecti, caret invidenda
sobrius aula.

saepius ventis agitatur ingens
pinus, et celsae graviore casu
decidunt turres, feriuntque summos
fulmina montes.

sperat infestis, metuit secundis
alteram sortem bene praeparatum
pectus. informes hiemes reducit
Iuppiter, idem

summovet. non, si male nunc, et olim
sic erit. quondam cithara tacentem
suscitat Musam neque semper arcum
tendit Apollo.

rebus angustis animosus atque
fortis appare; sapienter idem
contrahes vento nimium secundo
turgida vela.

CARMEN XI.

AD QUINCTIUM HIRPINUM.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadria
divisus obiecto, remittas
quaerere, nec trepides in usum

poscentis aevi pauca. fugit retro
levis iuventas et decor, arida
pellente lascivos amores
canitie facilemque somnum.

non semper idem floribus est honos
vernis, neque uno Luna rubens nitet
vultu: quid aeternis minorem
consiliis animum fatigas?

cur non sub alta vel platano vel hac
pinu iacentes sic temere et rosa
canos odorati capillos,
dum licet, Assyriaque nardo

potamus uncti? dissipat Evius
curas edaces. quis puer ocius
restinguet ardentis Falerni
pocula praetereunte lympha?

quis devium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra
maturet, in comtum Lacaenae
more comas religata nodum.

CARMEN XII.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Nolis longa ferae bella Numantiae
nec durum Hannibalem nec Siculum mare,
Poeno purpureum sanguine, mollibus
aptari citharae modis,

nec saevos Lapithas et nimium mero
Hylaeum domitosque Herculea manu
telluris iuvenes, unde periculum
fulgens contremuit domus

Saturni veteris; tuque pedestribus
dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
regum colla minacium.

me dulcis dominae Musa Licymniae
cantus, me voluit dicere lucidum
fulgentes oculos et bene mutuis
fidum pectus amoribus;

quam nec ferre pedem dedecuit choris
nec certare ioco nec dare brachia
ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die.

num tu, quae tenuit dives Achaemenes
aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
permutare velis crine Licymniae,
plenas aut Arabum domos,

dum flagrantia detorquet ad oscula
cervicem, aut facili saevitia negat,
quae poscente magis gaudeat eripi,
interdum rapere occupet?

CARMEN XIII.

IN ARBOREM, CUIUS CASU REPENTINO PAENE OPPRESSUS FUERAT.

Ille et nefasto te posuit die
quicumque primum, et sacrilega manu
produxit, arbos, in nepotum
perniciem opprobriumque pagi;

illum et parentis crediderim sui
fregisse cervicem et penetralia
sparsisse nocturno cruore
hospitis; ille venena Colcha

et quidquid usquam concipitur nefas
tractavit, agro qui statuit meo
te triste lignum, te caducum
in domini caput immerentis.

quid quisque vitet, nunquam homini satis
cautum est in horas: navita Bosporum
Poenus perhorrescit, neque ultra
caeca timet aliunde fata,

miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum
robur; sed improvisa leti
vis rapuit rapietque gentes.

quam paene furvae regna Proserpinae
et iudicantem vidimus Aeacum
sedesque discretas piorum et
Aeoliis fidibus querentem

Sappho puellis de popularibus,
et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
dura fugae mala, dura belli!

utrumque sacro digna silentio
mirantur umbrae dicere; sed magis
pugnas et exactos tyrannos
densum humeris bibit aure vulgus.

quid mirum, ubi illis carminibus stupens
demittit atras bellua centiceps
aures et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

quin et Prometheus et Pelopis parens
dulci laborum decipitur sono;
nec curat Orion leones
aut timidos agitare lyncas.

CARMEN XIV.

AD POSTUMUM.

Eheu, fugaces, Postume, Postume,
labuntur anni, nec pietas moram
rugis et instanti senectae
afferet indomitaeque morti.

non, si trecenis, quotquot eunt dies,
amice, places illacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi

compescit unda, scilicet omnibus,
quicumque terrae munere vescimur,
enaviganda, sive reges
sive inopes erimus coloni.

frustra cruento Marte carebimus
fractisque rauci fluctibus Hadriae,
frustra per autumnos nocentem
corporibus metuemus Austrum:

visendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danai genus
infame, damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris;

linquenda tellus, et domus et placens
uxor; neque harum, quas colis, arborum
te, praeter invisas cupressos,
ulla brevem dominum sequetur.

absumet heres Caecuba dignior
servata centum clavibus, et mero
tinguet pavimentum superbo,
pontificum potiore coenis.

CARMEN XV.

IN SUI SECULI LUXUM.

Iam pauca aratro iugera regiae
moles relinquent, undique latius
extenta visentur Lucrino
stagna lacu, platanusque caelebs

evincet ulmos: tum violaria et
myrtus et omnis copia narium
spargent olivetis odorem,
fertilibus domino priori;

tum spissa ramis laurea fervidos
excludet ictus. non ita Romuli
praescriptum et intonsi Catonis
auspiciis veterumque norma.

privatus illis census erat brevis,
commune magnum; nulla decempedis
metata privatis opacam
porticus excipiebat Arcton,

nec fortuitum spernere cespitem
leges sinebant, oppida publico
sumtu iubentes et deorum
templa novo decorare saxo.

CARMEN XVI.

AD POMPEIUM GROSPHUM.

Otium divos rogat in patenti
prensus Aegaeo, simul atra nubes
condidit Lunam neque certa fulgent
sidera nautis;

otium bello furiosa Thrace,
otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura venale neque auro.

non enim gazae neque consularis
summovet lictor miseros tumultus
mentis et curas laqueata circum
tecta volantes.

vivitur parvo bene cui paternum
splendet in mensa tenui salinum,
nec leves somnos timor aut cupido
sordidus aufert.

quid brevi fortes iaculamur aevo
multa? quid terras alio calentes
sole mutamus? patriae quis exsul
se quoque fugit?

scandit aeratas vitiosa naves
cura, nec turmas equitum relinquit,
ocior cervis et agente nimbos
ocior Euro.

laetus in praesens animus, quod ultra est,
oderit curare et amara lento
temperet risu. nihil est ab omni
parte beatum.

abstulit clarum cita mors Achillem,
longa Tithonum minuit senectus;
et mihi forsan, tibi quod negarit,
porriget hora.

te greges centum Siculaeque circum
mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
apta quadrigis equa, te bis Afro
murice tinctae

vestiunt lanae: mihi parva rura, et
spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
spernere vulgus.

CARMEN XVII.

AD C. CILNIUM MAECENATEM AEGROTUM.

Cur me querelis exanimas tuis?
nec dis amicum est nec mihi, te prius
obire, Maecenas, mearum
grande decus columenque rerum.

ah, te meae si partem animae rapit
maturior vis, quid moror altera,
nec carus aeque, nec superstes
integer? ille dies utramque

ducet ruinam. non ego perfidum
dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
utcumque praecedes, supremum
carpere iter comites parati.

me nec Chimaerae spiritus igneae,
nec, si resurgat, centimanus Gyas
divellet unquam: sic potenti
Iustitiae placitumque Parcis.

seu Libra seu me Scorpius adspicit
formidolosus, pars violentior
natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae;

utrumque nostrum incredibili modo
consentit astrum. te Iovis impio
tutela Saturno refulgens
eripuit, volucrisque Fati

tardavit alas, quum populus frequens
laetum theatris ter crepuit sonum;
me truncus illapsus cerebro
sustulerat, nisi Faunus ictum

dextra levasset, Mercurialium
custos virorum. reddere victimas
aedemque votivam memento:
nos humilem feriemus agnam.

CARMEN XVIII.

AD AVARUM.

Non ebur neque aureum
mea renidet in domo lacunar,
non trabes Hymettiae
premunt columnas ultima recisas
Africa, neque Attali
ignotus heres regiam occupavi,
nec Laconicas mihi
trahunt honestae purpuras clientae:

at fides et ingeni
benigna vena est, pauperemque dives
me petit; nihil supra
deos lacesso, nec potentem amicum

largiora flagito,
satis beatus unicis Sabinis.
truditur dies die,
novaeque pergunt interire lunae:

tu secanda marmora
locas sub ipsum funus et sepulcri
immemor struis domos,
marisque Baiis obstrepentis urges
summovere litora,
parum locuples continente ripa.
quid, quod usque proximos
revellis agri terminos, et ultra
limites clientium
salis avarus? pellitur paternos
in sinu ferens deos
et uxor et vir sordidosque natos.
nulla certior tamen,
rapacis Orci fine destinata,
aula divitem manet
herum. quid ultra tendis? aequa tellus
pauperi recluditur
regumque pueris, nec satelles Orci
callidum Promethea
revexit auro captus; hic superbum
Tantalum atque Tantali
genus coercet, hic levare functum
pauperem laboribus
vocatus atque non vocatus audit.

CARMEN XIX.

HYMNUS IN BACCHUM.

Bacchum in remotis carmina rupibus
vidi docentem — credite, posteri! —
Nymphasque discentes et aures
capripedum Satyrorum acutas.
evoe, recenti mens trepidat metu,
plenoque Bacchi pectore turbidum
laetatur! evoe, parce Liber,
parce, gravi metuende thyrso!

fas pervicaces est mihi Thyiadas,
vinique fontem, lactis et uberes
cantare rivos, atque truncis
lapsa cavis iterare mella;

fas et beatae coniugis additum
stellis honorem, tectaque Penthei
disiecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

tu flectis amnes, tu mare barbarum;
tu separatis uvidus in iugis
nodo coerces viperino
Bistonidum sine fraude crines.

tu, quum parentis regna per arduum
cohors Gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis
unguibus horribilique mala:

quamquam choreis aptior et iocis
ludoque dictus non sat idoneus
pugnae ferebaris; sed idem
pacis eras mediusque belli.

te vidit insons Cerberus aureo
cornu decorum, leniter atterens
caudam, et recedentis trilingui
ore pedes tetigitque crura.

CARMEN XX.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Non usitata nec tenui ferar
penna biformis per liquidum aethera
vates, neque in terris morabor
longius, invidiaque maior

urbes relinquam. non ego pauperum
sanguis parentum, non ego, quem vocas,
dilecte Maecenas, obibo,
nec Stygia cohibebor unda.

iam iam residunt cruribus asperae
pelles, et album mutor in alitem
superne, nascunturque leves
per digitos humerosque plumae.

iam Daedaleo ocior Icaro
visam gementis litora Bospori
Syrtesque Gaetulas canorus
ales Hyperboreosque campos.

me Colchus et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus, et ultimi
noscent Geloni; me peritus
discet Hiber Rhodanique potor.

absint inani funere neniae
luctusque turpes et querimoniae;
compesce clamorem, ac sepulcri
mitte supervacuos honores.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER TERTIUS.

CARMEN I.

DE VARIIS HOMINUM STUDIIS.

Odi profanum vulgus et arceo;
favete linguis: carmina non prius
audita Musarum sacerdos
virginibus puerisque canto.
regum timendorum in proprios greges,
reges in ipsos imperium est Iovis,
clari Giganteo triumpho,
cuncta supercilio moventis.
est ut viro vir latius ordinet
arbusta sulcis; hic generosior
descendat in campum petitor;
moribus hic meliorque fama
contendat; illi turba clientium
sit maior: aequa lege Necessitas
sortitur insignes et imos;
omne capax movet urna nomen.
destrictus ensis cui super impia
cervice pendet, non Siculae dapes
dulcem elaborabunt saporem,
non avium citharaeque cantus
somnum reducent. somnus agrestium
lenis virorum non humiles domos
fastidit umbrosamque ripam,
non Zephyris agitata Tempe.

desiderantem, quod satis est, neque
tumultuosum sollicitat mare,
nec saevus Arcturi cadentis
impetus aut orientis Haedi,

non verberatae grandine vineae
fundusque mendax, arbore nunc aquas
culpante, nunc torrentia agros
sidera, nunc hiemes iniquas.

contracta pisces aequora sentiunt,
iactis in altum molibus; huc frequens
caementa demittit redemtor
cum famulis, dominusque terrae

fastidiosus: sed Timor et Minae
scandunt eodem, quo dominus; neque
decedit aerata triremi, et
post equitem sedet atra Cura.

quodsi dolentem nec Phrygius lapis,
nec purpurarum sidere clarior
delenit usus nec Falerna
vitis Achaemeniumque costum,

cur invidendis postibus et novo
sublime ritu moliar atrium?
cur valle permutem Sabina
divitias operosiores?

CARMEN II.

AD AMICOS.

Angustam amice pauperiem pati
robustus acri militia puer
condiscat, et Parthos feroces
vexet eques metuendus hasta,

vitamque sub divo et trepidis agat
in rebus. illum ex moenibus hosticis
matrona bellantis tyranni
prospiciens et adulta virgo

suspiret: „eheu, ne rudis agminum
sponsus lacessat regius asperum
tactu leonem, quem cruenta
per medias rapit ira caedes!“

dulce et decorum est pro patria mori:
mors et fugacem persequitur virum,
nec parcit imbellis iuventae
poplitibus timidoque tergo.

virtus, repulsae nescia sordidae,
intaminatis fulget honoribus,
nec sumit aut ponit secures
arbitrio popularis aurae.

virtus, recludens immeritis mori
caelum, negata tentat iter via,
coetusque vulgares et udam
spernit humum fugiente penna.

est et fideli tuta silentio
merces. vetabo, qui Cereris sacrum
vulgarit arcanae, sub isdem
sit trabibus fragilemque mecum

solvat phaselum. saepe Diespiter
neglectus incesto addidit integrum;
raro antecedentem scelestum
deseruit pede poena claudo.

CARMEN III.

AD CAESAREM AUGUSTUM.

Iustum et tenacem propositi virum
non civium ardor prava iubentium,
non vultus instantis tyranni
mente quatit solida, neque Auster,

dux inquieti turbidus Hadriae,
nec fulminantis magna manus Iovis;
si fractus illabatur orbis,
impavidum ferient ruinae.

hac arte Pollux et vagus Hercules
enisus arces attigit igneas,
  quos inter Augustus recumbens
    purpureo bibit ore nectar.

hac te merentem, Bacche pater, tuae
vexere tigres, indocili iugum
  collo trahentes: hac Quirinus
    Martis equis Acheronta fugit,

gratum eloquuta consiliantibus
Iunone divis: „Ilion, Ilion
  fatalis incestusque iudex
    et mulier peregrina vertit

in pulverem, ex quo destituit deos
mercede pacta Laomedon, mihi
  castaeque damnatum Minervae
    cum populo et duce fraudulento.

iam nec Lacaenae splendet adulterae
famosus hospes, nec Priami domus
  periura pugnaces Achivos
    Hectoreis opibus refringit,

nostrisque ductum seditionibus
bellum resedit. protinus et graves
  iras et invisum nepotem,
    Troia quem peperit sacerdos,

Marti redonabo; illum ego lucidas
inire sedes, ducere nectaris
  succos et adscribi quietis
    ordinibus patiar deorum.

dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
  in parte regnanto beati;
    dum Priami Paridisque busto

insultet armentum et catulos ferae
celent inultae, stet Capitolium
  fulgens triumphatisque possit
    Roma ferox dare iura Medis.

horrenda late nomen in ultimas
extendat oras, qua medius liquor
secernit Europen ab Afro,
qua tumidus rigat arva Nilus,

aurum irrepertum et sic melius situm,
quum terra celat, spernere fortior
quam cogere, humanos in usus
omne sacrum rapiente dextra.

quicumque mundo terminus obstitit,
hunc tangat armis, visere gestiens,
qua parte debacchentur ignes,
qua nebulae pluviique rores.

sed bellicosis fata Quiritibus
hac lege dico, ne nimium pii
rebusque fidentes avitae
tecta velint reparare Troiae.

Troiae renascens alite lugubri
fortuna tristi clade iterabitur,
ducente victrices catervas
coniuge me Iovis et sorore.

ter si resurgat murus aeneus
auctore Phoebo, ter pereat meis
excisus Argivis, ter uxor
capta virum puerosque ploret!“

non haec iocosae conveniunt lyrae:
quo, Musa, tendis? desine pervicax
referre sermones deorum et
magna modis tenuare parvis.

CARMEN IV.

AD CALLIOPEN.

Descende caelo et dic age tibia
regina longum Calliope melos,
seu voce nunc mavis acuta,
seu fidibus citharaque Phoebi.

auditis? an me ludit amabilis
insania? audire et videor pios
errare per lucos, amoenae
quos et aquae subeunt et aurae.

me fabulosae Vulture in Apulo
altricis extra limen Apuliae
ludo fatigatumque somno
fronde nova puerum palumbes

texere, mirum quod foret omnibus,
quicumque celsae nidum Acherontiae
saltusque Bantinos et arvum
pingue tenent humilis Forenti,

ut tuto ab atris corpore viperis
dormirem et ursis, ut premerer sacra
lauroque collataque myrto,
non sine dis animosus infans.

vester, Camenae, vester in arduos
tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
seu liquidae placuere Baiae.

vestris amicum fontibus et choris
non me Philippis versa acies retro,
devota non extinxit arbos,
nec Sicula Palinurus unda.

utcumque mecum vos eritis, libens
insanientem navita Bosporum
tentabo et urentes arenas
litoris Assyrii viator;

visam Britannos hospitibus feros
et laetum equino sanguine Concanum;
visam pharetratos Gelonos
et Scythicum inviolatus amnem.

vos Caesarem altum, militia simul
fessas cohortes abdidit oppidis,
finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.

vos lene consilium et datis, et dato
gaudetis, almae. scimus ut impios
Titanas immanemque turmam
fulmine sustulerit caduco,

qui terram inertem, qui mare temperat
ventosum, et urbes regnaque tristia
divosque mortalesque turbas
imperio regit unus aequo.

magnum illa terrorem intulerat Iovi
fidens iuventus horrida brachiis,
fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo:

sed quid Typhoeus et validus Mimas,
aut quid minaci Porphyrion statu,
quid Rhoetus evulsisque truncis
Enceladus iaculator audax

contra sonantem Palladis aegida
possent ruentes? hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Iuno, et
nunquam humeris positurus arcum,

qui rore puro Castaliae lavit
crines solutos, qui Lyciae tenet
dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.

vis consili expers mole ruit sua;
vim temperatam di quoque provehunt
in maius; idem odere vires
omne nefas animo moventes.

testis mearum centimanus Gyas
sententiarum, notus et integrae
tentator Orion Dianae,
virginea domitus sagitta.

iniecta monstris Terra dolet suis,
maeretque partus fulmine luridum
missos ad Orcum; nec peredit
impositam celer ignis Aetnam;

incontinentis nec Tityi iecur
relinquit ales, nequitiae additus
custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

CARMEN V.

IN LAUDEM CAESARIS AUGUSTI.

Caelo tonantem credidimus Iovem
regnare; praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
imperio gravibusque Persis.

milesne Crassi coniuge barbara
turpis maritus vixit, et hostium —
pro curia inversique mores! —
consenuit socerorum in arvis

sub rege Medo Marsus et Apulus,
anciliorum et nominis et togae
oblitus aeternaeque Vestae,
incolumi Iove et urbe Roma?

hoc caverat mens provida Reguli
dissentientis conditionibus
foedis et exemplo trahenti
perniciem veniens in aevum,

si non periret iam miserabilis
captiva pubes. „signa ego Punicis
adfixa delubris, et arma
militibus sine caede," dixit,

„direpta vidi; vidi ego civium
retorta tergo brachia libero,
portasque non clusas, et arva
Marte coli populata nostro.

auro repensus scilicet acrior
miles redibit! flagitio additis
damnum: neque amissos colores
lana refert medicata fuco,

nec vera virtus, quum semel excidit,
curat reponi deterioribus.
si pugnat extricata densis
cerva plagis, erit ille fortis,

qui perfidis se credidit hostibus,
et Marte Poenos proteret altero,
qui lora restrictis lacertis
sensit iners timuitque mortem.

hic, unde vitam sumeret inscius,
pacem duello miscuit. o pudor!
o magna Carthago, probrosis
altior Italiae ruinis!"

fertur pudicae coniugis osculum
parvosque natos, ut capitis minor,
ab se removisse, et virilem
torvus humi posuisse vultum,

donec labantes consilio Patres
firmaret auctor numquam alias dato,
interque maerentes amicos
egregius properaret exsul.

atqui sciebat, quae sibi barbarus
tortor pararet; non aliter tamen
dimovit obstantes propinquos
et populum reditus morantem,

quam si clientum longa negotia
diiudicata lite relinqueret,
tendens Venafranos in agros
aut Lacedaemonium Tarentum.

CARMEN VI.

AD ROMANOS.

Delicta maiorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
aedesque labentes deorum et
foeda nigro simulacra fumo.

dis te minorem quod geris, imperas;
hinc omne principium, huc refer exitum:
di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.

iam bis Monaesis et Pacori manus
non auspicatos contudit impetus
nostros, et adiecisse praedam
torquibus exiguis renidet.

paene occupatam seditionibus
delevit urbem Dacus et Aethiops,
hic classe formidatus, ille
missilibus melior sagittis.

fecunda culpae secula nuptias
primum inquinavere et genus et domos;
hoc fonte derivata clades
in patriam populumque fluxit.

motus doceri gaudet Ionicos
matura virgo et fingitur artibus:
iam nunc et incestos amores
de tenero meditatur ungui;

mox iuniores quaerit adulteros
inter mariti vina, neque eligit,
cui donet impermissa raptim
gaudia luminibus remotis,

sed iussa coram non sine conscio
surgit marito, seu vocat institor
seu navis Hispanae magister,
dedecorum pretiosus emtor.

non his iuventus orta parentibus
infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum;

sed rusticorum mascula militum
proles, Sabellis docta ligonibus
versare glebas et severae
matris ad arbitrium recisos

portare fustes, sol ubi montium
mutaret umbras et iuga demeret
bobus fatigatis, amicum
tempus agens abeunte curru.

damnosa quid non imminuit dies?
aetas parentum, peior avis, tulit
nos nequiores, mox daturos
progeniem vitiosiorem.

CARMEN VII.

AD ASTERIEN.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
primo restituent vere Favonii,
Thyna merce beatum,
constantis iuvenem fide

Gygen? ille Notis actus ad Oricum
post insana Caprae sidera, frigidas
noctes non sine multis
insomnis lacrimis agit.

atqui sollicitae nuncius hospitae
suspirare Chloen, et miseram tuis
dicens ignibus uri,
tentat mille vafer modis.

ut Proetum mulier perfida credulum
falsis impulerit criminibus, nimis
casto Bellerophonti
maturare necem, refert.

narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;
et peccare docentes
fallax historias monet;

frustra: nam scopulis surdior Icari
voces audit adhuc integer. at, tibi
ne vicinus Enipeus
plus iusto placeat, cave;

quamvis non alius flectere equum sciens
aeque conspicitur gramine Martio,
nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.

prima nocte domum claude, neque in vias
sub cantu querulae despice tibiae,
et te saepe vocanti
duram difficilis mane.

CARMEN VIII.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Martiis caelebs quid agam Calendis,
quid velint flores et acerra thuris
plena, miraris, positusque carbo in
cespite vivo,

docte sermones utriusque linguae.
voveram dulces epulas et album
Libero caprum, prope funeratus
arboris ictu.

hic dies anno redeunte festus
corticem adstrictum pice dimovebit
amphorae, fumum bibere institutae
consule Tullo.

sume, Maecenas, cyathos amici
sospitis centum, et vigiles lucernas
perfer in lucem; procul omnis esto
clamor et ira.

mitte civiles super urbe curas:
occidit Daci Cotisonis agmen;
Medus infestus sibi luctuosis
dissidet armis;

servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena;
iam Scythae laxo meditantur arcu
cedere campis.

negligens, ne qua populus laboret,
parce privatus nimium cavere;
dona praesentis cape laetus horae et
linque severa.

CARMEN IX.

AD LYDIAM.

HORATIUS.

Donec gratus eram tibi
nec quisquam potior brachia candidae
cervici iuvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior.

LYDIA.

donec non alia magis
arsisti neque erat Lydia post Chloen,
multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

HORATIUS.

me nunc Thressa Chloe regit,
dulces docta modos et citharae sciens,
pro qua non metuam mori,
si parcent animae fata superstiti.

LYDIA.

me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti,
pro quo bis patiar mori,
si parcent puero fata superstiti.

HORATIUS.

quid si prisca redit Venus,
diductosque iugo cogit aeneo?
si flava excutitur Chloe,
reiectaeque patet ianua Lydiae?

LYDIA.

quamquam sidere pulchrior
ille est, tu levior cortice et improbo
iracundior Hadria;
tecum vivere amem, tecum obeam libens.

CARMEN X.

IN LYCEN.

Extremum Tanain si biberes, Lyce
saevo nupta viro, me tamen asperas
porrectum ante fores obiicere incolis
plorares Aquilonibus.

audis, quo strepitu ianua, quo nemus
inter pulchra satum tecta remugiat
ventis, et positas ut glaciet nives
puro numine Iuppiter?

ingratam Veneri pone superbiam,
ne currente retro funis eat rota.
non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.

o, quamvis neque te munera nec preces
nec tinctus viola pallor amantium
nec vir Pieria pellice saucius
curvat, supplicibus tuis

parcas, nec rigida mollior aesculo,
nec Mauris animum mitior anguibus.
non hoc semper erit liminis aut aquae
caelestis patiens latus.

CARMEN XI.

AD MERCURIUM.

Mercuri — nam te docilis magistro
movit Amphion lapides canendo —
tuque testudo resonare septem
callida nervis,

nec loquax olim neque grata, nunc et
divitum mensis et amica templis,
dic modos, Lyde quibus obstinatas
applicet aures;

quae velut latis equa trima campis
ludit exsultim metuitque tangi,
nuptiarum expers et adhuc protervo
cruda marito.

tu potes tigres comitesque silvas
ducere et rivos celeres morari;
cessit immanis tibi blandienti
ianitor aulae,

Cerberus, quamvis furiale centum
muniant angues caput eius, atque
spiritus teter saniesque manet
ore trilingui.

quin et Ixion Tityosque vultu
risit invito, stetit urna paullum
sicca, dum grato Danai puellas
carmine mulces.

audiat Lyde scelus atque notas
virginum poenas, et inane lymphae
dolium fundo pereuntis imo
seraque fata,

quae manent culpas etiam sub Orco.
impiae — nam quid potuere maius? —
impiae sponsos potuere duro
perdere ferro!

una de multis face nuptiali
digna periurum fuit in parentem
splendide mendax et in omne virgo
nobilis aevum,

„surge," quae dixit iuveni marito,
„surge, ne longus tibi somnus, unde
non times, detur; socerum et scelestas
falle sorores,

quae, velut nactae vitulos leaenae,
singulos, eheu! lacerant: ego illis
mollior nec te feriam neque intra
claustra tenebo.

me pater saevis oneret catenis,
quod viro clemens misero peperci;
me vel extremos Numidarum in agros
classe releget.

i, pedes quo te rapiunt et aurae,
dum favet nox et Venus; i secundo
omine, et nostri memorem sepulcro
scalpe querelam."

CARMEN XII.

AD NEOBULEN.

rarum est neque amori dare ludum neque dulci
. vino lavere, aut exanimari, metuentes
atruae verbera linguae.

ualum Cythereae puer ales, tibi telas
saeque Minervae studium aufert, Neobule,
iparaei nitor Hebri.

l unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
s ipso melior Bellerophonte, neque pugno,
eque segni pede victus;

idem per apertum fugientes agitato
cervos iaculari et celer arto latitantem
uticeto excipere aprum.

CARMEN XIII.

AD FONTEM BANDUSIAE.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
dulci digne mero non sine floribus,
cras donaberis hoedo,
cui frons turgida cornibus

primis et venerem et proelia destinat.
frustra; nam gelidos inficiet tibi
rubro sanguine rivos
lascivi suboles gregis.

te flagrantis atrox hora Caniculae
nescit tangere, tu frigus amabile
fessis vomere tauris
praebes et pecori vago.

fies nobilium tu quoque fontium,
me dicente cavis impositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.

CARMEN XIV.

AD POPULUM ROMANUM.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
morte venalem petiisse laurum,
Caesar, Hispana repetit Penates
victor ab ora.

unico gaudens mulier marito
prodeat iustis operata divis,
et soror clari ducis, et decorae
supplice vitta

virginum matres iuvenumque nuper
sospitum. vos, o pueri et puellae,
iam virum expertae, male inominatis
parcite verbis.

hic dies vere mihi festus atras
eximet curas; ego nec tumultum,
nec mori per vim metuam, tenente
Caesare terras.

i, pete unguentum, puer, et coronas
et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum si qua potuit vagantem
fallere testa.

dic et argutae properet Neaerae
murreum nodo cohibere crinem;
si per invisum mora ianitorem
fiet, abito.

lenit albescens animos capillus
litium et rixae cupidos protervae;
non ego hoc ferrem calidus iuventa
consule Planco.

CARMEN XV.

IN CHLORIM.

Uxor pauperis Ibyci,
tandem nequitiae fige modum tuae
famosisque laboribus:
maturo propior desine funeri

inter ludere virgines
et stellis nebulam spargere candidis.
non, si quid Pholoen satis,
et te, Chlori, decet; filia rectius

expugnat iuvenum domos,
pulso Thyias uti concita tympano.
illam cogit amor Nothi
lascivae similem ludere capreae:

te lanae prope nobilem
tonsae Luceriam, non citharae decent,
nec flos purpureus rosae,
nec poti, vetulam, faece tenus cadi.

CARMEN XVI.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Inclusam Danaen turris aenea
robustaeque fores et vigilum canum
tristes excubiae munierant satis
nocturnis ab adulteris,

si non Acrisium, virginis abditae
custodem pavidum, Iuppiter et Venus
risissent: fore enim tutum iter et patens
converso in pretium deo.

aurum per medios ire satellites
et perrumpere amat saxa potentius
ictu fulmineo. concidit auguris
Argivi domus ob lucrum

demersa exitio; diffidit urbium
portas vir Macedo et subruit aemulos
reges muneribus; munera navium
saevos illaqueant duces.

crescentem sequitur cura pecuniam
maiorumque fames. iure perhorrui
late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.

quanto quisque sibi plura negaverit,
ab dis plura feret. nil cupientium
nudus castra peto et transfuga divitum
partes linquere gestio,

contemtae dominus splendidior rei,
quam si quidquid arat impiger Apulus
occultare meis dicerer horreis,
magnas inter opes inops.

purae rivus aquae silvaque iugerum
paucorum et segetis certa fides meae
fulgentem imperio fertilis Africae
fallit sorte beatior.

quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
nec Laestrygonia Bacchus in amphora
languescit mihi nec pinguia Gallicis
crescunt vellera pascuis,

importuna tamen pauperies abest,
nec, si plura velim, tu dare deneges.
contracto melius parva cupidine
vectigalia porrigam,

quam si Mygdoniis regnum Alyattei
campis continuem. multa petentibus
desunt multa. bene est, cui deus obtulit
parca, quod satis est, manu.

CARMEN XVII.

AD AELIUM LAMIAM.

Aeli vetusto nobilis ab Lamo, —
quando et priores hinc Lamias ferunt
denominatos et nepotum
per memores genus omne fastos;

auctore ab illo ducis originem,
qui Formiarum moenia dicitur
princeps et innantem Maricae
litoribus tenuisse Lirim

late tyrannus —; cras foliis nemus
multis et alga litus inutili
demissa tempestas ab Euro
sternet, aquae nisi fallit augur

annosa cornix. dum potis, aridum
compone lignum; cras Genium mero
curabis et porco bimestri
cum famulis operum solutis.

CARMEN XVIII.

AD FAUNUM.

Faune, Nympharum fugientum amator,
per meos fines et aprica rura
lenis incedas abeasque parvis
aequus alumnis,

si tener pleno cadit hoedus anno,
larga nec desunt Veneris sodali
vina craterae, vetus ara multo
fumat odore.

ludit herboso pecus omne campo,
quum tibi Nonae redeunt Decembres;
festus in pratis vacat otioso
cum bove pagus;

inter audaces lupus errat agnos;
spargit agrestes tibi silva frondes;
gaudet invisam pepulisse fossor
ter pede terram.

CARMEN XIX.

AD TELEPHUM.

Quantum distet ab Inacho
Codrus pro patria non timidus mori,
narras, et genus Aeaci,
et pugnata sacro bella sub Ilio:
quo Chium pretio cadum
mercemur, quis aquam temperet ignibus,
quo praebente domum et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.

da Lunae propere novae,
da noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus aut novem
miscentur cyathis pocula commodis.

qui Musas amat impares,
ternos ter cyathos attonitus petet
vates; tres prohibet supra
rixarum metuens tangere Gratia,

nudis iuncta sororibus.
insanire iuvat: cur Berecyntiae
cessant flamina tibiae?
cur pendet tacita fistula cum lyra?

parcentes ego dexteras
odi: sparge rosas; audiat invidus
dementem strepitum Lycus,
et vicina seni non habilis Lyco!

spissa te nitidum coma,
puro te similem, Telephe, Vespero
tempestiva petit Rhode;
me lentus Glycerae torret amor meae.

CARMEN XX.

AD PYRRHUM.

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
dura post paullo fugies inaudax
proelia raptor,

quum per obstantes iuvenum catervas
ibit insignem repetens Nearchum:
grande certamen, tibi praeda cedat
maior, an illi.

interim, dum tu celeres sagittas
promis, haec dentes acuit timendos,
arbiter pugnae posuisse nudo
sub pede palmam

fertur, et leni recreare vento
sparsum odoratis humerum capillis,
qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
raptus ab Ida.

CARMEN XXI.

AD AMPHORAM.

O nata mecum consule Manlio,
seu tu querelas sive geris iocos
seu rixam et insanos amores
seu facilem, pia testa, somnum,

quocumque lectum nomine Massicum
servas, moveri digna bono die,
descende, Corvino iubente,
promere languidiora vina.

non ille, quamquam Socraticis madet
sermonibus, te negliget horridus:
narratur et prisci Catonis
saepe mero caluisse virtus.

tu lene tormentum ingenio admoves
plerumque duro; tu sapientium
curas et arcanum iocoso
consilium retegis Lyaeo;

tu spem reducis mentibus anxiis
viresque, et addis cornua pauperi,
post te neque iratos trementi
regum apices neque militum arma.

te Liber et, si laeta aderit, Venus
segnesque nodum solvere Gratiae
vivaeque producent lucernae,
dum rediens fugat astra Phoebus.

CARMEN XXII.

AD DIANAM.

Montium custos nemorumque, virgo,
quae laborantes utero puellas
ter vocata audis adimisque leto,
diva triformis;

imminens villae tua pinus esto,
quam per exactos ego laetus annos
verris obliquum meditantis ictum
sanguine donem.

CARMEN XXIII.

AD PHIDYLEN.

Caelo supinas si tuleris manus
nascente Luna, rustica Phidyle,
si thure placaris et horna
fruge Lares avidaque porca,

nec pestilentem sentiet Africum
fecunda vitis, nec sterilem seges
robiginem aut dulces alumni
pomifero grave tempus anno.

nam, quae nivali pascitur Algido
devota quercus inter et ilices,
aut crescit Albanis in herbis
victima, pontificum secures

cervice tinget: te nihil attinet
tentare multa caede bidentium
parvos coronantem marino
rore deos fragilique myrto.

immunis aram si tetigit manus,
non sumptuosa blandior hostia
mollivit aversos Penates
farre pio et saliente mica.

CARMEN XXIV.

IN AVAROS.

Intactis opulentior
thesauris Arabum et divitis Indiae
caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,

si figit adamantinos
summis verticibus dira Necessitas
clavos, non animum metu,
non mortis laqueis expedies caput.

campestres melius Scythae,
quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
vivunt et rigidi Getae,
immetata quibus iugera liberas

fruges et Cererem ferunt,
nec cultura placet longior annua,
defunctumque laboribus
aequali recreat sorte vicarius.

illic matre carentibus
privignis mulier temperat innocens,
nec dotata regit virum
coniux, nec nitido fidit adultero:

dos est magna parentium
virtus et metuens alterius viri
certo foedere castitas;
et peccare nefas, aut pretium est mori.

o quisquis volet impias
caedes et rabiem tollere civicam,
si quaeret PATER VRBIVM
subscribi statuis, indomitam audeat

refrenare licentiam
clarus postgenitis, quatenus, heu nefas!
virtutem incolumem odimus,
sublatam ex oculis quaerimus invidi.

quid tristes querimoniae,
si non supplicio culpa reciditur,
quid leges sine moribus
vanae proficiunt, si neque fervidis

pars inclusa caloribus
mundi nec Boreae finitimum latus
durataeque solo nives
mercatorem abigunt, horrida callidi

vincunt aequora navitae,
magnum pauperies opprobrium iubet
quidvis et facere et pati,
virtutisque viam deserit arduae?

vel nos in Capitolium,
quo clamor vocat et turba faventium,
vel nos in mare proximum
gemmas et lapides aurum et inutile,

summi materiem mali,
mittamus, scelerum si bene poenitet.
eradenda cupidinis
pravi sunt elementa, et tenerae nimis

mentes asperioribus
formandae studiis. nescit equo rudis
haerere ingenuus puer
venarique timet, ludere doctior,

seu Graeco iubeas trocho,
seu malis vetita legibus alea,
quum periura patris fides
consortem socium fallat et hospites

indignoque pecuniam
heredi properet. scilicet improbae
crescunt divitiae; tamen
curtae nescio quid semper abest rei.

CARMEN XXV.

AD BACCHUM.

Quo me, Bacche, rapis tui
plenum? quae nemora aut quos agor in specus
velox mente nova? quibus
antris egregii Caesaris audiar

aeternum meditans decus
stellis inserere et consilio Iovis?
dicam insigne, recens, adhuc
indictum ore alio. non secus in iugis

exsomnis stupet Evias,
Hebrum prospiciens et nive candidam
Thracen ac pede barbaro
lustratam Rhodopen, ut mihi devio

ripas et vacuum nemus
mirari libet! o Naiadum potens,
Baccharumque valentium
proceras manibus vertere fraxinos,

nil parvum aut humili modo,
nil mortale loquar. dulce periculum est,
o Lenaee, sequi deum
cingentem viridi tempora pampino.

CARMEN XXVI.

AD VENEREM.

Vixi puellis nuper idoneus,
et militavi non sine gloria;
nunc arma defunctumque bello
barbiton hic paries habebit,

laevum marinae qui Veneris latus
custodit. hic hic ponite lucida
funalia et vectes et arcus
oppositis foribus minaces.

o quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
regina, sublimi flagello
tange Chloen semel arrogantem.

CARMEN XXVII.

AD GALATEAM.

Impios parrae recinentis omen
ducat et praegnans canis aut ab agro
rava decurrens lupa Lanuvino
fetaque vulpes;

rumpat et serpens iter institutum,
si per obliquum similis sagittae
terruit mannos: ego cui timebo
providus auspex,

antequam stantes repetat paludes
imbrium divina avis imminentum,
oscinem corvum prece suscitabo
solis ab ortu.

sis licet felix, ubicumque mavis,
et memor nostri, Galatea, vivas,
teque nec laevus vetet ire picus,
nec vaga cornix.

sed vides, quanto trepidet tumultu
pronus Orion. ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus
peccet Iapyx.

hostium uxores puerique caecos
sentiant motus orientis Austri et
aequoris nigri fremitum et trementes
verbere ripas.

sic et Europe niveum doloso
credidit tauro latus et scatentem
belluis pontum mediasque fraudes
palluit audax.

nuper in pratis studiosa florum et
debitae Nymphis opifex coronae
nocte sublustri nihil astra praeter
vidit et undas.

quae simul centum tetigit potentem
oppidis Creten: „pater, o relictum
filiae nomen, pietasque," dixit,
„victa furore!

unde quo veni? levis una mors est
virginum culpae. vigilansne ploro
turpe commissum, an vitiis carentem
ludit imago

vana, quae porta fugiens eburna
somnium ducit? meliusne fluctus
ire per longos fuit, an recentes
carpere flores?

si quis infamem mihi nunc iuvencum
dedat iratae, lacerare ferro et
frangere enitar modo multum amati
cornua monstri.

impudens liqui patrios Penates,
impudens Orcum moror. o deorum
si quis haec audis, utinam inter errem
nuda leones!

antequam turpis macies decentes
occupet malas teneraeque succus
defluat praedae, speciosa quaero
pascere tigres.

vilis Europe, pater urget absens:
quid mori cessas? potes hac ab orno
pendulum zona bene te sequuta
laedere collum.

sive te rupes et acuta leto
saxa delectant, age, te procellae
crede veloci, nisi herile mavis
carpere pensum,

regius sanguis, dominaeque tradi
barbarae pellex.“ aderat querenti
perfidum ridens Venus et remisso
filius arcu.

mox, ubi lusit satis, „abstineto,“
dixit, „irarum calidaeque rixae,
quum tibi invisus laceranda reddet
cornua taurus.

uxor invicti Iovis esse nescis.
mitte singultus, bene ferre magnam
disce fortunam; tua sectus orbis
nomina ducet.“

CARMEN XXVIII.

AD LYDEN.

Festo quid potius die
Neptuni faciam? prome reconditum,
Lyde, strenua Caecubum,
munitaeque adhibe vim sapientiae.

inclinare meridiem
sentis, ac, veluti stet volucris dies,
parcis deripere horreo
cessantem Bibuli consulis amphoram.

os cantabimus invicem
Neptunum et virides Nereidum comas:
ı curva recines lyra
Latonam et celeris spicula Cynthiae:

ummo carmine, quae Cnidon
fulgentesque tenet Cycladas et Paphon
ınctis visit oloribus,
dicetur; merita Nox quoque nenia.

CARMEN XXIX.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Tyrrhena regum progenies, tibi
non ante verso lene merum cado
cum flore, Maecenas, rosarum et
pressa tuis balanus capillis

iamdudum apud me est. eripe te morae;
ne semper udum Tibur et Aesulae
declive contempleris arvum et
Telegoni iuga parricidae.

fastidiosam desere copiam et
molem propinquam nubibus arduis;
omitte mirari beatae
fumum et opes strepitumque Romae.

plerumque gratae divitibus vices
mundaeque parvo sub lare pauperum
coenae sine aulaeis et ostro
sollicitam explicuere frontem.

iam clarus occultum Andromedae pater
ostendit ignem; iam Procyon furit
et stella vesani Leonis,
sole dies referente siccos;

iam pastor umbras cum grege languido
rivumque fessus quaerit et horridi
dumeta Silvani, caretque
ripa vagis taciturna ventis.

tu, civitatem quis deceat status,
curas, et urbi sollicitus times
quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

prudens futuri temporis exitum
caliginosa nocte premit deus,
ridetque, si mortalis ultra
fas trepidat. quod adest, memento

componere aequus; cetera fluminis
ritu feruntur, nunc medio alveo
cum pace delabentis Etruscum
in mare, nunc lapides adesos

stirpesque raptas et pecus et domos
volventis una, non sine montium
clamore vicinaeque silvae,
quum fera diluvies quietos

irritat amnes. ille potens sui
laetusque deget, cui licet in diem
dixisse Vixi: cras vel atra
nube polum pater occupato,

vel sole puro; non tamen irritum,
quodcumque retro est, efficiet, neque
diffinget infectumque reddet
quod fugiens semel hora vexit.

Fortuna saevo laeta negotio et
ludum insolentem ludere pertinax
transmutat incertos honores,
nunc mihi nunc alii benigna.

laudo manentem; si celeres quatit
pennas, resigno quae dedit, et mea
virtute me involvo, probamque
pauperiem sine dote quaero.

non est meum, si mugiat Africis
malus procellis, ad miseras preces
decurrere et votis pacisci,
ne Cypriae Tyriaeque merces

addant avaro divitias mari:
tum me biremis praesidio scaphae
tutum per Aegaeos tumultus
aura feret geminusque Pollux.

CARMEN XXX.

AD MELPOMENEN.

Exegi monumentum aere perennius
regalique situ pyramidum altius,
quod non imber edax, non Aquilo impotens
possit diruere aut innumerabilis

annorum series et fuga temporum.
non omnis moriar, multaque pars mei
vitabit Libitinam: usque ego postera
crescam laude recens, dum Capitolium

scandet cum tacita virgine pontifex.
dicar, qua violens obstrepit Aufidus
et qua pauper aquae Daunus agrestium
regnavit populorum, ex humili potens

princeps Aeolium carmen ad Italos
deduxisse modos. sume superbiam
quaesitam meritis, et mihi Delphica
lauro cinge volens, Melpomene, comam.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER QUARTUS.

CARMEN I.

AD VENEREM.

Intermissa, Venus, diu
  rursus bella moves? parce, precor, precor!
non sum qualis eram bonae
  sub regno Cinarae. desine, dulcium
mater saeva Cupidinum,
  circa lustra decem flectere mollibus
iam durum imperiis; abi,
  quo blandae iuvenum te revocant preces.
tempestivius in domum
  Paulli, purpureis ales oloribus,
comissabere Maximi,
  si torrere iecur quaeris idoneum.
namque et nobilis et decens
  et pro sollicitis non tacitus reis
et centum puer artium
  late signa feret militiae tuae,
et quandoque potentior
  largis muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
  ponet marmoream sub trabe citrea.
illic plurima naribus
  duces thura, lyraque et Berecyntia
delectabere tibia,
  mixtis carminibus non sine fistula;

llic bis pueri die
numen cum teneris virginibus tuum
audantes pede candido
in morem Salium ter quatient humum.

ne nec femina nec puer
iam nec spes animi credula mutui,
nec certare iuvat mero,
nec vincire novis tempora floribus.

ed cur, heu! Ligurine, cur
manat rara meas lacrima per genas?
ur facunda parum decoro
inter verba cadit lingua silentio?

nocturnis ego somniis
iam captum teneo, iam volucrem sequor
e per gramina Martii
campi, te per aquas, dure, volubiles.

CARMEN II.

AD IULUM ANTONIUM.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea
nititur pennis, vitreo daturus
nomina ponto.

monte decurrens velut amnis, imbres
quem super notas aluere ripas,
fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore,

laurea donandus Apollinari,
seu per audaces nova dithyrambos
verba devolvit numerisque fertur
lege solutis;

seu deos regesve canit, deorum
sanguinem, per quos cecidere iusta
morte Centauri, cecidit tremendae
flamma Chimaerae;

sive, quos Elea domum reducit
palma caelestes, pugilemve equumve
dicit, et centum potiore signis
munere donat;

flebili sponsae iuvenemve raptum
plorat, et viris animumque moresque
aureos educit in astra, nigroque
invidet Orco.

multa Dircaeum levat aura cycnum,
tendit, Antoni, quoties in altos
nubium tractus: ego, apis Matinae
more modoque

grata carpentis thyma per laborem
plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas, operosa parvus
carmina fingo.

concines maiore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
per sacrum clivum, merita decorus
fronde, Sygambros;

quo nihil maius meliusve terris
fata donavere bonique divi,
nec dabunt, quamvis redeant in aurum
tempora priscum.

concines laetosque dies et Urbis
publicum ludum super impetrato
fortis Augusti reditu, forumque
litibus orbum.

tum meae, si quid loquar audiendum,
vocis accedet bona pars, et „o Sol
pulcher, o laudande!“ canam, recepto
Caesare felix.

tuque dum procedis: „io triumphe!“
non semel dicemus: „io triumphe!“
civitas omnis, dabimusque divis
thura benignis.

te decem tauri totidemque vaccae,
me tener solvet vitulus, relicta
matre qui largis iuvenescit herbis
in mea vota,

fronte curvatos imitatus ignes
tertium Lunae referentis ortum,
qua notam duxit, niveus videri,
cetera fulvus.

CARMEN III.

AD MELPOMENEN.

Quem tu, Melpomene, semel
nascentem placido lumine videris,
illum non labor Isthmius
clarabit pugilem, non equus impiger

curru ducet Achaico
victorem, neque res bellica Deliis
ornatum foliis ducem,
quod regum tumidas contuderit minas,

ostendet Capitolio:
sed quae Tibur aquae fertile perfluunt,
et spissae nemorum comae
fingent Aeolio carmine nobilem.

Romae, principis urbium,
dignatur suboles inter amabiles
vatum ponere me choros,
et iam dente minus mordeor invido.

o, testudinis aureae
dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
o mutis quoque piscibus
donatura cycni, si libeat, sonum,

totum muneris hoc tui est,
quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

CARMEN IV.

DRUSI LAUDES.

Qualem ministrum fulminis alitem,
cui rex deorum regnum in aves vagas
permisit, expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flavo,

olim iuventas et patrius vigor
nido laborum propulit inscium,
vernique, iam nimbis remotis,
insolitos docuere nisus

venti paventem, mox in ovilia
demisit hostem vividus impetus,
nunc in reluctantes dracones
egit amor dapis atque pugnae;

qualemve laetis caprea pascuis
intenta fulvae matris ab ubere
iam lacte depulsum leonem,
dente novo peritura, vidit:

videre Rhaetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; — quibus
mos unde deductus per omne
tempus Amazonia securi

dextras obarmet, quaerere distuli,
nec scire fas est omnia; — sed diu
lateque victrices catervae
consiliis iuvenis revictae

sensere, quid mens rite, quid indoles
nutrita faustis sub penetralibus
posset, quid Augusti paternus
in pueros animus Nerones.

fortes creantur fortibus et bonis;
est in iuvencis, est in equis patrum
virtus, nec imbellem feroces
progenerant aquilae columbam;

doctrina sed vim promovet insitam,
rectique cultus pectora roborant;
utcumque defecere mores,
indecorant bene nata culpae.

quid debeas, o Roma, Neronibus,
testis Metaurum flumen et Hasdrubal
devictus et pulcher fugatis
ille dies Latio tenebris,

qui primus alma risit adorea,
dirus per urbes Afer ut Italas
ceu flamma per taedas vel Eurus
per Siculas equitavit undas.

post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
vastata Poenorum tumultu
fana deos habuere rectos,

dixitque tandem perfidus Hannibal:
„cervi, luporum praeda rapacium,
sectamur ultro, quos opimus
fallere et effugere est triumphus.

gens, quae cremato fortis ab Ilio
iactata Tuscis aequoribus sacra
natosque maturosque patres
pertulit Ausonias ad urbes,

duris ut ilex tonsa bipennibus
nigrae feraci frondis in Algido,
per damna, per caedes, ab ipso
ducit opes animumque ferro.

non hydra secto corpore firmior
vinci dolentem crevit in Herculem,
monstrumve summisere Colchi
maius Echioniaeve Thebae.

merses profundo, pulchrior evenit;
luctere, multa proruet integrum
cum laude victorem geretque
proelia coniugibus loquenda.

Carthagini iam non ego nuntios
mittam superbos: occidit, occidit
spes omnis et fortuna nostri
nominis Hasdrubale interemto.

nil Claudiae non perficient manus,
quas et benigno numine Iuppiter
defendit et curae sagaces
expediunt per acuta belli."

CARMEN V.

AD AUGUSTUM.

Divis orte bonis, optime Romulae
custos gentis, abes iam nimium diu;
maturum reditum pollicitus patrum
sancto concilio, redi.

lucem redde tuae, dux bone, patriae;
instar veris enim vultus ubi tuus
affulsit populo, gratior it dies
et soles melius nitent.

ut mater iuvenem, quem Notus invido
flatu Carpathii trans maris aequora
cunctantem spatio longius annuo
dulci distinet a domo,

votis ominibusque et precibus vocat,
curvo nec faciem litore dimovet;
sic desideriis icta fidelibus
quaerit patria Caesarem.

tutus bos etenim rura perambulat,
nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
pacatum volitant per mare navitae,
culpari metuit Fides,

nullis polluitur casta domus stupris,
mos et lex maculosum edomuit nefas,
laudantur simili prole puerperae,
culpam poena premit comes.

quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
quis Germania quos horrida parturit
fetus, incolumi Caesare? quis ferae
bellum curet Hiberiae?

condit quisque diem collibus in suis,
et vitem viduas ducit ad arbores;
hinc ad vina redit laetus et alteris
te mensis adhibet deum;

te multa prece, te prosequitur mero
defuso pateris, et Laribus tuum
miscet numen, uti Graecia Castoris,
et magni memor Herculis.

longas o utinam, dux bone, ferias
praestes Hesperiae! dicimus integro
sicci mane die, dicimus uvidi,
quum sol oceano subest.

CARMEN VI.

HYMNUS AD APOLLINEM ET DIANAM.

Dive, quem proles Niobea magnae
vindicem linguae Tityosque raptor
sensit et Troiae prope victor altae
Phthius Achilles,

ceteris maior, tibi miles impar,
filius quamvis Thetidos marinae
Dardanas turres quateret tremenda
cuspide pugnax:

ille, mordaci velut icta ferro
pinus aut impulsa cupressus Euro,
procidit late posuitque collum in
pulvere Teucro.

ille non, inclusus equo Minervae
sacra mentito, male feriatos
Troas et laetam Priami chorcis
falleret aulam;

sed palam captis gravis, heu nefas! heu!
nescios fari pueros Achivis
ureret flammis, etiam latentem
matris in alvo,

ni tuis victus Venerisque gratae
vocibus divum pater annuisset
rebus Aeneae potiore ductos
alite muros.

doctor Argivae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
levis Agylleu.

spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
carminis nomenque dedit poetae.
virginum primae puerique claris
patribus orti,

Deliae tutela deae fugaces
lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
pollicis ictum,

rite Latonae puerum canentes,
rite crescentem face Noctilucam,
prosperam frugum celeremque pronos
volvere menses.

nupta iam dices: ego dis amicum,
seculo festas referente luces,
reddidi carmen, docilis modorum
vatis Horati.

CARMEN VII.

AD L. MANLIUM TORQUATUM.

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
arboribusque comae;
mutat terra vices, et decrescentia ripas
flumina praetereunt;

atia cum Nymphis geminisque sororibus audet
lucere nuda choros.
nortalia ne speres, monet annus et almum
quae rapit hora diem.

ora mitescunt Zephyris; ver proterit aestas,
nteritura, simul
nifer autumnus fruges effuderit, et mox
oruma recurrit iners.

nna tamen celeres reparant caelestia Lunae;
os, ubi decidimus,
o pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
ulvis et umbra sumus.

s scit, an adiiciant hodiernae crastina summae
empora di superi?
icta manus avidas fugient heredis, amico
quae dederis animo.

m semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,
, Torquate, genus, non te facundia, non te
estituet pietas:

ernis neque enim tenebris Diana pudicum
iberat Hippolytum,
Lethaea valet Theseus abrumpere caro
vincula Pirithoo.

CARMEN VIII.

AD C. MARCIUM CENSORINUM.

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus;
donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum; neque tu pessima munerum

ferres, divite me scilicet artium,
quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
hic saxo, liquidis ille coloribus
sollers nunc hominem ponere, nunc deum.

sed non haec mihi vis, nec tibi talium
res est aut animus deliciarum egens.
gaudes carminibus; carmina possumus
donare, et pretium dicere muneri.

non incisa notis marmora publicis,
per quae spiritus et vita redit bonis
post mortem ducibus, non celeres fugae
reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
[non incendia Carthaginis impiae]

eius, qui domita nomen ab Africa
lucratus rediit, clarius indicant
laudes, quam Calabrae Pierides: neque,
si chartae sileant quod bene feceris,

mercedem tuleris. quid foret Iliae
Mavortisque puer, si taciturnitas
obstaret meritis invida Romuli?
ereptum Stygiis fluctibus Aeacum

virtus et favor et lingua potentium
vatum divitibus consecrat insulis.
[dignum laude virum Musa vetat mori:]
caelo Musa beat. sic Iovis interest
optatis epulis impiger Hercules;

clarum Tyndaridae sidus ab infimis
quassas eripiunt aequoribus rates;
ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

CARMEN IX.

AD M. LOLLIUM PALICANUM.

Ne forte credas interitura, quae
longe sonantem natus ad Aufidum
non ante vulgatas per artes
verba loquor socianda chordis,

non, si priores Maeonius tenet
sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae;

nec, si quid olim lusit Anacreon,
delevit aetas; spirat adhuc amor,
vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.

non sola comtos arsit adulteri
crines et aurum vestibus illitum
mirata regalesque cultus
et comites Helene Lacaena,

primusve Teucer tela Cydonio
direxit arcu; non semel Ilios
vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus

dicenda Musis proelia; non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
excepit ictus pro pudicis
coniugibus puerisque primus.

vixere fortes ante Agamemnona
multi; sed omnes illacrimabiles
urgentur ignotique longa
nocte, carent quia vate sacro.

paullum sepultae distat inertiae
celata virtus. non ego te meis
chartis inornatum silebo,
totve tuos patiar labores

impune, Lolli, carpere lividas
obliviones. est animus tibi
rerumque prudens et secundis
temporibus dubiisque rectus;

vindex avarae fraudis et abstinens
ducentis ad se cuncta pecuniae,
consulque non unius anni,
sed quoties bonus atque fidus

iudex honestum praetulit utili,
reiecit alto dona nocentium
vultu, per obstantes catervas
explicuit sua victor arma.
non possidentem multa vocaveris
recte beatum; rectius occupat
nomen beati, qui deorum
muneribus sapienter uti
duramque callet pauperiem pati,
peiusque leto flagitium timet,
non ille pro caris amicis
aut patria timidus perire.

CARMEN X.

AD LIGURINUM.

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
insperata tuae quum veniet pluma superbiae,
et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,
mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam:
dices, heu! quoties te speculo videris alterum:
„quae mens est hodie; cur eadem non puero fuit,
vel cur his animis incolumes non redeunt genae?“

CARMEN XI.

AD PHYLLIDEM.

Est mihi nonum superantis annum
plenus Albani cadus; est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis;
est hederae vis
multa, qua crines religata fulges;
ridet argento domus; ara castis
vincta verbenis avet immolato
spargier agno;
cuncta festinat manus, huc et illuc
cursitant mixtae pueris puellae;
sordidum flammae trepidant rotantes
vertice fumum.

ut tamen noris, quibus advoceris
gaudiis, Idus tibi sunt agendae,
qui dies mensem Veneris marinae
findit Aprilem,

iure sollemnis mihi sanctiorque
paene natali proprio, quod ex hac
luce Maecenas meus affluentes
ordinat annos.

Telephum, quem tu petis, occupavit,
non tuae sortis iuvenem, puella
dives et lasciva tenetque grata
compede vinctum.

terret ambustus Phaethon avaras
spes, et exemplum grave praebet ales
Pegasus terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,

semper ut te digna sequare, et, ultra
quam licet sperare nefas putando,
disparem vites. age iam, meorum
finis amorum, —

non enim posthac alia calebo
femina — condisce modos, amanda
voce quos reddas; minuentur atrae
carmine curae.

CARMEN XII.

AD VIRGILIUM.

Iam veris comites, quae mare temperant,
impellunt animae lintea Thraciae;
iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
hiberna nive turgidi.

nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
infelix avis et Cecropiae domus
aeternum opprobrium, quod male barbaras
regum est ulta libidines.

dicunt in tenero gramine pinguium
custodes ovium carmina fistula,
delectantque deum, cui pecus et nigri
colles Arcadiae placent.

adduxere sitim tempora, Virgili;
sed pressum Calibus ducere Liberum
si gestis, iuvenum nobilium cliens,
nardo vina merebere.

nardi parvus onyx eliciet cadum,
qui nunc Sulpiciis accubat horreis,
spes donare novas largus amaraque
curarum eluere efficax.

ad quae si properas gaudia, cum tua
velox merce veni; non ego te meis
immunem meditor tinguere poculis,
plena dives ut in domo.

verum pone moras et studium lucri,
nigrorumque memor, dum licet, ignium
misce stultitiam consiliis brevem:
dulce est desipere in loco.

CARMEN XIII.

IN LYCEN VETULAM.

Audivere, Lyce, di mea vota, di
audivere, Lyce: fis anus, et tamen
vis formosa videri,
ludisque et bibis impudens,

et cantu tremulo pota Cupidinem
lentum sollicitas. ille virentis et
doctae psallere Chiae
pulchris excubat in genis.

importunus enim transvolat aridas
quercus, et refugit te, quia luridi
dentes te, quia rugae
turpant et capitis nives.

nec Coae referunt iam tibi purpurae,
nec cari lapides tempora, quae semel
notis condita fastis
inclusit volucris dies.

quo fugit Venus, heu! quove color? decens
quo motus? quid habes illius, illius,
quae spirabat amores,
quae me surpuerat mihi,

felix post Cinaram, notaque et artium
gratarum facies? sed Cinarae breves
annos fata dederunt,
servatura diu parem

cornicis vetulae temporibus Lycen,
possent ut iuvenes visere fervidi
multo non sine risu
dilapsam in cineres facem.

CARMEN XIV.

AD CAESAREM AUGUSTUM.

Quae cura Patrum quaeve Quiritium
plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
per titulos memoresque fastos

aeternet? o, qua sol habitabiles
illustrat oras, maxime principum,
quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,

quid Marte posses. milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces et arces
Alpibus impositas tremendis

deiecit acer plus vice simplici,
maior Neronum mox grave proelium
commisit, immanesque Rhaetos
auspiciis pepulit secundis,

spectandus in certamine Martio,
devota morti pectora liberae
quantis fatigaret ruinis:
indomitas prope qualis undas
exercet Auster, Pleiadum choro
scindente nubes, impiger hostium
vexare turmas, et frementem
mittere equum medios per ignes.
sic tauriformis volvitur Aufidus,
qui regna Dauni praefluit Apuli,
quum saevit horrendamque cultis
diluviem meditatur agris,
ut barbarorum Claudius agmina
ferrata vasto diruit impetu,
primosque et extremos metendo
stravit humum, sine clade victor,
te copias, te consilium et tuos
praebente divos. nam tibi, quo die
portus Alexandrea supplex
et vacuam patefecit aulam,
fortuna lustro prospera tertio
belli secundos reddidit exitus,
laudemque et optatum peractis
imperiis decus arrogavit.
te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae!
te, fontium qui celat origines,
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
te belluosus qui remotis
obstrepit Oceanus Britannis,
te non paventis funera Galliae,
duraeque tellus audit Hiberiae;
te caede gaudentes Sygambri
compositis venerantur armis.

CARMEN XV.

CAESARIS AUGUSTI LAUDES.

Phoebus volentem proelia me loqui
victas et urbes increpuit lyra,
ne parva Tyrrhenum per aequor
vela darem. tua, Caesar, aetas
fruges et agris rettulit uberes,
et signa nostro restituit Iovi,
derepta Parthorum superbis
postibus, et vacuum duellis
Ianum Quirinum clausit et ordinem
rectum evaganti frena licentiae
iniecit emovitque culpas
et veteres revocavit artes,
per quas Latinum nomen et Italae
crevere vires famaque et imperi
porrecta maiestas ad ortum
solis ab Hesperio cubili.
custode rerum Caesare non furor
civilis aut vis exiget otium,
non ira, quae procudit enses
et miseras inimicat urbes.
non, qui profundum Danubium bibunt,
edicta rumpent Iulia, non Getae,
non Seres infidive Persae,
non Tanain prope flumen orti;
nosque et profestis lucibus et sacris
inter iocosi munera Liberi
cum prole matronisque nostris,
rite deos prius apprecati,
virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Troiamque et Anchisen et almae
progeniem Veneris canemus.

Q. HORATII FLACCI

CARMEN SECULARE.

Phoebe silvarumque potens Diana,
lucidum caeli decus, o colendi
semper et culti, date quae precamur
tempore sacro,

quo Sibyllini monuere versus
virgines lectas puerosque castos
dis, quibus septem placuere colles,
dicere carmen.

alme Sol, curru nitido diem qui
promis et celas, aliusque et idem
nasceris, possis nihil urbe Roma
visere maius!

rite maturos aperire partus
lenis, Ilithyia, tuere matres,
sive tu Lucina probas vocari
seu Genitalis:

diva, producas subolem, patrumque
prosperes decreta super iugandis
feminis prolisque novae feraci
lege marita,

certus undenos decies per annos
orbis ut cantus referatque ludos
ter die claro totiesque grata
nocte frequentes.

vosque veraces cecinisse, Parcae,
quod semel dictum est stabilisque rerum
terminus servet, bona iam peractis
iungite fata.

fertilis frugum pecorisque Tellus
spicea donet Cererem corona;
nutriant fetus et aquae salubres
et Iovis aurae.

condito mitis placidusque telo
supplices audi pueros, Apollo;
siderum regina bicornis audi,
Luna, puellas.

Roma si vestrum est opus, Iliaeque
litus Etruscum tenuere turmae,
iussa pars mutare lares et urbem
sospite cursu,

cui per ardentem sine fraude Troiam
castus Aeneas patriae superstes
liberum munivit iter, daturus
plura relictis:

di, probos mores docili iuventae,
di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
et decus omne!

quaeque vos bobus veneratur albis
clarus Anchisae Venerisque sanguis,
impetret, bellante prior, iacentem
lenis in hostem!

iam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures;
iam Scythae responsa petunt superbi
nuper et Indi.

iam Fides et Pax et Honos Pudorque
priscus et neglecta redire Virtus
audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.

augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque novem Camenis,
qui salutari levat arte fessos
corporis artus,

si Palatinas videt aequus aras,
remque Romanam Latiumque felix
alterum in lustrum meliusque semper
proroget aevum;

quaeque Aventinum tenet Algidumque,
quindecim Diana preces virorum
curet et votis puerorum amicas
applicet aures!

haec Iovem sentire deosque cunctos
spem bonam certamque domum reporto,
doctus et Phoebi chorus et Dianae
dicere laudes.

Q. HORATII FLACCI

EPODON

LIBER.

CARMEN I.

AD MAECENATEM.

is Liburnis inter alta navium,
amice, propugnacula,
ratus omne Caesaris periculum
subire, Maecenas, tuo.
id nos, quibus te vita si superstite,
iucunda; si contra, gravis?
rumne iussi persequemur otium,
non dulce, ni tecum simul?
ı hunc laborem mente laturi decet
qua ferre non molles viros?
remus et te vel per Alpium iuga
inhospitalem et Caucasum
el occidentis usque ad ultimum sinum
forti sequemur pectore.
ges, tuum labore quid iuvem meo,
imbellis ac firmus parum?
mes minore sum futurus in metu,
qui maior absentes habet:
t assidens implumibus pullis avis
serpentium allapsus timet
agis relictis, non, ut adsit, auxili
latura plus praesentibus.
benter hoc et omne militabitur
bellum in tuae spem gratiae;
on ut iuvencis illigata pluribus

aratra nitantur mea,
pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascuis,
neque ut superni villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia.
satis superque me benignitas tua
ditavit: haud paravero
quod aut avarus ut Chremes terra premam,
discinctus aut perdam nepos.

CARMEN II.

ALFIUS.

Beatus ille, qui procul negotiis,
ut prisca gens mortalium,
paterna rura bobus exercet suis
solutus omni fenore:
neque excitatur classico miles truci,
neque horret iratum mare;
forumque vitat et superba civium
potentiorum limina.
ergo aut adulta vitium propagine
altas maritat populos
aut in reducta valle mugientium
prospectat errantes greges,
inutilesque falce ramos amputans
feliciores inserit,
aut pressa puris mella condit amphoris,
aut tondet infirmas oves;
vel cum decorum mitibus pomis caput
autumnus arvis extulit,
ut gaudet insitiva decerpens pira
certantem et uvam purpurae,
qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
libet iacere modo sub antiqua ilice,
modo in tenaci gramine.
labuntur altis interim ripis aquae,

queruntur in silvis aves,
itesque lymphis obstrepunt manantibus,
somnos quod invitet leves.
cum tonantis annus hibernus Iovis
imbres nivesque comparat,
: trudit acres hinc et hinc multa cane
apros in obstantes plagas,
: amite levi rara tendit retia,
turdis edacibus dolos,
vidumque leporem et advenam laqueo gruem
iucunda captat praemia.
is non malarum quas amor curas habet
haec inter obliviscitur?
odsi pudica mulier in partem iuvet
domum atque dulces liberos;
bina qualis aut perusta solibus
pernicis uxor Apuli,
rum vetustis exstruat lignis focum
lassi sub adventum viri,
udensque textis cratibus laetum pecus
distenta siccet ubera,
horna dulci vina promens dolio
dapes inemtas apparet:
n me Lucrina iuverint conchylia
magisve rhombus aut scari,
quos Eois intonata fluctibus
hiems ad hoc vertat mare;
n Afra avis descendat in ventrem meum,
non attagen Ionicus
undior, quam lecta de pinguissimis
oliva ramis arborum,
: herba lapathi prata amantis et gravi
malvae salubres corpori,
agna festis caesa terminalibus,
vel haedus ereptus lupo.
s inter epulas ut iuvat pastas oves
videre properantes domum,
lere fessos vomerem inversum boves
collo trahentes languido,

positosque vernas, ditis examen domus,
circum renidentes lares!
haec ubi locutus fenerator Alfius,
iam iam futurus rusticus,
omnem redegit Idibus pecuniam;
quaerit Calendis ponere.

CARMEN III.

AD MAECENATEM.

Parentis olim si quis impia manu
senile guttur fregerit,
edit cicutis allium nocentius.
o dura messorum ilia!
quid hoc veneni saevit in praecordiis?
num viperinus his cruor
incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem,
ignota tauri illigaturum iuga,
perunxit hoc Iasonem:
hoc delibutis ulta donis pellicem
serpente fugit alite.
nec tantus unquam siderum insedit vapor
siticulosae Apuliae;
nec munus humeris efficacis Herculis
inarsit aestuosius.
at si quid unquam tale concupiveris,
iocose Maecenas, precor
manum puella savio opponat tuo,
extrema et in sponda cubet.

CARMEN IV.

IN MENAM.

Lupis et agnis quanta sortito obtigit
tecum mihi discordia est,
Ibericis peruste funibus latus

t crura dura compede.
t superbus ambules pecunia,
ortuna non mutat genus.
esne, sacram metiente te viam
um bis trium ulnarum toga,
ora vertat huc et huc euntium
iberrima indignatio?
ctus flagellis hic triumviralibus
raeconis ad fastidium
t Falerni mille fundi iugera,
t Appiam mannis terit,
ilibusque magnus in primis eques
Othone contemto sedet.
d attinet tot ora navium gravi
ostrata duci pondere
tra latrones atque servilem manum,
oc hoc tribuno militum?“

CARMEN V.

IN CANIDIAM VENEFICAM.

t, o deorum quicquid in caelo regit
erras et humanum genus,
d iste fert tumultus? et quid omnium
ultus in unum me truces?
· liberos te, si vocata partubus
Lucina veris affuit,
· hoc inane purpurae decus precor,
er improbaturum haec Iovem,
d ut noverca me intueris aut uti
petita ferro bellua?“
haec trementi questus ore constitit
nsignibus raptis puer,
pube corpus, quale posset impia
nollire Thracum pectora;
nidia, brevibus implicata viperis
crines et incomtum caput,
et sepulcris caprificos erutas,

iubet cupressus funebres
et uncta turpis ova ranae sanguine
plumamque nocturnae strigis
herbasque, quas Iolcos atque Iberia
mittit venenorum ferax,
et ossa ab ore rapta ieiunae canis
flammis aduri Colchicis.
at expedita Sagana per totam domum
spargens Avernales aquas
horret capillis ut marinus asperis
echinus aut currens aper.
abacta nulla Veia conscientia
ligonibus duris humum
exhauriebat ingemens laboribus,
quo posset infossus puer
longo die bis terque mutatae dapis
inemori spectaculo,
cum promineret ore, quantum exstant aqua
suspensa mento corpora:
exusta uti medulla et aridum iecur
amoris esset poculum,
interminato cum semel fixae cibo
intabuissent pupulae.
non defuisse masculae libidinis
Ariminensem Foliam
et otiosa credidit Neapolis
et omne vicinum oppidum,
quae sidera excantata voce Thessala
lunamque caelo deripit.
hic irresectum saeva dente livido
Canidia rodens pollicem
quid dixit aut quid tacuit? „o rebus meis
non infideles arbitrae,
Nox, et Diana, quae silentium regis,
arcana cum fiunt sacra,
nunc nunc adeste! nunc in hostiles domos
iram atque numen vertite!
formidolosis dum latent silvis ferae
dulci sopore languidae,

ıem, quod omnes rideant, adulterum
atrent Suburanae canes
:do perunctum, quale non perfectius
neae laborarunt manus. —
:d accidit? cur dira barbarae minus
venena Medeae valent,
ibus superbam fugit ulta pellicem,
nagni Creontis filiam,
n palla, tabo munus imbutum, novam
ncendio nuptam abstulit?
ui nec herba nec latens in asperis
radix fefellit me locis:
ormit unctis omnium cubilibus
)blivione pellicum. —
ah! solutus ambulat veneficae
scientioris carmine. —
ı usitatis, Vare, potionibus,
ɔ multa fleturum caput,
me recurres, nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.
ius parabo, maius infundam tibi
fastidienti poculum;
usque caelum sidet inferius mari
:ellure porrecta super,
ım non amore sic meo flagres, uti
bitumen atris ignibus."
› haec puer, iam non, ut ante, mollibus
enire verbis impias,
l dubius unde rumperet silentium
misit Thyesteas preces:
:nena, magnum fas nefasque, non valent
convertere humanam vicem.
is agam vos: dira detestatio
nulla expiatur victima.
ın, ubi perire iussus exspiravero,
nocturnus occurram Furor,
amque vultus umbra curvis unguibus,
quae vis deorum est Manium,
inquietis assidens praecordiis

pavore somnos auferam.
vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens
contundet obscoenas anus.
post insepulta membra different lupi
et Esquilinae alites;
neque hoc parentes, heu mihi superstites!
effugerit spectaculum."

CARMEN VI.

IN CASSIUM SEVERUM.

Quid immerentes hospites vexas canis
ignavus adversum lupos?
quin huc inanes, si potes, vertis minas
et me remorsurum petis?
nam qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
amica vis pastoribus,
agam per altas aure sublata nives,
quaecumque praecedet fera.
tu cum timenda voce complesti nemus,
proiectum odoraris cibum.
cave cave: namque in malos asperrimus
parata tollo cornua,
qualis Lycambae spretus infido gener,
aut acer hostis Bupalo.
an si quis atro dente me petiverit,
inultus ut flebo puer?

CARMEN VII.

AD POPULUM ROMANUM.

Quo quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
aptantur enses conditi?
parumne campis atque Neptuno super
fusum est Latini sanguinis,
non, ut superbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret,

ıctus aut Britannus ut descenderet
ıacra catenatus via;
. ut secundum vota Parthorum sua
ırbs haec periret dextera?
ıue hic lupis mos nec fuit leonibus
ıunquam nisi in dispar feris.
orne caecos an rapit vis acrior?
ın culpa? responsum date!
ent, et albus ora pallor inficit
nentesque perculsae stupent. —
est: acerba fata Romanos agunt
ıcelusque fraternae necis,
immerentis fluxit in terram Remi
ıacer nepotibus cruor.

CARMEN VIII.

IN ANUM LIBIDINOSAM.

gare longo putidam te saeculo
ires quid enervet meas,
n sit tibi dens ater et rugis vetus
rontem senectus exaret,
tque turpis inter aridas nates
odex velut crudae bovis?
incitat me pectus et mammae putres,
equina quales ubera,
ıterque mollis, et femur tumentibus
xile suris additum.
o beata, funus atque imagines
lucant triumphales tuum;
sit marita, quae rotundioribus
ınusta baccis ambulet. —
d? quod libelli Stoici inter Sericos
acere pulvillos amant;
erati num minus nervi rigent,
ninusve languet fascinum?
d ut superbo provoces ab inguine,
re allaborandum est tibi.

CARMEN IX.

AD MAECENATEM.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes
victore laetus Caesare
tecum sub alta — sic Iovi gratum — domo,
beate Maecenas, bibam,
sonante mixtum tibiis carmen lyra,
hac Dorium, illis barbarum?
ut nuper, actus cum freto Neptunius
dux fugit, ustis navibus,
minatus urbi vincla, quae detraxerat
servis amicus perfidis.
Romanus, eheu! — posteri negabitis —
emancipatus feminae,
fert vallum et arma miles, et spadonibus
servire rugosis potest;
interque signa turpe militaria
sol adspicit conopium.
ad haec frementes verterunt bis mille equos
Galli canentes Caesarem,
hostiliumque navium portu latent
puppes sinistrorsum citae.
io Triumphe! tu moraris aureos
currus et intactas boves?
io Triumphe! nec Iugurthino parem
bello reportasti ducem,
neque Africanum, cui super Carthaginem
virtus sepulcrum condidit.
terra marique victus hostis Punico
lugubre mutavit sagum;
aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
ventis iturus non suis;
exercitatas aut petit Syrtes Noto,
aut fertur incerto mari.
capaciores affer huc, puer, scyphos
et Chia vina aut Lesbia,
vel, quod fluentem nauseam coerceat,

metire nobis Caecubum.
'am metumque Caesaris rerum iuvat
dulci Lyaeo solvere.

CARMEN X.

IN MAEVIUM POETAM.

ıla soluta navis exit alite
ferens olentem Maevium.
horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
;er rudentes Eurus inverso mari
fractosque remos differat;
urgat Aquilo, quantus altis montibus
frangit trementes ilices;
: sidus atra nocte amicum appareat,
ıua tristis Orion cadit:
ietiore nec feratur aequore
ıuam Graia victorum manus,
n Pallas usto vertit iram ab Ilio
in impiam Aiacis ratem.
ıuantus instat navitis sudor tuis
ibique pallor luteus!
illa non virilis eiulatio,
preces et aversum ad Iovem,
iius udo cum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!
ma quodsi praeda curvo litore
porrecta mergos iuveris,
idinosus immolabitur caper
et agna tempestatibus.

CARMEN XI.

AD PETTIUM.

tti, nihil me, sicut antea, iuvat
scribere versiculos amore percussum gravi,
ore, qui me praeter omnes expetit

mollibus in pueris aut in puellis urere.
hic tertius December, ex quo destiti
Inachia furere, silvis honorem decutit.
heu me, per urbem, nam pudet tanti mali,
fabula quanta fui! conviviorum et poenitet,
in queis amantem et languor et silentium
arguit et latere petitus imo spiritus.
„contrane lucrum nil valere candidum
pauperis ingenium“ querebar applorans tibi;
simul calentis inverecundus deus
fervidiore mero arcana promorat loco.
„quodsi meis inaestuet praecordiis
libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
fomenta, vulnus nil malum levantia
desinet imparibus certare summotus pudor.“
ubi haec severus te palam laudaveram,
iussus abire domum ferebar incerto pede
ad non amicos, heu, mihi postes et heu
limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
nunc, gloriantis quamlibet mulierculam
vincere mollitie, amor Lycisci me tenet;
unde expedire non amicorum queant
libera consilia nec contumeliae graves,
sed alius ardor aut puellae candidae
aut teretis pueri longam renodantis comam.

CARMEN XII.

IN ANUM LIBIDINOSAM.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
munera cur mihi quidve tabellas
mittis, nec firmo iuveni neque naris obesae?
namque sagacius unus odoror,
polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
quam canis acer ubi lateat sus.
quis sudor vietis et quam malus undique membris
crescit odor, cum pene soluto
indomitam properat rabiem sedare; nec illi

am manet humida creta colorque
core fucatus crocodili, iamque, subando
enta, cubilia tectaque rumpit;
mea cum saevis agitat fastidia verbis:
,Inachia langues minus ac me;
chiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
nollis opus. pereat male quae te
bia quaerenti taurum monstravit inertem,
um mihi Cous adesset Amyntas,
us in indomito constantior inguine nervus,
uam nova collibus arbor inhaeret.
ricibus Tyriis iteratae vellera lanae
ui properabantur? tibi nempe,
foret aequales inter conviva, magis quem
liligeret mulier sua quam te.
go non felix, quam tu fugis ut pavet acres
gna lupos capreaeque leones."

CARMEN XIII.

AD AMICOS.

rrida tempestas caelum contraxit, et imbres
nivesque deducunt Iovem; nunc mare nunc silüae
reicio Aquilone sonant. rapiamus, amici,
occasionem de die, dumque virent genua
decet, obducta solvatur fronte senectus.
tu vina Torquato move consule pressa meo.
era mitte loqui: deus haec fortasse benigna
reducet in sedem vice. nunc et Achaemenio
rfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
levare diris pectora sollicitudinibus;
bilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
„invicte mortalis dea nate puer Thetide,
manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
findunt Scamandri flumina lubricus et Simois;
de tibi reditum certo subtemine Parcae
rupere, nec mater domum caerula te revehet.
ic omne malum vino cantuque levato,
deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

CARMEN XIV.

AD MAECENATEM.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
oblivionem sensibus,
pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
arente fauce traxerim,
candide Maecenas, occidis saepe rogando:
deus, deus nam me vetat
inceptos olim, promissum carmen, iambos
ad umbilicum adducere.
non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium,
qui persaepe cava testudine flevit amorem
non elaboratum ad pedem.
ureris ipse miser! quodsi non pulchrior ignis
accendit obsessam Ilion,
gaude sorte tua; me libertina, neque uno
contenta, Phryne macerat.

CARMEN XV.

AD NEAERAM.

Nox erat, et caelo fulgebat luna sereno
inter minora sidera,
cum tu, magnorum numen laesura deorum,
in verba iurabas mea,
arctius atque hedera procera adstringitur ilex
lentis adhaerens brachiis:
„dum pecori lupus et nautis infestus Orion
turbaret hibernum mare,
intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
fore hunc amorem mutuum.“
o dolitura mea multum virtute Neaera!
nam si quid in Flacco viri est,
non feret assiduas potiori te dare noctes,
et quaeret iratus parem:

; semel offensae cedet constantia formae,
ıi certus intrarit dolor.
tu, quicumque es felicior atque meo nunc
ıuperbus incedis malo,
pecore et multa dives tellure licebit,
ibique Pactolus fluat,
› te Pythagorae fallant arcana renati,
formaque vincas Nirea;
eu! translatos alio maerebis amores:
ast ego vicissim risero.

CARMEN XVI.

AD POPULUM ROMANUM.

tera iam teritur bellis civilibus aetas,
suis et ipsa Roma viribus ruit:
am neque finitimi valuerunt perdere Marsi
minacis aut Etrusca Porsenae manus,
mula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer
novisque rebus infidelis Allobrox,
c fera caerulea domuit Germania pube
parentibusque abominatus Hannibal;
ıpia perdemus devoti sanguinis aetas,
ferisque rursus occupabitur solum.
rbarus heu cineres insistet victor, et urbem
eques sonante verberabit ungula;
ıaeque carent ventis et solibus ossa Quirini, —
nefas videri, — dissipabit insolens.
rte quid expediat communiter aut melior pars
malis carere quaeritis laboribus;
ılla sit hac potior sententia: Phocaeorum
velut profugit exsecrata civitas
ıros atque Lares patrios, habitandaque fana
apris reliquit et rapacibus lupis,
e pedes quocumque ferent, quocumque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
c placet? an melius quis habet suadere? — secunda
ratem occupare quid moramur alite?

sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint
vadis levata, ne redire sit nefas;
neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina;
in mare seu celsus procurrerit Apenninus,
novaque monstra iunxerit libidine
mirus amor, iuvet ut tigres subsidere cervis,
adulteretur et columba milüo,
credula nec flavos timeant armenta leones,
ametque salsa levis hircus aequora.
haec et quae poterunt reditus abscindere dulces
eamus omnis exsecrata civitas
aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
inominata perprimat cubilia.
vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca praeter et volate litora.
nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
petamus arva, divites et insulas,
reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis
et imputata floret usque vinea,
germinat et nunquam fallentis termes olivae,
suamque pulla ficus ornat arborem;
mella cava manant ex ilice, montibus altis
levis crepante lympha desilit pede.
illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,
refertque tenta grex amicus ubera;
nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
neque intumescit alta viperis humus.
pluraque felices mirabimur: et neque largis
aquosus Eurus arva radat imbribus,
pinguia nec siccis urantur semina glebis,
utrumque rege temperante caelitum.
non huc Argoo contendit remige pinus,
neque impudica Colchis intulit pedem;
non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
laboriosa nec cohors Ulixei.
nulla nocent pecori contagia, nullius astri
gregem aestuosa torret impotentia.
Iuppiter illa piae secrevit litora genti,

it inquinavit aere tempus aureum;
e, dehinc ferro duravit saecula, quorum
iis secunda vate me datur fuga.

CARMEN XVII.

IN CANIDIAM.

IOR. Iam iam efficaci do manus scientiae,
supplex et oro regna per Proserpinae,
per et Dianae non movenda numina,
per atque libros carminum valentium
refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
citumque retro solve solve turbinem.
novit nepotem Telephus Nereium,
in quem superbus ordinarat agmina
Mysorum et in quem tela acuta torserat.
unxere matres Iliae addictum feris
alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
postquam relictis moenibus rex procidit
heu! pervicacis ad pedes Achillei.
setosa duris exuere pellibus
laboriosi remiges Ulixei
volente Circe membra; tunc mens et sonus
relapsus atque notus in vultus honor.
dedi satis superque poenarum tibi,
amata nautis multum et institoribus.
fugit iuventas, et verecundus color
reliquit ora pelle amicta lurida;
tuis capillus albus est odoribus;
nullum ab labore me reclinat otium.
urget diem nox et dies noctem, neque est
levare tenta spiritu praecordia.
ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
caputque Marsa dissilire naenia.
quid amplius vis? o mare, o terra! ardeo
quantum neque atro delibutus Hercules

Nessi cruore, nec Sicana fervida
virens in Aetna flamma. tu, donec cinis
iniuriosis aridus ventis ferar,
cales venenis officina Colchicis.
quae finis? aut quod me manet stipendium?
effare: iussas cum fide poenas luam,
paratus expiare, seu poposceris
centum iuvencos, sive mendaci lyra
voles sonari: „tu pudica, tu proba
perambulabis astra sidus aureum.“
infamis Helenae Castor offensus vice,
fraterque magni Castoris, victi prece
ademta vati reddidere lumina.
et tu — potes nam — solve me dementia,
o nec paternis obsoleta sordibus,
neque in sepulcris pauperum prudens anus
novendiales dissipare pulveres.
tibi hospitale pectus et purae manus,
tuusque venter Pactumeius, et tuo
cruore rubros obstetrix pannos lavit,
utcumque fortis exsilis puerpera.
CANID. Quid obseratis auribus fundis preces?
non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
inultus ut tu riseris Cotyttia
vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
et Esquilini pontifex venefici
impune ut urbem nomine impleris meo?
quid proderat ditasse Pelignas anus,
velociusve miscuisse toxicum?
sed tardiora fata te votis manent:
ingrata misero vita ducenda est in hoc,
novis ut usque suppetas laboribus.
optat quietem Pelopis infidi pater,
egens benignae Tantalus semper dapis;
optat Prometheus obligatus aliti;
optat supremo collocare Sisyphus
in monte saxum; sed vetant leges Iovis.
voles modo altis desilire turribus,

modo ense pectus Norico recludere,
frustraque vincla gutturi nectes tuo
fastidiosa tristis aegrimonia.
vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
meaeque terra cedet insolentiae.
an quae movere cereas imagines,
ut ipse nosti curiosus, et polo
deripere lunam vocibus possum meis,
possum crematos excitare mortuos
desiderique temperare poculum,
plorem artis in te nil agentis exitus?

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

SATIRA I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
contentus vivat, laudet diversa sequentes?
„o fortunati mercatores!“ gravis annis
miles ait, multo iam fractus membra labore.
contra mercator, navim iactantibus austris:
„militia est potior! quid enim? concurritur: horae
momento cita mors venit aut victoria laeta.“
agricolam laudat iuris legumque peritus,
sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
solos felices viventes clamat in urbe.
cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
delassare valent Fabium. ne te morer, audi
quo rem deducam. si quis deus, „en ego,“ dicat,
„iam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,
mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
vos hinc mutatis discedite partibus. eia!
quid statis?“ — nolint. atqui licet esse beatis.
quid caussae est, merito quin illis Iuppiter ambas
iratus buccas inflet, neque se fore posthac
tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
praeterea ... ne sic ut qui iocularia ridens
percurram — quamquam ridentem dicere verum
quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
doctores, elementa velint ut discere prima —

ı amoto quaeramus seria ludo.
m duro terram qui vertit aratro,
ıic caupo, miles, nautaeque, per omne
nare qui currunt, hac mente laborem
, senes ut in otia tuta recedant,
um sibi sint congesta cibaria: sicut
nam exemplo est, magni formica laboris
quodcumque potest atque addit acervo,
ıit, haud ignara ac non incauta futuri.
ıul inversum contristat Aquarius annum,
am prorepit et illis utitur ante
sapiens, quum te neque fervidus aestus
lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
tibi, dum ne sit te ditior alter.
.t immensum te argenti pondus et auri
fossa timidum deponere terra? —
omminuas, vilem redigatur ad assem.
it, quid habet pulchri constructus acervus?
ımenti tua triverit area centum,
hoc capiet venter plus ac meus: ut si
panis venales inter onusto
as humero, nihilo plus accipias quam
ortarit. vel dic, quid referat intra
ines viventi, iugera centum an
t? — „at suave est ex magno tollere acervo.“
parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
lus laudes cumeris granaria nostris?
sit opus liquidi non amplius urna
ıo, et dicas: „magno de flumine mallem,
hoc fonticulo tantumdem sumere.“ eo fit,
.t si quos delectet copia iusto,
simul avulsos ferat Aufidus acer.
ntuli eget, quanto est opus, is neque limo
haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
pars hominum decepta cupidine falso,
est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.
as illi? iubeas miserum esse, libenter
id facit: ut quidam memoratur Athenis
ac dives populi contemnere voces

sic solitus: „populus me sibilat; at mihi plaudo
ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.“ —
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
flumina .... quid rides? mutato nomine de te
fabula narratur. congestis undique saccis
indormis inhians, et tanquam parcere sacris
cogeris aut pictis tanquam gaudere tabellis.
nescis quo valeat nummus? quem praebeat usum?
panis ematur, olus, vini sextarius, adde
quois humana sibi doleat natura negatis.
an vigilare metu exanimem, noctesque diesque
formidare malos fures, incendia, servos,
ne te compilent fugientes, hoc iuvat? horum
semper ego optarim pauperrimus esse bonorum. —
at si condoluit tentatum frigore corpus,
aut alius casus lecto te adfixit, habes qui
adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
suscitet ac natis reddat carisque propinquis. —
non uxor salvum te vult, non filius; omnes
vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
miraris, quum tu argento post omnia ponas,
si nemo praestet quem non merearis amorem?
an si cognatos, nullo natura labore
quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
infelix operam perdas: ut si quis asellum
in campo doceat parentem currere frenis?
denique sit finis quaerendi, quumque habeas plus,
pauperiem metuas minus et finire laborem
incipias, parto quod avebas, ne facias quod
Ummidius quidam; non longa est fabula. dives
ut metiretur nummos, ita sordidus ut se
non unquam servo melius vestiret, ad usque
supremum tempus ne se penuria victus
opprimeret metuebat. at hunc liberta securi
divisit medium, fortissima Tyndaridarum. —
quid mi igitur suades? ut vivam Maenius? aut sic
ut Nomentanus? — pergis pugnantia secum
frontibus adversis componere? non ego, avarum
quum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.

Tanain quiddam socerumque Viselli.
s in rebus, sunt certi denique fines,
a citraque nequit consistere rectum. —
ɜ abii redeo, qui nemo ut avarus
, ac potius laudet diversa sequentes,
aliena capella gerat distentius uber,
neque se maiori pauperiorum
ımparet, hunc atque hunc superare laboret.
anti semper locupletior obstat:
carceribus missos rapit ungula currus,
ıis auriga suos vincentibus, illum
ım temnens extremos inter euntem.
ut raro, qui se vixisse beatum
ɜxacto contentus tempore vita
conviva satur, reperire queamus. —
est; ne me Crispini scrinia lippi
ɜe putes, verbum non amplius addam.

SATIRA II.

ıarum collegia, pharmacopolae,
mimae, balatrones, hoc genus omne
ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
enignus erat. contra hic, ne prodigus esse
ıetuens, inopi dare nolit amico,
ıo duramque famem propellere possit.
ɔerconteris, avi cur atque parentis
ım ingrata stringat malus ingluvie rem,
ınductis coemens obsonia nummis:
atque animi quod parvi nolit haberi,
t. laudatur ab his, culpatur ab illis.
vappae famam timet ac nebulonis,
ris, dives positis in fenore nummis;
ic capiti mercedes exsecat, atque
erditior quisque est, tanto acrius urget;
ıectatur, modo sumpta veste virili,
ibus duris, tironum. „maxime, quis non,
“ exclamat, simulatque audivit. — „at in se
stu sumtum facit hic.“ — vix credere possis,

quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti
fabula quem miserum gnato vixisse fugato
inducit, non se peius cruciaverit atque hic.
si quis nunc quaerat: „quo res haec pertinet?“ illuc:
dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malchinus tunicis demissis ambulat; est qui
inguen ad obscoenum subductis usque facetus.
pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
nil medium est. sunt qui nolint tetigisse nisi illas,
quarum subsuta talos tegat instita veste:
contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
quidam notus homo quum exiret fornice, „macte
virtute esto,“ inquit sententia dia Catonis:
„nam simul ac venas inflavit tetra libido,
huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
permolere uxores.“ „nolim laudarier,“ inquit,
„sic me,“ mirator cunni Cupiennius albi.
audire est operae pretium, procedere recte
qui moechis non vultis, ut omni parte laborent,
utque illis multo corrupta dolore voluptas
atque haec rara cadat dura inter saepe pericla.
hic se praecipitem tecto dedit; ille flagellis
ad mortem caesus; fugiens hic decidit acrem
praedonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
demeteret ferrum. „iure,“ omnes: Galba negabat.
tutior at quanto merx est in classe secunda,
libertinarum dico! Sallustius in quas
non minus insanit, quam qui moechatur. at hic si,
qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
esse, daret quantum satis esset, nec sibi damno
dedecorique foret; verum hoc se amplectitur uno,
hoc amat et laudat: „matronam nullam ego tango.“
ut quondam Marsaeus, amator Originis ille,
qui patrium mimae donat fundumque laremque,
„nil fuerit mi,“ inquit, „cum uxoribus unquam alienis.“
verum est cum mimis, est cum meretricibus; unde

ılum gravius quam res trahit. an tibi abunde
n satis est, non illud, quidquid ubique
vitare? bonam deperdere famam,
is oblimare, malum est ubicumque. quid inter-
atrona, ancilla peccesne togata?
n Fausta Sullae gener, hoc miser uno
leceptus, poenas dedit usque superque
tis est, pugnis caesus ferroque petitus,
fore, quum Longarenus foret intus.
nutonis verbis mala tanta videntis
ıaec animus: „quid vis tibi? numquid ego a te
›rognatum deposco consule cunnum
ıue stola, mea quum conferbuit ira?“
ponderet? „magno patre nata puella est.“
o meliora monet pugnantiaque istis
is natura suae; tu si modo recte
re velis ac non fugienda petendis
re! tuo vitio rerumne labores,
re putas? quare, ne poeniteat te,
ıatronas sectarier, unde laboris
ırire mali est quam ex re decerpere fructus.
is huic inter niveos viridesque lapillos, —
hoc, Cerinthe, tuum — tenerum est femur aut crus
atque etiam melius persaepe togatae est. —
c, quod mercem sine fucis gestat; aperte,
nale habet, ostendit; nec si quid honesti est,
ıbetque palam, quaerit quo turpia celet.
hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
ıt, ne si facies, ut saepe, decora
lta pede est, emtorem inducat hiantem,
lchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.
recte: ne corporis optima Lyncei
lere oculis, Hypsaea caecior illa,
ıla sunt, spectes. — „o crus, o brachia!“ — verum
, nasuta, brevi latere ac pede longo est.
e, praeter faciem, nil cernere possis,
ıi Catia est, demissa veste tegentis.
licta petes, vallo circumdata — nam te
t insanum — multae tibi tum officient res,

custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
ad talos stola demissa et circumdata palla,
plurima, quae invideant pure apparere tibi rem.
altera ... nil obstat; Cois tibi paene videre est
ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi;
metiri possis oculo latus. an tibi mavis
insidias fieri pretiumque avellier ante
quam mercem ostendi? — „leporem venator ut alta
in nive sectetur, positum sic tangere nolit“
cantat et apponit: „meus est amor huic similis: nam
transvolat in medio posita et fugientia captat.“
hiscine versiculis speras tibi posse dolores
atque aestus curasque graves e pectore pelli?
nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,
quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
num, tibi quum fauces urit sitis, aurea quaeris
pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
pavonem rhombumque? tument tibi quum inguina, num, si
ancilla aut verna est praesto puer, impetus in quem
continuo fiat, malis tentigine rumpi?
non ego: namque parabilem amo Venerem facilemque.
illam, „post paullo;“ „sed pluris;“ „si exierit vir,“
Gallis hanc, Philodemus ait; sibi, quae neque magno
stet pretio neque cunctetur, quum est iussa venire.
candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa
nec magis alba velit quam dat natura videri.
haec ubi supposuit dextrum corpus mihi laevo,
Ilia et Egeria est; do nomen quodlibet illi,
nec vereor ne, dum futuo, vir rure recurrat,
ianua frangatur, latret canis, undique magno
pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
discincta tunica fugiendum est ac pede nudo,
ne nummi pereant aut puga aut denique fama.
deprendi miserum est: Fabio vel iudice vincam.

SATIRA III.

.s hoc vitium est cantoribus, inter amicos
uam inducant animum cantare rogati,
ıunquam desistant. Sardus habebat
ellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
et per amicitiam patris atque suam, non
m proficeret; si collibuisset, ab ovo
d mala citaret: „io Bacche!“ modo summa
odo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
ale homini fuit illi. saepe velut qui
: fugiens hostem, persaepe velut qui
sacra ferret; habebat saepe ducentos,
ecem servos; modo reges atque tetrarchas,
ıagna, loquens; modo: „sit mihi mensa tripes et
salis puri et toga, quae defendere frigus
ı crassa queat.“ decies centena dedisses
:co paucis contento, quinque diebus
in loculis. noctes vigilabat ad ipsum
liem totum stertebat. nil fuit unquam
ır sibi. — nunc aliquis dicat mihi: „quid tu?
habes vitia?“ „imo alia.“ „et fortasse minora?“
ı absentem Novium quum carperet: „heus tu,“
ait, „ignoras te? an ut ignotum dare nobis
utas?“ egomet mi ignosco, Maenius inquit.
et improbus hic amor est dignusque notari.
ıa pervideas oculis mala lippus inunctis,
micorum vitiis tam cernis acutum,
ut aquila aut serpens Epidaurius? at tibi contra
inquirant vitia ut tua rursus et illi.
or est paullo; minus aptus acutis
horum hominum; rideri possit eo, quod
ı tonso toga defluit et male laxus
calceus haeret: at est bonus, ut melior vir
ıs quisquam; at tibi amicus; at ingenium ingens
latet hoc sub corpore. denique te ipsum
, num qua tibi vitiorum inseverit olim
ıut etiam consuetudo mala; namque

neglectis urenda filix innascitur agris.
illuc praevertamur. amatorem quod amicae
turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae;
vellem in amicitia sic erraremus et isti
errori nomen virtus posuisset honestum.
at pater ut gnati, sic nos debemus amici
si quod sit vitium non fastidire. strabonem
appellat paetum pater, et pullum, male parvus
si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; hunc varum distortis cruribus, illum
balbutit scaurum, pravis fultum male talis.
parcius hic vivit: frugi dicatur. ineptus
et iactantior hic paullo est: concinnus amicis
postulat ut videatur. at est truculentior atque
plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
caldior est: acres inter numeretur. opinor,
haec res et iungit iunctos et servat amicos.
at nos virtutes ipsas invertimus atque
sincerum cupimus vas incrustare. probus quis
nobiscum vivit, multum est demissus homo: illi
tardo cognomen, pingui, damus. hic fugit omnes
insidias nullique malo latus obdit apertum,
quum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
invidia atque vigent ubi crimina: pro bene sano
ac non incauto fictum astutumque vocamus.
simplicior quis et est — qualem me saepe libenter
obtulerim tibi, Maecenas, — ut forte legentem
aut tacitum impellat quovis sermone molestus:
communi sensu plane caret, inquimus. eheu,
quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
nam vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
qui minimis urgetur. amicus dulcis, ut aequum est,
quum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce,
si modo plura mihi bona sunt, inclinet. amari
si volet hac lege, in trutina ponetur eadem.
qui ne tuberibus propriis offendat amicum
postulat, ignoscet verrucis illius: aequum est
peccatis veniam poscentem reddere rursus.

quatenus excidi penitus vitium irae,
em nequeunt stultis haerentia; cur non
ius modulisque suis ratio utitur, ac res
ıuc est ita suppliciis delicta coercet?
ːum servum, patinam qui tollere iussus
pisces tepidumque ligurrierit ius,
suffigat, Labeone insanior inter
catur. quanto hoc furiosius atque
eccatum est: paullum deliquit amicus;
ıi concedas, habeare insuavis: acerbus
fugis ut Rusonem debitor aeris,
quum tristes misero venere calendae,
m aut nummos unde unde extricat, amaras
iugulo historias, captivus ut, audit.
ɛit lectum potus mensave catillum
manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
tum ante mea quia pullum in parte catini
esuriens, minus hoc iucundus amicus
? quid faciam, si furtum fecerit, aut si
it commissa fide sponsumve negarit?
ria esse fere placuit peccata, laborant,
ɛntum ad verum est: sensus moresque repugnant,
sa utilitas, iusti prope mater et aequi.
ːorepserunt primis animalia terris,
et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
s et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
ınt armis, quae post fabricaverat usus;
ɛrba, quibus voces sensusque notarent,
ue invenere: dehinc absistere bello,
ːoeperunt munire et ponere leges,
fur esset, neu latro, neu quis adulter.
t ante Helenam cunnus teterrima belli
sed ignotis perierunt mortibus illi,
ıerem incertam rapientes more ferarum
ɛditior caedebat ut in grege taurus.
enta metu iniusti fateare necesse est,
si fastosque velis evolvere mundi.
ıra potest iusto secernere iniquum,
ıt bona diversis, fugienda petendis;

nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet idemque
qui teneros caules alieni fregerit horti,
et qui nocturnus sacra divum legerit. adsit
regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
ne scutica dignum horribili sectere flagello.
nam ut ferula caedas meritum maiora subire
verbera, non vereor, quum dicas esse pares res
furta latrociniis et magnis parva mineris
falce recisurum simili te, si tibi regnum
permittant homines. si dives, qui sapiens est,
et sutor bonus et solus formosus et est rex;
cur optas quod habes? „non nosti, quid pater," inquit,
„Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi nunquam
nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens." qui?
„ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
optimus est modulator; ut Alfenus vafer, omni
abiecto instrumento artis clausaque taberna,
tonsor erat; sapiens operis sic optimus omnis
est opifex solus, sic rex." — vellunt tibi barbam
lascivi pueri; quos tu nisi fuste coerces,
urgeris turba circum te stante, miserque
rumperis et latras, magnorum maxime regum.
ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
rex ibis, neque te quisquam stipator ineptum
praeter Crispinum sectabitur, et mihi dulces
ignoscent, si quid peccaro stultus, amici,
inque vicem illorum patiar delicta libenter,
privatusque magis vivam te rege beatus.

SATIRA IV.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae,
atque alii quorum comoedia prisca virorum est,
si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
famosus, multa cum libertate notabant.
hinc omnis pendet Lucilius, hosce sequutus,
mutatis tantum pedibus numerisque: facetus,
emunctae naris; durus componere versus.

hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
m, versus dictabat stans pede in uno.
ret lutulentus, erat quod tollere velles;
atque piger scribendi ferre laborem,
recte; nam ut multum, nil moror. — ecce
minimo me provocat: „accipe, si vis,
tabulas; detur nobis locus, hora,
videamus uter plus scribere possit.“
ecerunt, inopis me quodque pusilli
animi, raro et perpauca loquentis;
clusas hircinis follibus auras,
orantes dum ferrum molliat ignis,
, imitare. beatus Fannius ultro
psis et imagine, quum mea nemo
gat vulgo recitare timentis ob hanc rem,
t quos genus hoc minime iuvat, utpote plures
ignos. quemvis media eripe turba;
varitia aut misera ambitione laborat.
rum insanit amoribus, hic puerorum;
it argenti splendor; stupet Albius aere;
t merces surgente a sole ad eum, quo
a tepet regio; quin per mala praeceps
i pulvis collectus turbine, ne quid
leperdat metuens, aut ampliet ut rem:
i metuunt versus, odere poetas. —
habet in cornu, longe fuge: dummodo risum
sibi, non hic cuiquam parcet amico;
umque semel chartis illeverit, omnes
furno redeuntes scire lacuque,
s et anus.“ — agedum, pauca accipe contra.
ego me illorum, dederim quibus esse poetas,
a numero. neque enim concludere versum
sse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
propiora, putes hunc esse poetam.
a cui sit, cui mens divinior atque os
onaturum, des nominis huius honorem.
uidam comoedia necne poema
aesivere, quod acer spiritus ac vis
is nec rebus inest, nisi quod pede certo

differt sermoni, sermo merus. — „at pater ardens
saevit, quod meretrice nepos insanus amica
filius uxorem grandi cum dote recuset,
ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
noctem cum facibus.“ — numquid Pomponius istis
audiret leviora, pater si viveret? ergo
non satis est puris verbum perscribere verbis,
quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
quo personatus pacto pater. his, ego quae nunc,
olim quae scripsit Lucilius, eripias si
tempora certa modosque, et quod prius ordine verbum est
posterius facias, praeponens ultima primis;
non, ut si solvas „*postquam Discordia tetra*
belli ferratos postes portasque refregit,“
invenias etiam disiecti membra poetae.
hactenus haec: alias iustum sit necne poema.
nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
magnus uterque timor latronibus; at bene si quis
et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
ut sis tu similis Caeli Birrique latronum,
non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me?
nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli!
nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,
non ubivis coramve quibuslibet. in medio qui
scripta foro recitent sunt multi quique lavantes;
suave locus voci resonat conclusus. inanes
hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
tempore num faciant alieno. — „laedere gaudes,
inquit, et hoc studio pravus facis.“ unde petitum
hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum,
vixi cum quibus? absentem qui rodit amicum,
qui non defendit alio culpante, solutos
qui captat risus hominum famamque dicacis,
fingere qui non visa potest, commissa tacere
qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto.
saepe tribus lectis videas coenare quaternos,

unus amet quavis adspergere cunctos
m, qui praebet aquam; post hunc quoque potus,
ium verax aperit praecordia Liber:
)mis et urbanus liberque videtur,
gris; ego si risi, quod ineptus
Rufillus olet, Gargonius hircum,
mordax videor tibi? mentio si qua
lini furtis iniecta Petilli
fuerit; defendas ut tuus est mos:
itolinus convictore usus amicoque
st, caussaque mea permulta rogatus
ncolumis laetor quod vivit in urbe;
n admiror, quo pacto iudicium illud
hic nigrae succus loliginis, haec est
iera; quod vitium procul afore chartis,
mo prius, ut si quid promittere de me
liud vere, promitto. liberius si
iid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
a dabis. insuevit pater optimus hoc me,
m exemplis vitiorum quaeque notando.
hortaretur, parce, frugaliter, atque
uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
ides Albi ut male vivat filius, utque
ops? magnum documentum, ne patriam rem
quis velit!" a turpi meretricis amore
terreret: „Scetani dissimilis sis."
rer moechas, concessa quum venere uti
„deprensi non bella est fama Treboni,"
,sapiens, vitatu quidque petitu
s, caussas reddet tibi; mi satis est, si
ab antiquis morem servare tuamque,
todis eges, vitam famamque tueri
m possum; simul ac duraverit aetas
animumque tuum, nabis sine cortice." sic me
t puerum dictis, et sive iubebat
em quid, „habes auctorem, quo facias hoc;"
k iudicibus selectis obiiciebat;
abat, „an hoc inhonestum et inutile factu
it, addubites, flagret rumore malo quum

hic atque ille?“ avidos vicinum funus ut aegros
exanimat mortisque metu sibi parcere cogit;
sic teneros animos aliena opprobria saepe
absterrent vitiis. ex hoc ego sanus ab illis,
perniciem quaecumque ferunt, mediocribus et queis
ignoscas vitiis teneor. fortassis et istinc
largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
consilium proprium; neque enim, quum lectulus aut me
porticus excepit, desum mihi. „rectius hoc est;“
„hoc faciens vivam melius;“ „sic dulcis amicis
occurram;“ „hoc quidam non belle, numquid ego illi
imprudens olim faciam simile?“ ... haec ego mecum
compressis agito labris; ubi quid datur oti,
illudo chartis. hoc est mediocribus illis
ex vitiis unum: cui si concedere nolis,
multa poetarum veniet manus, auxilio quae
sit mihi — nam multo plures sumus — ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

SATIRA V.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
hospitio modico; rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus. inde Forum Appi,
differtum nautis, cauponibus atque malignis.
hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
indico bellum, coenantes haud animo aequo
exspectans comites. iam nox inducere terris
umbras et coelo diffundere signa parabat:
tum pueri nautis, pueris convicia nautae
ingerere. — „huc appelle!“ ... „trecentos inseris.“ „ohe!
iam satis est!“ — dum aes exigitur, dum mula ligatur,
tota abit hora. mali culices ranaeque palustres
avertunt somnos. absentem ut cantat amicam
multa prolutus vappa nauta atque viator
certatim: tandem fessus dormire viator
incipit, ac missae pastum retinacula mulae

nauta piger saxo religat stertitque supinus.
iamque dies aderat, nil quum procedere lintrem
sentimus; donec cerebrosus prosilit unus,
ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
fuste dolat. quarta vix demum exponimus hora.
ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
millia tum pransi tria repimus, atque subimus
impositum saxis late candentibus Anxur.
huc venturus erat Maecenas optimus atque
Cocceius, missi magnis de rebus uterque
legati, aversos soliti componere amicos.
hic oculis ego nigra meis collyria lippus
illinere. interea Maecenas advenit atque
Cocceius Capitoque simul Fonteius, ad unguem
factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.
fundos Aufidio Lusco praetore libenter
linquimus, insani ridentes praemia scribae,
praetextam et latum clavum prunaeque vatillum.
in Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
postera lux oritur multo gratissima; namque
Plotius et Varius Sinuessae Virgiliusque
occurrunt, animae, quales neque candidiores
terra tulit, neque quis me sit devinctior alter.
o qui complexus et gaudia quanta fuerunt.
nil ego contulerim iucundo sanus amico.
proxima Campano ponti quae villula tectum
praebuit, et parochi, quae debent, ligna salemque.
hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
lusum it Maecenas, dormitum ego Virgiliusque:
namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
hinc nos Cocceii recipit plenissima villa,
quae super est Caudi cauponas. nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri,
Musa, velim memores et quo patre natus uterque
contulerit lites. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat. ab his maioribus orti
ad pugnam venere. prior Sarmentus: „equi te
esse feri similem dico.“ ridemus; et ipse

Messius, „accipio;“ caput et movet. „o, tua cornu
ni foret exsecto frons,“ inquit, „quid faceres, quum
sic mutilus minitaris?“ at illi foeda cicatrix
setosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat;
nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
multa Cicirrus ad haec: donasset iamne catenam
ex voto Laribus, quaerebat; scriba quod esset,
nihilo deterius dominae ius esse. rogabat
denique, cur unquam fugisset, cui satis una
farris libra foret, gracili sic tamque pusillo?
prorsus iucunde coenam produximus illam.
tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
paene macros arsit dum turdos versat in igni:
nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum.
convivas avidos coenam servosque timentes
tum rapere atque omnes restinguere velle videres.
incipit ex illo montes Apulia notos
ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
villa recepisset, lacrimoso non sine fumo,
udos cum foliis ramos urente camino.
hic ego mendacem stultissimus usque puellam
ad mediam noctem exspecto; somnus tamen aufert
intentum Veneri; tum immundo somnia visu
nocturnam vestem maculant ventremque supinum.
quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,
mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
signis perfacile est: venit vilissima rerum
hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
callidus ut soleat humeris portare viator:
nam Canusi lapidosus; aquae non ditior urna
qui locus a forti Diomede est conditus olim.
flentibus hic Varius discedit maestus amicis.
inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
carpentes iter et factum corruptius imbri.
postera tempestas melior, via peior ad usque

Bari moenia piscosi. dein Gnatia lymphis
iratis exstructa dedit risusque iocosque,
dum flamma sine thura liquescere limine sacro
persuadere cupit. credat Iudaeus Apella,
non ego; namque deos didici securum agere aevum,
nec si quid miri faciat natura, deos id
tristes ex alto caeli demittere tecto.
Brundisium longae finis chartaeque viaeque est.

SATIRA VI.

Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
incoluit fines, nemo generosior est te,
nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
olim qui magnis legionibus imperitarint,
ut plerique solent, naso suspendis adunco
ignotos, ut me, libertino patre natum.
quum referre negas, quali sit quisque parente
natus, dum ingenuus; persuades hoc tibi vere,
ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
multos saepe viros nullis maioribus ortos
et vixisse probos amplis et honoribus auctos;
contra Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
non unquam pretio pluris licuisse, notante
iudice quo nosti populo, qui stultus honores
saepe dat indignis et famae servit ineptus,
qui stupet in titulis et imaginibus. quid oportet
nos facere a vulgo longe longeque remotos?
namque esto, populus Laevino mallet honorem
quam Decio mandare novo, censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus;
vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem...
sed fulgente trahit constrictos gloria curru
non minus ignotos generosis. quo tibi, Tilli,
sumere depositum clavum fierique tribuno?
invidia accrevit, privato quae minor esset.
nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
pellibus et latum demisit pectore clavum,

audit continuo: „quis homo est hic? quo patre natus?“
ut si qui aegrotet quo morbo Barrus, haberi
et cupiat formosus, eat quacumque, puellis
iniiciat curam quaerendi singula, quali
sit facie, sura, quali pede, dente, capillo;
sic qui promittit, cives, urbem sibi curae,
imperium fore et Italiam et delubra deorum,
quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
omnes mortales curare et quaerere cogit. —
tune, Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes
deiicere e saxo cives aut tradere Cadmo? —
at Novius collega gradu post me sedet uno;
namque est ille pater quod erat meus. — hoc tibi Paullus
et Messala videris? at hic, si plostra ducenta
concurrantque foro tria funera, magna sonabit,
cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos. —
nunc ad me redeo, libertino patre natum,
quem rodunt omnes libertino patre natum,
nunc, quia sim tibi, Maecenas, convictor, at olim
quod mihi pareret legio Romana tribuno.
dissimile hoc illi est; quia non, ut forsit honorem
iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
praesertim cautum dignos adsumere prava
ambitione procul. felicem dicere non hoc
me possim, casu quod te sortitus amicum.
nulla etenim mihi te fors obtulit. optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
ut veni coram, singultim pauca loquutus —
infans namque pudor prohibebat plura profari —
non ego me claro natum patre, non ego circum
me Satureiano vectari rura caballo,
sed quod eram narro. respondes, ut tuus est mos,
pauca: abeo; et revocas nono post mense iubesque
esse in amicorum numero. magnum hoc ego duco,
quod placui tibi, qui turpi secernis honestum
non patre praeclaro sed vita et pectore puro.
atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
mendosa est natura, alioqui recta; — velut si
egregio inspersos reprehendas corpore naevos —

si neque avaritiam neque sordes ac mala lustra
obiiciet vere quisquam mihi; purus et insons,
ut me collaudem, si et vivo carus amicis;
caussa fuit pater his, qui macro pauper agello
noluit in Flavi ludum me mittere, magni
quo pueri magnis e centurionibus orti,
laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
ibant octonis referentes Idibus aera;
sed puerum est ausus Romam portare docendum
artes, quas doceat quivis eques atque senator
semet prognatos. vestem servosque sequentes
in magno ut populo si quis vidisset, avita
ex re praeberi sumtus mihi crederet illos.
ipse mihi custos incorruptissimus omnes
circum doctores aderat. quid multa? pudicum,
qui primus virtutis honos, servavit ab omni
non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
nec timuit sibi ne vitio quis verteret, olim
si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
mercedes sequerer; neque ego essem questus. at hoc nunc
laus illi debetur et a me gratia maior.
nil me poeniteat sanum patris huius; eoque
non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
sic me defendam. longe mea discrepat istis
et vox et ratio. nam si natura iuberet
a certis annis aevum remeare peractum,
atque alios legere ad fastum quoscumque parentes:
optaret sibi quisque; meis contentus honestos
fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens
iudicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod
nollem onus haud unquam solitus portare molestum.
nam mihi continuo maior quaerenda foret res
atque salutandi plures; ducendus et unus
et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
exirem; plures calones atque caballi
pascendi; ducenda petorrita. nunc mihi curto
ire licet mulo vel, si libet, usque Tarentum,
mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos.

obiiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
quum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
te pueri lasanum portantes oenophorumque.
hoc ego commodius quam tu, praeclare senator,
millibus atque aliis vivo. quacumque libido est,
incedo solus; percontor quanti olus ac far;
fallacem circum vespertinumque pererro
saepe forum; adsisto divinis; inde domum me
ad porri et ciceris refero laganique catinum.
coena ministratur pueris tribus, et lapis albus
pocula cum cyatho duo sustinet; adstat echinus
vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
deinde eo dormitum, non sollicitus mihi quod cras
surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
ad quartam iaceo; post hanc vagor, aut ego, lecto
aut scripto quod me tacitum iuvet, ungor olivo,
non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
admonuit, fugio campum lusumque trigonem.
pransus non avide, quantum interpellet inani
ventre diem durare, domesticus otior. haec est
vita solutorum misera ambitione gravique:
his me consolor victurum suavius ac si
quaestor avus pater atque meus patruusque fuisset.

SATIRA VII.

Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas;
durus homo atque odio qui posset vincere Regem,
confidens, tumidus, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
ad Regem redeo. postquam nihil inter utrumque
convenit: hoc etenim sunt omnes iure molesti,
quo fortes, quibus adversum bellum incidit: inter

Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem
ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,
non aliam ob caussam, nisi quod virtus in utroque
summa fuit; duo si discordia vexet inertes,
aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultro
muneribus missis. Bruto praetore tenente
ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
compositum melius cum Bitho Bacchius. in ius
acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit caussam; ridetur ab omni
conventu: laudat Brutum laudatque cohortem;
solem Asiae Brutum appellat stellasque salubres
appellat comites, excepto Rege; canem illum,
invisum agricolis sidus, venisse; ruebat
flumen ut hibernum fertur quo rara securis.
tum Praenestinus salso multoque fluenti
expressa arbusto regerit convicia durus
vindemiator et invictus, cui saepe viator
cessisset, magna compellans voce cuculum.
at Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: „per magnos, Brute, deos te
oro, qui reges consueris tollere, cur non
hunc Regem iugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.“

SATIRA VIII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
maluit esse deum. deus inde ego, furum aviumque
maxima formido; nam fures dextra coercet
obscenoque ruber porrectus ab inguine palus:
ast importunas volucres in vertice arundo
terret fixa vetatque novis considere in hortis.
huc prius angustis eiecta cadavera cellis
conservus vili portanda locabat in arca;
hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum;
Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti
mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum

hic dabat; heredes monumentum ne sequeretur.
nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
albis informem spectabant ossibus agrum;
quum mihi non tantum furesque feraeque, suetae
hunc vexare locum, curae sunt atque labori,
quantum carminibus quae versant atque venenis
humanos animos. has nullo perdere possum
nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
protulit os, quin ossa legant herbasque nocentes.
vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis passoque capillo
cum Sagana maiore ululantem; pallor utrasque
fecerat horrendas adspectu. scalpere terram
unguibus et pullam divellere mordicus agnam
coeperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.
lanea et effigies erat, altera cerea; maior
lanea, quae poenis compesceret inferiorem;
cerea suppliciter stabat servilibus utque
iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
altera Tisiphonen; serpentes atque videres
infernas errare canes, lunamque rubentem,
ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum
Iulius et fragilis Pediatia furque Voranus.
singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
umbrae cum Sagana resonarint triste et acutum,
utque lupi barbam variae cum dente colubrae
abdiderint furtim terris, et imagine cerea
largior arserit ignis, et ut non testis inultus
obruerim voces Furiarum et facta duarum.
nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
diffissa nate ficus; at illae currere in urbem.
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
excidere atque herbas atque incantata lacertis
vincula cum magno risuque iocoque videres.

SATIRA IX.

Ibam forte via sacra, sicut meus est mos
nescio quid meditans nugarum, totus in illis.
accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
arreptaque manu: „quid agis, dulcissime rerum?“
„suaviter, ut nunc est,“ inquam, „et cupio omnia quae vis.“
quum adsectaretur: „num quid vis?“ occupo. at ille,
„noris nos,“ inquit, „docti sumus.“ hic ego, „pluris
hoc,“ inquam, „mihi eris.“ misere discedere quaerens,
ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
dicere nescio quid puero, quum sudor ad imos
manaret talos. o te, Bolane, cerebri
felicem, aiebam tacitus. quum quidlibet ille
garriret, vicos, urbem laudaret, ut illi
nil respondebam, „misere cupis,“ inquit, „abire;
iamdudum video; sed nil agis; usque tenebo;
prosequar. hinc quo nunc iter est tibi?“ — „nil opus est te
circumagi; quendam volo visere non tibi notum;
trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.“ —
„nil habeo quod agam, et non sum piger; usque sequar te.“ —
demitto auriculas ut iniquae mentis asellus,
quum gravius dorso subiit onus. incipit ille:
„si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
non Varium facies; nam quis me scribere plures
aut citius possit versus? quis membra movere
mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.“ —
interpellandi locus hic erat: „est tibi mater?
cognati, quis te salvo est opus?“ — „haud mihi quisquam.
omnes composui.“ — felices! nunc ego resto.
confice! namque instat fatum mihi triste, Sabella
quod puero cecinit divina mota anus urna:
„hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
nec laterum dolor aut tussis, nec tarda podagra;
garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,
si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.“
ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei
praeterita, et casu tunc respondere vadato

debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
„si me amas," inquit, „paullum hic ades." — „inteream, si
aut valeo stare aut novi civilia iura;
et propero quo scis." — „dubius sum, quid faciam," inquit,
„tene relinquam an rem." me, sodes. — „non faciam," ille,
et praecedere coepit. ego, ut contendere durum est
cum victore, sequor. — „Maecenas quomodo tecum?"
hinc repetit. — „paucorum hominum et mentis bene sanae.
„nemo dexterius fortuna est usus: haberes
magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
hunc hominem velles si tradere; dispeream, ni
summosses omnes." — „non isto vivimus illic
quo tu rere modo: domus hac nec purior ulla est,
nec magis his aliena malis; nil mi officit unquam,
ditior hic aut est quia doctior; est locus uni
cuique suus." — „magnum narras, vix credibile!" — „atqui
sic habet." — „accendis quare cupiam magis illi
proximus esse." — „velis tantummodo; quae tua virtus,
expugnabis; et est qui vinci possit, eoque
difficiles aditus primos habet." — „haud mihi deero;
muneribus servos corrumpam; non, hodie si
exclusus fuero, desistam; tempora quaeram;
occurram in triviis; deducam: nil sine magno
vita labore dedit mortalibus." — haec dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus et illum
qui pulchre nosset. consistimus. „unde venis?" et
„quo tendis?" rogat, et respondet. vellere coepi,
et prensare manu lentissima brachia, nutans,
distorquens oculos, ut me eriperet. male salsus
ridens dissimulare. meum iecur urere bilis.
„certe nescio quid secreto velle loqui te
aiebas mecum." — „memini bene; sed meliori
tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vin' tu
curtis Iudaeis oppedere?" —„ nulla mihi," inquam,
„religio est." — „at mi: sum paullo infirmior, unus
multorum: ignosces; alias loquar." — „hunccine solem
tam nigrum surrexe mihi!" — fugit improbus ac me
sub cultro linquit. casu venit obvius illi
adversarius et „quo tu turpissime?" magna

inclamat voce, et „licet antestari?“ ego vero
appono auriculam. rapit in ius. clamor utrinque,
undique concursus. sic me servavit Apollo.

SATIRA X.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
defensore tuo pervincam, qui male factos
emendare parat versus. hoc lenius ille.
est quo vir melior, longe subtilior illo,
qui multum puer est loris et funibus udis
exhortatus, ut esset opem qui ferre poetis
antiquis posset contra fastidia nostra,
grammaticorum equitum doctissimus. ut redeam illuc.

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. quis tam Lucili fautor inepte est,
ut non hoc fateatur? at idem, quod sale multo
urbem defricuit, charta laudatur eadem.
nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera; nam sic
et Laberi mimos ut pulchra poemata mirer.
ergo non satis est risu diducere rictum
auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus;
est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
impediat verbis lassas onerantibus aures;
et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
defendente vicem modo rhetoris atque poetae,
interdum urbani, parcentis viribus atque
extenuantis eas consulto: ridiculum acri
fortius et melius magnas plerumque secat res.
illi scripta quibus comoedia prisca viris est,
hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes unquam legit, neque simius iste
nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum. —
at magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
miscuit. — o seri studiorum, quine putetis
difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
contigit? — at sermo lingua concinnus utraque
suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est. —

quum versus facias, te ipsum percontor, an et quum
dura tibi peragenda rei sit caussa Petilli?
scilicet oblitus patriaeque patrisque, Latine
quum Pedius caussas exsudet Poplicola atque
Corvinus, patriis intermiscere petita
verba foris malis, Canusini more bilinguis.
atqui ego quum Graecos facerem natus mare citra
versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
post mediam noctem visus, quum somnia vera:
„in silvam non ligna feras insanius, ac si
magnas Graecorum malis implere catervas.“
turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
arguta meretrice potes Davoque Chremeta
eludente senem comis garrire libellos
unus vivorum, Fundani; Pollio regum
facta canit pede ter percusso; forte epos acer
ut nemo Varius ducit; molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae.
hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
haerentem capiti cum multa laude coronam. —
at dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
plura quidem tollenda relinquendis. age, quaeso,
tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
nil comis tragici mutat Lucilius Atti,
non ridet versus Enni gravitate minores,
quum de se loquitur non ut maiore reprensis?
quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes
quaerere, num illius, num rerum dura negarit
versiculos natura magis factos et euntes
mollius, ac si quis pedibus quid claudere senis
hoc tantum contentus amet scripsisse ducentos
ante cibum versus, totidem coenatus? Etrusci
quale fuit Cassi rapido ferventius amni
ingenium, capsis quem fama est esse librisque

ambustum propriis. fuerit Lucilius, inquam,
comis et urbanus; fuerit limatior idem
quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
quamque poetarum seniorum turba: sed ille,
si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
detereret sibi multa; recideret omne, quod ultra
perfectum traheretur, et in versu faciendo
saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint
scripturus, neque te ut miretur turba labores,
contentus paucis lectoribus. an tua demens
vilibus in ludis dictari carmina malis?
non ego: nam satis est equitem mihi plaudere, ut audax,
contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.
men' moveat cimex Pantilius? aut cruciet quod
vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?
Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius et probet haec Octavius optimus atque
Fuscus, et haec utinam Viscorum laudet uterque.
ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre, simulque
vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
complures alios, doctos ego quos et amicos
prudens praetereo; quibus haec, sint qualiacumque
arridere velim, doliturus, si placcant spe
deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
discipularum inter iubeo plorare cathedras.
i puer atque meo citus haec subscribe libello.

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

Sunt quibus in satira videor nimis acer et ultra
legem tendere opus; sine nervis altera, quidquid
composui, pars esse putat, similesque meorum
mille die versus deduci posse. Trebati,
quid faciam praescribe. — quiescas. — ne faciam, inquis,
omnino versus? — aio. — peream male, si non
optimum erat: verum nequeo dormire. — ter uncti
transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
irriguumque mero sub noctem corpus habento.
aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
praemia laturus. — cupidum, pater optime, vires
deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos
aut labentis equo describet vulnera Parthi. —
attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius. — haud mihi deero,
quum res ipsa feret: nisi dextro tempore Flacci
verba per attentam non ibunt Caesaris aurem;
cui male si palpere, recalcitret undique tutus. —
quanto rectius hoc quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem!
quum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit. —
quid faciam? saltat Milonius, ut semel icto
accessit fervor capiti numerusque lucernis;
Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem

pugnis: quot capitum vivunt, totidem studiorum
millia: me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
ille velut fidis arcana sodalibus olim
credebat libris, neque si male cesserat unquam
decurrens alio, neque si bene; quo fit ut omnis
votiva pateat veluti descripta tabella
vita senis. sequor hunc Lucanus an Apulus anceps:
nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
missus ad hoc pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,
quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,
sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum
incuteret violenta. sed hic stilus haud petet ultro
quemquam animantem, et me veluti custodiet ensis
vagina tectus: quem cur destringere coner
tutus ab infestis latronibus? o pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum,
nec quisquam noceat cupido mihi pacis! at ille,
qui me commorit — melius non tangere! clamo —
flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam;
Canidia Albuti quibus est inimica venenum;
grande malum Turius, si quid se iudice certes.
ut quo quisque valet suspectos terreat, utque
imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
dente lupus, cornu taurus petit; unde nisi intus
monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
matrem: nil faciet sceleris pia dextera: mirum!
ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos; —
sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
exspectat, seu mors atris circumvolat alis;
dives, inops, Romae seu fors ita luserit exsul,
quisquis erit vitae scribam color. — o puer ut sis
vitalis metuo, et maiorum ne quis amicus
frigore te feriat. — quid? quum est Lucilius ausus
primus in hunc operis componere carmina morem,
detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
cederet, introrsum turpis; num Laelius et qui

duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
ingenio offensi? aut laeso doluere Metello,
famosisque Lupo cooperto versibus? atqui
primores populi arripuit populumque tributim,
scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.
quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
nugari cum illo et discincti ludere, donec
decoqueretur olus, soliti. quidquid sum ego, quamvis
infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
cum magnis vixisse invita fatebitur usque
invidia, et fragili quaerens illidere dentem
offendet solido: nisi quid tu, docte Trebati,
dissentis. — equidem nihil hinc diffindere possum;
sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
iudiciumque. — esto, si quis mala; sed bona si quis
iudice condiderit laudatus Caesare? si quis
opprobriis dignum latraverit, integer ipse? —
solventur risu tabulae; tu missus abibis.

SATIRA II.

Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo, —
nec meus hic sermo est, sed quem praecepit Ofellus
rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva —
discite, non inter lances mensasque nitentes,
quum stupet insanis acies fulgoribus et quum
acclinis falsis animus meliora recusat,
verum hic impransi mecum disquirite. cur hoc?
dicam, si potero. male verum examinat omnis
corruptus iudex. leporem sectatus equove
lassus ab indomito vel — si Romana fatigat
militia adsuetum graecari, seu pila velox,
molliter austerum studio fallente laborem,
seu te discus agit; pete cedentem aera disco —
quum labor extuderit fastidia; siccus, inanis
sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno

ne biberis diluta. foris est promus, et atrum
defendens pisces hiemat mare; cum sale panis
latrantem stomachum bene leniet. unde putas aut
qui partum? non in caro nidore voluptas
summa, sed in te ipso est. tu pulmentaria quaere
sudando: pinguem vitiis albumque neque ostrea
nec scarus aut poterit peregrina iuvare lagois.
vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
hoc potius quam gallina tergere palatum,
corruptus vanis rerum, quia veneat auro
rara avis et picta pandat spectacula cauda:
tamquam ad rem attineat quidquam. num vesceris ista,
quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?
carne tamen, quamvis distat nihil, hac magis illa.
imparibus formis deceptum te patet. esto:
unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
captus hiet? pontesne inter iactatus an amnis
ostia sub Tusci? laudas, insane, trilibrem
mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
ducit te species, video; quo pertinet ergo
proceros odisse lupos? quia scilicet illis
maiorem natura modum dedit, his breve pondus.
ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.
porrectum magno magnum spectare catino
vellem, ait: Harpyiis gula digna rapacibus. at vos
praesentes, Austri, coquite horum obsonia. quamquam
putet aper rhombusque recens, mala copia quando
aegrum sollicitat stomachum, quum rapula plenus
atque acidas mavult inulas. necdum omnis abacta
pauperies epulis regum; nam vilibus ovis
nigrisque est oleis hodie locus. haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere mensa
infamis: quid? tum rhombos minus aequora alebant?
tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
donec vos auctor docuit praetorius. ergo
si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
parebit pravi docilis Romana iuventus.
sordidus a tenui victu distabit, Ofello
iudice; nam frustra vitium vitaveris illud,

si te alio pravum detorseris. Avidienus,
cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,
quinquennes oleas est et silvestria corna,
ac nisi mutatum parcit defundere vinum, et
cuius odorem olei nequeas perferre, — licebit
ille repotia natales aliosve dierum
festos albatus celebret — cornu ipse bilibri
caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
quali igitur victu sapiens utetur? et horum
utrum imitabitur? hac urget lupus, hac canis, aiunt.
mundus erit qua non offendat sordibus, atque
in neutram partem cultus miser. hic neque servis,
Albuti senis exemplo, dum munia didit,
saevus erit; nec sic ut simplex Naevius unctam
convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
accipe nunc victus tenuis quae quantaque secum
afferat. in primis valeas bene: nam variae res
ut noceant homini, credas, memor illius escae,
quae simplex olim tibi sederit; at simul assis
miscueris elixa, simul conchylia turdis,
dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
lenta feret pituita. vides ut pallidus omnis
coena desurgat dubia? quin corpus onustum
hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
atque adfigit humo divinae particulam aurae.
alter, ubi dicto citius curata sopori
membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
sive diem festum rediens advexerit annus,
seu recreare volet tenuatum corpus, ubique
accedent anni, et tractari mollius aetas
imbecilla volet. tibi quidnam accedet ad istam,
quam puer et validus praesumis, mollitiem, seu
dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
illis nullus erat, sed, credo, hac mente, quod hospes
tardius adveniens vitiatum commodius quam
integrum edax dominus consumeret. hos utinam inter
heroas natum tellus me prima tulisset!

das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
occupat humanam; grandes rhombi patinaeque
grande ferunt una cum damno dedecus. adde
iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum
et frustra mortis cupidum, quum decrit egenti
as, laquei pretium. „iure," inquis, „Trausius istis
iurgatur verbis; ego vectigalia magna
divitiasque habeo tribus amplas regibus." ergo
quod superat non est melius quo insumere possis?
cur eget indignus quisquam te divite? quare
templa ruunt antiqua deum? cur, improbe, carae
non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
uni nimirum tibi recte semper erunt res,
o magnus posthac inimicis risus. uterne
ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,
an qui contentus parvo metuensque futuri
in pace ut sapiens aptarit idonea bello? —
quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
integris opibus novi non latius usum
quam nunc accisis. videas metato in agello
cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
„non ego", narrantem, „temere edi luce profesta
quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae.
ac mihi seu longum post tempus venerat hospes,
sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
vicinus, bene erat, non piscibus urbe petitis,
sed pullo atque haedo; tum pensilis uva secundas
et nux ornabat mensas cum duplice ficu.
post hoc ludus erat culpa potare magistra;
ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
explicuit vino contractae seria frontis.
saeviat atque novos moveat Fortuna tumultus;
quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius aut vos,
o pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
nam propriae telluris herum natura neque illum
nec me nec quemquam statuit: nos expulit ille;
illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris,
postremum expellet certe vivacior heres.

nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
nunc, mihi nunc alii. quocirca vivite fortes,
fortiaque adversis opponite pectora rebus."

SATIRA III.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,
iratus tibi, quod vini somnique benignus
nil dignum sermone canas. quid fiet? ab ipsis
Saturnalibus huc fugisti! sobrius ergo
dic aliquid dignum promissis! incipe! nil est.
culpantur frustra calami, immeritusque laborat
iratis natus paries dis atque poetis.
atqui vultus erat multa et praeclara minantis,
si vacuum tepido cepisset villula tecto.
quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
invidiam placare paras virtute relicta?
contemnere, miser! vitanda est improba Siren
desidia, aut quidquid vita meliore parasti
ponendum aequo animo. — di te, Damasippe, deaeque
verum ob consilium donent tonsore! sed unde
tam bene me nosti? — postquam omnis res mea Ianum
ad medium fracta est, aliena negotia curo,
excussus propriis. olim nam quaerere amabam,
quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,
quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.
callidus huic signo ponebam millia centum;
hortos egregiasque domos mercarier unus
cum lucro noram; unde frequentia Mercuriale
imposuere mihi cognomen compita. — novi,
et miror morbi purgatum te illius. — atqui
emovit veterem mire novus; ut solet, in cor
traiecto lateris miseri capitisve dolore,
ut lethargicus hic quum fit pugil et medicum urget. —
dum ne quid simile huic, esto ut libet. — o bone, ne te
frustrere: insanis et tu stultique prope omnes,

si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
solatus iussit sapientem pascere barbam,
atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
nam, male re gesta, quum vellem mittere operto
me capite in flumen, dexter stetit et Cave faxis
te quidquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
insanos qui inter vereare insanus haberi.
primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit in te
solo, nil verbi pereas quin fortiter addam.
quem mala stultitia et quemcumque inscitia veri
caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
autumat. haec populos, haec magnos formula reges,
excepto sapiente, tenet. nunc accipe, quare
desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
insano posuere. velut silvis, ubi passim
palantes error certo de tramite pellit,
ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
error sed variis illudit partibus: hoc te
crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
qui te deridet, caudam trahat. est genus unum
stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignes,
ut rupes fluviosque in campo obstare queratur:
alterum, et huic varum, et nihilo sapientius, ignes
per medios fluviosque ruentis; clamet amica,
mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:
hic fossa est ingens, hic rupes maxima, serva!
non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
quum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
Mater te appello! clamantibus. huic ego vulgus
errori similem cunctum insanire docebo.
insanit veteres statuas Damasippus emendo:
integer est mentis Damasippi creditor? esto.
accipe quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam;
tune insanus eris si acceperis? an magis excors
reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
scribe decem a Nerio: non est satis: adde Cicutae
nodosi tabulas centum, mille adde catenas;
effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus

quum rapies in ius malis ridentem alienis,
fiet aper, modo avis, modo saxum et, quum volet, arbor.
si male rem gerere insani est; contra bene, sani:
putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
dictantis quod tu nunquam rescribere possis.
audire atque togam iubeo componere, quisquis
ambitione mala aut argenti pallet amore;
quisquis luxuria tristive superstitione
aut alio mentis morbo calet; huc propius me,
dum doceo insanire omnes vos, ordine adite.
danda est ellebori multo pars maxima avaris;
nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
heredes Staberi summam incidere sepulcro,
ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri,
frumenti quantum metit Africa. „sive ego prave,
seu recte, hoc volui! ne sis patruus mihi;“ credo
hoc Staberi prudentem animum vidisse. quid ergo
sensit, quum summam patrimoni insculpere saxo
heredes voluit? quoad vixit, credidit ingens
pauperiem vitium, et cavit nihil acrius; ut, si
forte minus locuples uno quadrante periret,
ipse videretur sibi nequior. omnis enim res,
virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
divitiis parent; quas qui construxerit, ille
clarus erit, fortis, iustus. sapiensne? etiam, et rex
et quidquid volet. hoc, veluti virtute paratum,
speravit magnae laudi fore. quid simile isti
Graecus Aristippus? qui servos proiicere aurum
in media iussit Libya, quia tardius irent
propter onus segnes. uter est insanior horum?
nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
nec studio citharae nec Musae deditus ulli;
si scalpra et formas non sutor; nautica vela
aversus mercaturis; delirus et amens
undique dicatur merito. qui discrepat istis,
qui nummos aurumque recondit, nescius uti
compositis, metuensque velut contingere sacrum?

si quis ad ingentem frumenti semper acervum
porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
audeat esuriens dominus contingere granum,
ac potius foliis parcus vescatur amaris;
si positis intus Chii veterisque Falerni
mille cadis, nihil est, tercentum millibus, acre
potet acetum; age, si et stramentis incubet unde-
octoginta annos natus, cui stragula vestis,
blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
nimirum insanus paucis videatur, eo quod
maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
dis inimice senex, custodis? ne tibi desit?
quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
ungere si caules oleo meliore caputque
coeperis impexa foedum porrigine? quare,
si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
undique? tun' sanus? populum si caedere saxis
incipias servosve tuos, quos acre pararis,
insanum te omnes pueri clamentque puellae:
quum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
incolumi capite es? quid enim? neque tu hoc facis Argis,
nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes.
an tu reris eum occisa insanisse parente,
ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
in matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
quin, ex quo est habitus male tutae mentis Orestes,
nil sane fecit, quod tu reprehendere possis:
non Pyladen ferro violare aususve sororem est
Electram: tantum maledicit utrique vocando
hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
pauper Opimius argenti positi intus et auri,
qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla vappamque profestis,
quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
iam circum loculos et claves lactus ovansque
curreret. hunc medicus multum celer atque fidelis
excitat hoc pacto: mensam poni iubet atque
effundi saccos nummorum, accedere plures

ad numerandum: hominem sic erigit; addit et illud:
ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres. —
men' vivo? — ut vivas igitur, vigila: hoc age. — quid vis? —
deficient inopem venae te, ni cibus atque
ingens accedat stomacho fultura ruenti.
tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzae. —
quanti emtae? — parvo. — quanti ergo? — octussibus. — eheu,
quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis? —
quisnam igitur sanus? qui non stultus. quid avarus?
stultus et insanus. quid, si quis non sit avarus,
continuo sanus? minime. cur, Stoice? dicam,
non est cardiacus — Craterum dixisse putato —
hic aeger. recte est igitur surgetque? negabit,
quod latus aut renes morbo tentantur acuto.
non est periurus neque sordidus; immolet aequis
hic porcum Laribus. verum ambitiosus et audax;
naviget Anticyram. quid enim differt, barathrone
dones quidquid habes an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi duo praedia, dives
antiquo censu, natis divisse duobus
fertur et haec moriens pueris dixisse vocatis
ad lectum: postquam te talos, Aule, nucesque
ferre sinu laxo, donare et ludere vidi,
te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem;
extimui, ne vos ageret vesania discors,
tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
quare per divos oratus uterque Penates,
tu cave ne minuas, tu ne maius facias id,
quod satis esse putat pater et natura coercet.
praeterea ne vos titillet gloria, iure
iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve
vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
in cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
latus ut in circo spatiere et aeneus ut stes,
nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
astuta ingenuum vulpes imitata leonem! —
ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur? —
rex sum. — nil ultra quaero plebeius. — et aequam

rem imperito, ac si cui videor non iustus, inulto
dicere quod sentit permitto. — maxime regum,
di tibi dent capta classem deducere Troia!
ergo consulere et mox respondere licebit? —
consule. — cur Aiax, heros ab Achille secundus,
putescit, toties servatis clarus Achivis,
gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro? —
mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulixen
et Menelaum una mecum se occidere clamans. —
tu quum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
ante aras spargisque mola caput, improbe, salsa,
rectum animi servas? — quorsum? — insanus quid enim Aiax
fecit, quum stravit ferro pecus? abstinuit vim
uxore et gnato: mala multa precatus Atridis
non ille aut Teucrum aut ipsum violavit Ulixen. —
verum ego, ut haerentes adverso litore naves
eriperem, prudens placavi sanguine divos. —
nempe tuo, furiose. — meo, sed non furiosus. —
qui species alias veri scelerisque tumultu
permixtas capiet, commotus habebitur, atque
stultitiane erret nihilum distabit an ira.
Aiax quum immeritos occidit, desipit, agnos:
quum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
stas animo? et purum est vitio tibi quum tumidum est cor?
si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
huic vestem, ut gnatae, paret ancillas, paret aurum,
Rufam aut Pusillam appellet, fortique marito
destinet uxorem, interdicto huic omne adimat ius
praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
quid? si quis gnatam pro muta devovet agna,
integer est animi? ne dixeris. ergo ubi prava
stultitia, hic summa est insania: qui sceleratus,
et furiosus erit: quem cepit vitrea fama,
hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
nunc age luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
hic simul accepit patrimoni mille talenta,
edicit, piscator uti, pomarius, auceps,

unguentarius ac Tusci turba impia vici,
cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
mane domum veniant. quid tum? venere frequentes,
verba facit leno: quidquid mihi, quidquid et horum
cuique domi est, id crede tuum, et vel nunc pete vel cras.
accipe, quid contra iuvenis responderit aequus:
in nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
coenem ego: tu pisces hiberno ex aequore verris.
segnis ego indignus qui tantum possideam: aufer!
sume tibi decies; tibi tantumdem; tibi triplex,
unde uxor media currit de nocte vocata.
filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
scilicet ut decies solidum absorberet, aceto
diluit insignem bacam: qui sanior, ac si
illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam?
Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
luscinias soliti impenso prandere coemtas.
quorsum abeant? sani ut creta an carbone notandi?
aedificare casas, plostello adiungere mures,
ludere par impar, equitare in arundine longa,
si quem delectet barbatum, amentia verset.
si puerilius his ratio esse evincet amare,
nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
quale prius, ludas opus, an meretricis amore
sollicitus plores; quaero, faciasne quod olim
mutatus Polemo? ponas insignia morbi,
fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
postquam est impransi correptus voce magistri?
porrigis irato puero quum poma, recusat:
sume, catelle; negat: si non des, optet: amator
exclusus qui distat, agit ubi secum, eat an non,
quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
invisis foribus? ne nunc, quum me vocat ultro,
accedam? an potius mediter finire dolores?
exclusit; revocat: redeam? non, si obsecret. ecce
servus non paullo sapientior: o here, quae res
nec modum habet neque consilium, ratione modoque

tractari non vult. in amore haec sunt mala, bellum,
pax rursum. haec si quis tempestatis prope ritu
mobilia et caeca fluitantia sorte laboret
reddere certa sibi; nihilo plus explicet ac si
insanire paret certa ratione modoque.
quid? quum Picenis excerpens semina pomis
gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
quid? quum balba feris annoso verba palato,
aedificante casas qui sanior? adde cruorem
stultitiae atque ignem gladio scrutare: modo, inquam,
Hellade percussa Marius quum praecipitat se,
cerritus fuit? an commotae crimine mentis
absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,
ex more imponens cognata vocabula rebus?
libertinus erat, qui circum compita siccus
lautis mane senex manibus currebat et, unum
— quid tam magnum? addens — unum me surpite morti,
dis etenim facile est, orabat; sanus utrisque
auribus atque oculis. mentem, nisi litigiosus,
exciperet dominus, quum venderet. hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
Iuppiter, ingentes qui das adimisque dolores,
mater ait pueri menses iam quinque cubantis,
frigida si puerum quartana reliquerit, illo
mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
in Tiberi stabit. casus medicusve levarit
aegrum ex praecipiti, mater delira necabit
in gelida fixum ripa febrimque reducet.
quone malo mentem concussa? timore deorum.
haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
dixerit insanum qui me, totidem audiet atque
respicere ignoto discet pendentia tergo. —
Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris,
quam me stultitiam, quoniam non est genus unum,
insanire putas? ego nam videor mihi sanus. —
quid? caput abscissum manibus quum portat Agaue
gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur? —
stultum me fateor, liceat concedere veris.

atque etiam insanum: tantum hoc edissere, quo me
aegrotare putes animi vitio. — accipe: primum
aedificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
ad summum totus moduli bipedalis; et idem
corpore maiorem rides Turbonis in armis
spiritum et incessum: qui ridiculus minus illo?
an quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est
tantum dissimilem et tanto certare minorem?
absentis ranae pullis vituli pede pressis,
unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
bellua cognatos eliserit. illa rogare:
quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset? —
maior dimidio! — num tantum? — quum magis atque
se magis inflaret; non si te ruperis, inquit,
par eris. haec a te non multum abludit imago.
adde poemata nunc, hoc est, oleum adde camino;
quae si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
non dico horrendam rabiem — iam desine. — cultum
maiorem censu — teneas, Damasippe, tuis te. —
mille puellarum, puerorum mille furores. —
o maior, tandem parcas, insane, minori.

SATIRA IV.

Unde et quo Catius? — non est mihi tempus aventi
ponere signa novis praeceptis, qualia vincant
Pythagoran Anytique reum doctumque Platona. —
peccatum fateor, quum te sic tempore laevo
interpellarim: sed des veniam bonus oro.
quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
sive est naturae hoc sive artis, mirus utroque. —
quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
utpote res tenues, tenui sermone peractas. —
ede hominis nomen; simul et Romanus an hospes. —
ipsa memor praecepta canam, celabitur auctor.
longa quibus facies ovis erit, illa memento
ut succi melioris et ut magis alma rotundis
ponere; namque marem cohibent callosa vitellum.
caule suburbano, qui siccis crevit in agris,

dulcior; irriguo nihil est elutius horto.
si vespertinus subito te oppresserit hospes,
ne gallina malum responset dura palato,
doctus eris vivam musto mersare Falerno;
hoc teneram faciet. pratensibus optima fungis
natura est, aliis male creditur. ille salubres
aestates peraget, qui nigris prandia moris
finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno:
mendose; quoniam vacuis committere venis
nil nisi lene decet: leni praecordia mulso
prolueris melius. si dura morabitur alvus,
mitulus et viles pellent obstantia conchae
et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.
lubrica nascentes implent conchylia lunae;
sed non omne mare est generosae fertile testae.
murice Baiano melior Lucrina peloris,
ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini,
pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.
nec sibi coenarum quivis temere arroget artem,
non prius exacta tenui ratione saporum.
nec satis est cara pisces averrere mensa,
ignarum, quibus est ius aptius et quibus assis
languidus in cubitum iam se conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas
curvet aper lances carnem vitantis inertem;
nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
vinea submittit capreas non semper edules.
fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
ante meum nulli patuit quaesita palatum.
sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit.
nequaquam satis in re una consumere curam;
ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
quali perfundat pisces securus olivo.
Massica si coelo supponas vina sereno,
nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
et decedet odor nervis inimicus; at illa
integrum perdunt lino vitiata saporem.

Surrentina vafer qui miscet faece Falerna
vina, columbino limum bene colligit ovo,
quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
tostis marcentem squillis recreabis et Afra
potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
post vinum stomacho; perna magis ac magis hillis
flagitat immorsus refici, quin omnia malit,
quaecumque immundis fervent allata popinis.
est operae pretium duplicis pernoscere iuris
naturam. simplex e dulci constat olivo,
quod pingui miscere mero muriaque decebit
non alia quam qua Byzantia putuit orca.
hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
pressa Venafranae quod baca remisit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia succo;
nam facie praestant. venucula convenit ollis.
rectius Albanam fumo duraveris uvam.
hanc ego cum malis, ego faecem primus et halec,
primus et invenior piper album cum sale nigro
incretum puris circumposuisse catillis.
immane est vitium, dare millia terna macello,
angustoque vagos pisces urgere catino.
magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
tractavit calicem manibus, dum frusta ligurrit,
sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.
ten' lapides varios lutulenta radere palma,
et Tyrias dare circum illota toralia vestes,
oblitum quanto curam sumtumque minorem
haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,
quae nisi divitibus nequeant contingere mensis? —
docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,
ducere me auditum, perges quocumque, memento.
nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta,
non tamen interpres tantumdem iuveris. adde
vultum habitumque hominis; quem tu vidisse beatus
non magni pendis, quia contigit: at mihi cura

non mediocris inest, fontes ut adire remotos
atque haurire queam vitae praecepta beatae.

SATIRA V.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
responde, quibus amissas reparare queam res
artibus atque modis. quid rides? — iamne doloso
non satis est Ithacam revehi patriosque Penates
adspicere? — o nulli quidquam mentite, vides ut
nudus inopsque domum redeam, te vate, neque illic
aut apotheca procis intacta est aut pecus: atqui
et genus et virtus nisi cum re vilior alga est. —
quando pauperiem, missis ambagibus, horres,
accipe qua ratione queas ditescere. turdus
sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
res ubi magna nitet, domino sene; dulcia poma
et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus
sanguine fraterno, fugitivus ne tamen illi
tu comes exterior, si postulet, ire recuses. —
utne tegam spurco Damae latus? haud ita Troiae
me gessi, certans semper melioribus. — ergo
pauper eris. — fortem hoc animum tolerare iubebo;
et quondam maiora tuli. tu protinus unde
divitias aerisque ruam, dic augur, acervos. —
dixi equidem et dico: captes astutus ubique
testamenta senum, neu, si vafer unus et alter
insidiatorem praeroso fugerit hamo,
aut spem deponas aut artem illusus omittas.
magna minorve foro si res certabitur olim,
vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
defensor; fama civem caussaque priorem
sperne, domi si gnatus erit fecundave coniux.
Quinte, puta, aut Publi — gaudent praenomine molles
auriculae —, tibi me virtus tua fecit amicum;
ius anceps novi, caussas defendere possum;

eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
contemtum cassa nuce pauperet: haec mea cura est,
ne quid tu perdas, neu sis iocus. ire domum atque
pelliculam curare iube; fi cognitor ipse;
persta atque obdura, seu *rubra Canicula findet*
infantes statuas, seu *pingui tentus omaso*
Furius *hibernas cana nive conspuet Alpes.*
nonne vides, aliquis cubito stantem prope tangens
inquiet, ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?
plures adnabunt thunni, et cetaria crescent.
si cui praeterea validus male filius in re
praeclara sublatus aletur; ne manifestum
caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
adrepe officiosus, ut et scribare secundus
heres, et, si quis casus puerum egerit Orco,
in vacuum venias: perraro haec alea fallit.
qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
abnuere et tabulas a te removere memento,
sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
cera velit versu; solus multisne coheres,
veloci percurre oculo. plerumque recoctus
scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
captatorque dabit risus Nasica Corano. —
num furis an prudens ludis me obscura canendo? —
o Laertiade, quidquid dicam, aut erit aut non:
divinare etenim magnus mihi donat Apollo. —
quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede. —
tempore, quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
demissum genus Aenea, tellure marique
magnus erit, forti nubet procera Corano
filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque
ut legat orabit. multum Nasica negatas
accipiet tandem, et tacitus leget, invenietque
nil sibi legatum praeter plorare suisque.
illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
libertusve senem delirum temperet, illis
accedas socius; laudes, lauderis ut absens.
adiuvat hoc quoque, sed vincit longe, prius ipsum

expugnare caput. scribet mala carmina vecors:
laudato. scortator erit: cave te roget; ultro
Penelopam facilis potiori trade. — putasne,
perduci poterit tam frugi tamque pudica,
quam nequiere proci recto depellere cursu? —
venit enim, magnum donandi parca, iuventus,
nec tantum Veneris quantum studiosa culinae.
sic tibi Penelope frugi est: quae si semel uno
de sene gustarit, tecum partita lucellum,
ut canis a corio nunquam absterrebitur uncto.
me sene quod dicam factum est. anus improba Thebis
ex testamento sic est elata: cadaver
unctum oleo largo nudis humeris tulit heres,
scilicet elabi si posset mortua; credo,
quod nimium institerat viventi. cautus adito,
neu desis operae, neve immoderatus abundes.
difficilem et morosum offendes garrulus; ultra
non etiam sileas. Davus sis comicus, atque
stes capite obstipo, multum similis metuenti.
obsequio grassare; mone, si increbuit aura,
cautus uti velet carum caput; extrahe turba
oppositis humeris; aurem substringe loquaci.
importunus amat laudari: donec Ohe iam!
ad caelum manibus sublatis dixerit, urge, et
crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
quum te servitio longo curaque levarit,
et certum vigilans, Quartae esto partis Ulixes,
audieris, heres: Ergo nunc Dama sodalis
nusquam est? unde mihi tam fortem tamque fidelem?
sparge subinde; et, si paullum potes, illacrimare. est
gaudia prodentem vultum celare. sepulcrum,
permissum arbitrio, sine sordibus exstrue; funus
egregie factum laudet vicinia. si quis
forte coheredum senior male tussiet, huic tu
dic, ex parte tua, seu fundi sive domus sit
emtor, gaudentem nummo te addicere. sed me
imperiosa trahit Proserpina; vive valeque.

SATIRA VI.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
et paullum silvae super his foret. auctius atque
di melius fecere. bene est. nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
si neque maiorem feci ratione mala rem,
nec sum facturus vitio culpave minorem;
si veneror stultus nihil horum: „o si angulus ille
proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,
thesauro invento qui mercenarius agrum
illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!“ si, quod adest, gratum iuvat; hac prece te oro:
pingue pecus domino facias et cetera praeter
ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis.
ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
quid prius illustrem satiris Musaque pedestri?
nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,
autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Iane libentius audis,
unde homines operum primos vitaeque labores
instituunt, sic dis placitum, tu carminis esto
principium. Romae sponsorem me rapis. eia,
ne prior officio quisquam respondeat, urge.
sive Aquilo radit terras, seu bruma nivalem
interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
postmodo, quod mi obsit, clare certumque loquuto;
luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
„quid vis, insane, et quas res agis?“ improbus urget
iratis precibus: „tu pulses omne quod obstat,
ad Maecenatem memori si mente recurras.“
hoc iuvat et melli est, non mentiar. at simul atras
ventum est Esquilias, aliena negotia centum
per caput et circa saliunt latus. „ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.“ —
„de re communi scribae magna atque nova te

orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.“ —
„imprimat his cura Maecenas signa tabellis.“ —
dixeris, Experiar: „si vis, potes,“ addit et instat.
septimus octavo propior iam fugerit annus,
ex quo Maecenas me coepit habere suorum
in numero, duntaxat ad hoc, quem tollere rheda
vellet iter faciens, et cui concredere nugas
hoc genus: hora quota est? Thrax est Gallina Syro par?
matutina parum cautos iam frigora mordent;
et quae rimosa bene deponuntur in aure:
per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
invidiae. noster ludos spectaverat una,
luserat in campo: „Fortunae filius,“ omnes.
frigidus a rostris manat per compita rumor:
quicumque obvius est, me consulit: „o bone, nam te
scire, deos quoniam propius contingis, oportet,
num quid de Dacis audisti?“ — „nil equidem.“ — „ut tu
semper eris derisor.“ — „at omnes di exagitent me,
si quidquam.“ — „quid? militibus promissa Triquetra
praedia Caesar an est Itala tellure daturus?“
iurantem me scire nihil miratur ut unum
scilicet egregii mortalem altique silenti.
perditur haec inter misero lux non sine votis:
o rus, quando ego te adspiciam, quandoque licebit
nunc veterum libris nunc somno et inertibus horis
ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?
o quando faba Pythagorae cognata simulque
uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
o noctes coenaeque deum, quibus ipse meique
ante larem proprium vescor vernasque procaces
pasco libatis dapibus! prout cuique libido est,
siccat inaequales calices conviva solutus
legibus insanis, seu quis capit acria fortis
pocula, seu modicis uvescit laetius. ergo
sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
nec male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos
pertinet et nescire malum est, agitamus: utrumne
divitiis homines an sint virtute beati;
quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos;

et quae sit natura boni summumque quid eius.
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
ex re fabellas. si quis nam laudat Arelli
sollicitas ignarus opes, sic incipit: Olim
rusticus urbanum murem mus paupere fertur
accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
solveret hospitiis animum. quid multa? neque ille
sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
frusta dedit, cupiens varia fastidia coena
vincere tangentis male singula dente superbo;
quum pater ipse domus palea porrectus in horna
esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
tandem urbanus ad hunc: quid te iuvat, inquit, amice,
praerupti nemoris patientem vivere dorso?
vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?
carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando
mortales animas vivunt sortita, neque ulla est
aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa,
dum licet, in rebus iucundis vive beatus,
vive memor, quam sis aevi brevis. haec ubi dicta
agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde
ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
moenia nocturni subrepere. iamque tenebat
nox medium caeli spatium, quum ponit uterque
in locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
tincta super lectos canderet vestis eburnos,
multaque de magna superessent fercula coena,
quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
agrestem, veluti succinctus cursitat hospes
continuatque dapes; nec non vernliliter ipsis
fungitur officiis, praelambens omne quod affert.
ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
rebus agit laetum convivam, quum subito ingens
valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
currere per totum pavidi conclave, magisque
exanimes trepidare, simul domus alta Molossis

personuit canibus. tum rusticus: haud mihi vita
est opus hac, ait, et valeas; me silva cavusque
tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

SATIRA VII.

Iamdudum ausculto et cupiens tibi dicere servus
pauca reformido. — Davusne? — ita, Davus, amicum
mancipium domino et frugi quod sit satis, hoc est,
ut vitale putes. — age libertate Decembri,
quando ita maiores voluerunt, utere; narra. —
pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
interdum pravis obnoxia. saepe notatus
cum tribus annellis, modo laeva Priscus inani,
vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas;
aedibus ex magnis subito se conderet, unde
mundior exiret vix libertinus honeste;
iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis
vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra
contudit articulos, qui pro se tolleret atque
mitteret in phimum talos, mercede diurna
conductum pavit: quanto constantior isdem
in vitiis, tanto levius miser ac prior ille,
qui iam contento iam laxo fune laborat. —
non dices hodie quorsum haec tam putida tendant,
furcifer? — ad te, inquam. — quo pacto, pessime? — laudas
fortunam et mores antiquae plebis, et idem,
si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses,
aut quia non sentis quod clamas rectius esse,
aut quia non firmus rectum defendis, et haeres
nequicquam coeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas; absentem rusticus urbem
tollis ad astra levis. si nusquam es forte vocatus
ad coenam, laudas securum olus, ac, velut usquam
vinctus eas, ita te felicem dicis amasque,
quod nusquam tibi sit potandum. iusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima venire

convivam; „nemon' oleum fert ocius? ecquis
audit?“ cum magno blateras clamore furisque.
Mulvius et scurrae, tibi non referenda precati,
discedunt. „etenim fateor me,“ dixerit ille,
„duci ventre levem; nasum nidore supinor,
imbecillus, iners; si quid vis, adde, popino:
tu quum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
insectere velut melior, verbisque decoris
obvolvas vitium?“ quid, si me stultior ipso
quingentis emto drachmis deprenderis? aufer
me vultu terrere; manum stomachumque teneto,
dum, quae Crispini docuit me ianitor, edo.
te coniux aliena capit, meretricula Davum:
peccat uter nostrum cruce dignius? acris ubi me
natura intendit, sub clara nuda lucerna
quaecumque excepit turgentis verbera caudae,
clunibus aut agitavit equum lasciva supinum;
dimittit neque famosum neque sollicitum, ne
ditior aut formae melioris meiat eodem.
tu quum proiectis insignibus, annulo equestri
Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
non es quod simulas? metuens induceris, atque
altercante libidinibus tremis ossa pavore.
quid refert, uri virgis ferroque necari
auctoratus eas, an turpi clausus in arca,
quo te demisit peccati conscia herilis,
contractum genibus tangas caput? estne marito
matronae peccantis in ambo iusta potestas?
in corruptorem vel iustior. illa tamen se
non habitu mutatve loco, peccatve superne.
quum te formidet mulier neque credat amanti,
ibis sub furcam prudens, dominoque furenti
committes rem omnem et vitam et cum corpore famam.
evasti; credo, metues doctusque cavebis.
quaeres, quando iterum paveas iterumque perire
possis, o toties servus! quae bellua ruptis
quum semel effugit, reddit se prava catenis?
„non sum mocchus,“ ais. neque ego, hercule, fur, ubi vasa

praetereo sapiens argentea. tolle periclum:
iam vaga prosiliet frenis natura remotis.
tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque
imposita haud unquam misera formidine privet?
adde super, dictis quod non levius valeat: nam,
sive vicarius est qui servo paret, uti mos
vester ait, seu conservus; tibi quid sum ego? nempe
tu, mihi qui imperitas, alii servis miser atque
duceris ut nervis alienis mobile lignum.
quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus;
quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent,
responsare cupidinibus, contemnere honores
fortis, et in se ipso totus teres atque rotundus,
externi ne quid valeat per leve morari,
in quem manca ruit semper fortuna. potesne
ex his ut proprium quid noscere? quinque talenta
poscit te mulier; vexat foribusque repulsum
perfundit gelida; rursus vocat: eripe turpi
colla iugo: „liber, liber sum," dic age. non quis:
urget enim dominus mentem non lenis, et acres
subiectat lasso stimulos versatque negantem.
vel quum Pausiaca torpes, insane, tabella,
qui peccas minus atque ego, quum Fulvi Rutubaeque
aut Pacidiani contento poplite miror
praelia rubrica picta aut carbone, velut si
re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
arma viri? nequam et cessator Davus; at ipse
subtilis veterum iudex et callidus audis.
nil ego, si ducor libo fumante: tibi ingens
virtus atque animus coenis responsat opimis?
obsequium ventris mihi perniciosius est cur?
tergo plector enim: qui tu impunitior illa,
quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
nempe inamarescunt epulae sine fine petitae,
illusique pedes vitiosum ferre recusant
corpus. an hic peccat, sub noctem qui puer uvam
furtiva mutat strigili? qui praedia vendit,
nil servile, gulae parens, habet? adde, quod idem

non horam tecum esse potes, non otia recte
ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro,
iam vino quaerens iam somno fallere curam:
frustra; nam comes atra premit sequiturque fugacem. —
unde mihi lapidem? — quorsum est opus? — unde sagittas? —
aut insanit homo, aut versus facit. — ocius hinc te
ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

SATIRA VIII.

Ut Nasidieni iuvit te coena beati?
nam mihi convivam quaerenti dictus here illic
de medio potare die. — sic ut mihi nunquam
in vita fuerit melius. — dic, si grave non est,
quae prima iratum ventrem placaverit esca. —
in primis Lucanus aper: leni fuit Austro
captus, ut aiebat coenae pater: acria circum
rapula, lactucae, radices, qualia lassum
pervellunt stomachum, siser, allec, faecula Coa.
his ubi sublatis puer alte cinctus acernam
gausape purpureo mensam pertersit, et alter
sublegit quodcumque iaceret inutile quodque
posset coenantes offendere; ut Attica virgo
cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes
Caecuba vina ferens, Alcon Chium maris expers.
hic herus: „Albanum, Maecenas, sive Falernum
te magis appositis delectat, habemus utrumque.“ —
divitias miseras! sed queis coenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro. —
summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra,
si memini, Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quas Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
ridiculus totas simul absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
indice monstraret digito: nam cetera turba,
nos, inquam, coenamus aves, conchylia, pisces,
longe dissimilem noto celantia succum;
ut vel continuo patuit, quum passeris atque

ingustata mihi porrexerit ilia rhombi.
post hoc me docuit, melimela rubere minorem
ad lunam delecta. quid hoc intersit, ab ipso
audieris melius. tum Vibidius Balatroni:
„nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti;“
et calices poscit maiores. vertere pallor
tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres
potores, vel quod maledicunt liberius, vel
fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, sequutis omnibus; imi
convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
affertur squillas inter murena natantes
in patina porrecta. sub hoc herus, „haec gravida,“ inquit,
„capta est, deterior post partum carne futura.
his mixtum ius est: oleo, quod prima Venafri
pressit cella; garo de succis piscis Iberi;
vino quinquenni, verum citra mare nato,
dum coquitur; cocto Chium sic convenit, ut non
hoc magis ullum aliud; pipere albo non sine aceto,
quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam.
erucas virides, inulas ego primus amaras
monstravi incoquere; illutos Curtillus echinos,
ut melius muria, quam testa marina remittit.“
interea suspensa graves aulaea ruinas
in patinam fecere, trahentia pulveris atri,
quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
sensimus, erigimur; Rufus posito capite, ut si
filius immaturus obisset, flere. quis esset
finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
tolleret: „heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
te deus? ut semper gaudes illudere rebus
humanis.“ Varius mappa compescere risum
vix poterat. Balatro suspendens omnia naso:
„haec est conditio vivendi,“ aiebat, „eoque
responsura tuo nunquam est par fama labori.
tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
sollicitudine districtum? ne panis adustus,

ne male conditum ius apponatur? ut omnes
praecincti recte pueri comtique ministrent?
adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
sed convivatoris uti ducis ingenium res
adversae nudare solent, celare secundae."
Nasidienus ad haec: „tibi di quaecumque preceris
commoda dent; ita vir bonus es convivaque comis;"
et solcas poscit. tum in lecto quoque videres
stridere secreta divisos aure susurros. —
nullos his mallem ludos spectasse; sed illa
redde age, quae deinceps risisti. — Vibidius dum
quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
quod sibi poscenti non dantur pocula, dumque
ridetur fictis rerum, Balatrone secundo,
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
emendaturus fortunam: deinde sequuti
mazonomo pueri magno discerpta ferentes
membra gruis, sparsi sale multo non sine farre,
pinguibus et ficis pastum iecur anseris albi,
et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
quam si cum lumbis quis edit. tum pectore adusto
vidimus et merulas poni et sine clune palumbes,
suaves res, si non caussas narraret earum et
naturas dominus, quem nos sic fugimus ulti,
ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset, peior serpentibus Afris.

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.

AD MAECENATEM.

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo?
non eadem est aetas, non mens. Veianius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
ne populum extrema toties exoret arena.
est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
solve senescentem mature sanus equum, ne
peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.
nunc itaque et versus et cetera ludicra pono:
quid verum atque decens curo et rogo, et omnis in hoc sum:
condo et compono quae mox depromere possim.
ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
nullius addictus iurare in verba magistri,
quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.
nunc agilis fio et mersor civilibus undis,
virtutis verae custos rigidusque satelles;
nunc in Aristippi furtim praecepta relabor,
et mihi res, non me rebus, subiungere conor.
ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque
longa videtur opus debentibus, ut piger annus
pupillis, quos dura premit custodia matrum;
sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque,

aeque neglectum pueris senibusque nocebit.
restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis.
non possis oculo quantum contendere Lynceus,
non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
fervet avaritia miseroque cupidine pectus:
sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
possis et magnam morbi deponere partem.
laudis amore tumes: sunt certa piacula, quae te
ter pure lecto poterunt recreare libello.
invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
si modo culturae patientem commodet aurem.
virtus est vitium fugere, et sapientia prima
stultitia caruisse. vides, quae maxima credis
esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
quanto devites animi capitisque labore:
impiger extremos curris mercator ad Indos
per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:
ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
discere et audire et meliori credere non vis?
quis circum pagos et circum compita pugnax
magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
cui sit conditio dulcis sine pulvere palmae?
vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
„o cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
virtus post numos.“ haec Ianus summus ab imo
prodocet; haec recinunt iuvenes dictata senesque
[laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.]
est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque:
sed quadringentis sex septem millia desunt;
plebs eris. at pueri ludentes, „rex eris,“ aiunt,
„si recte facies.“ hic murus aeneus esto,
nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est
naenia, quae regnum recte facientibus offert,
et maribus Curiis et decantata Camillis?

isne tibi melius suadet, qui rem facias, rem,
si possis recte; si non, quocumque modo rem,
ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi,
an qui fortunae te responsare superbae
liberum et erectum praesens hortatur et aptat?
quodsi me populus Romanus forte roget, cur
non, ut porticibus, sic iudiciis fruar isdem,
nec sequar et fugiam quae diligit ipse vel odit,
olim quod vulpes aegroto cauta leoni
respondit referam: „quia me vestigia terrent,
omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.“
bellua multorum es capitum. nam quid sequar? aut quem?
pars hominum gestit conducere publica; sunt qui
crustis et pomis viduas venentur avaras
excipiantque senes, quos in vivaria mittant;
multis occulto crescit res foenore. verum
esto aliis alios rebus studiisque teneri:
idem eadem possunt horam durare probantes?
„nullus in orbe sinus Baiis praelucet amoenis,“
si dixit dives, lacus et mare sentit amorem
festinantis heri; cui si vitiosa libido
fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum
tolletis, fabri. lectus genialis in aula est:
nil ait esse prius, melius nil caelibe vita;
si non est, iurat bene solis esse maritis.
quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
quid pauper? ride! mutat coenacula, lectos,
balnea, tonsores, conducto navigio aeque
nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
si curatus inaequali tonsore capillos
occurro, rides; si forte subucula pexae
trita subest tunicae vel si toga dissidet impar,
rides: quid, mea quum pugnat sententia secum,
quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
aestuat et vitae disconvenit ordine toto,
diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis?
insanire putas sollemnia me neque rides,
nec medici credis nec curatoris egere
a praetore dati, rerum tutela mearum
quum sis et prave sectum stomacheris ob unguem

de te pendentis, te respicientis amici.
ad summam: sapiens uno minor est Iove, dives,
liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
praecipue sanus, nisi quum pituita molesta est.

EPISTOLA II.

AD LOLLIUM.

Troiani belli scriptorem, maxime Lolli,
dum tu declamas Romae, Praeneste relegi;
qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.
cur ita crediderim, nisi quid te distinet, audi.
fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento collisa duello,
stultorum regum et populorum continet aestus.
Antenor censet belli praecidere caussam.
quod Paris, ut salvus regnet vivatque beatus,
cogi posse negat. Nestor componere lites
inter Peliden festinat et inter Atriden;
hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
seditione, dolis, scelere atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur et extra.
rursus quid virtus et quid sapientia possit,
utile proposuit nobis exemplar Ulixem,
qui domitor Troiae multorum providus urbes
et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces et Circae pocula nosti;
quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
sub domina meretrice fuisset turpis et excors
vixisset canis immundus vel amica luto sus.
nos numerus sumus et fruges consumere nati,
sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique
in cute curanda plus aequo operata iuventus,
cui pulchrum fuit in medios dormire dies et
ad strepitum citharae cessantem ducere somnum.
ut iugulent hominem, surgunt de nocte latrones;

ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui
si noles sanus, curres hydropicus; et ni
posces ante diem librum cum lumine, si non
intendes animum studiis et rebus honestis,
invidia vel amore vigil torquebere. nam cur
quae laedunt oculum festinas demere; si quid
est animum, differs curandi tempus in annum?
dimidium facti qui coepit habet: sapere aude:
incipe. qui recte vivendi prorogat horam,
rusticus exspectat dum defluat amnis; at ille
labitur et labetur in omne volubilis aevum.
quaeritur argentum puerisque beata creandis
uxor et incultae pacantur vomere silvae.
quod satis est cui contigit, is nihil amplius optet.
non domus et fundus, non aeris acervus et auri
aegroto domini deduxit corpore febres,
non animo curas. valeat possessor oportet,
si comportatis rebus bene cogitat uti.
qui cupit aut metuit, iuvat illum sic domus et res,
ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
auriculas citharae collecta sorde dolentes.
sincerum est nisi vas, quodcumque infundis acescit.
sperne voluptates; nocet emta dolore voluptas.
semper avarus eget; certum voto pete finem.
invidus alterius macrescit rebus opimis;
invidia Siculi non invenere tyranni
maius tormentum. qui non moderabitur irae,
infectum volet esse dolor quod suaserit et mens,
dum poenas odio per vim festinat inulto.
ira furor brevis est: animum rege, qui nisi paret,
imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.
fingit equum tenera docilem cervice magister
ire viam qua monstret eques; venaticus ex quo
tempore cervinam pellem latravit in aula,
militat in silvis catulus. nunc adbibe puro
pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
quo semel est imbuta recens servabit odorem
testa diu. quodsi cessas aut strenuus anteis,
nec tardum opperior nec praecedentibus insto.

EPISTOLA III.

AD IULIUM FLORUM.

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus,
an freta vicinas inter currentia turres,
an pingues Asiae campi collesque morantur?
quid studiosa cohors operum struit? hoc quoque curo.
quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
bella quis et paces longum diffundit in aevum?
quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
fastidire lacus et rivos ausus apertos?
ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa,
an tragica desaevit et ampullatur in arte?
quid mihi Celsus agit? monitus multumque monendus,
privatas ut quaerat opes et tangere vitet
scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo;
ne si forte suas repetitum venerit olim
grex avium plumas, moveat cornicula risum
furtivis nudata coloribus. ipse quid audes?
quae circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum
ingenium, non incultum est ac turpiter hirtum:
seu linguam caussis acuis seu civica iura
respondere paras seu condis amabile carmen,
prima feres hederae victricis praemia. quodsi
frigida curarum fomenta relinquere posses,
quo te caelestis sapientia duceret, ires.
hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
si patriae volumus, si nobis vivere cari.
debes hoc etiam rescribere, sit tibi curae
quantae conveniat Munatius? an male sarta
gratia nequicquam coit et rescinditur? at vos
seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat
indomita cervice feros, ubicumque locorum
vivitis indigni fraternum rumpere foedus,
pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.

EPISTOLA IV.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,
an tacitum silvas inter reptare salubres,
curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?
non tu corpus eras sine pectore: di tibi formam,
di tibi divitias dederunt artemque fruendi.
quid voveat dulci nutricula maius alumno,
qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui
gratia, fama, valetudo contingat abunde,
et mundus victus, non deficiente crumena?
inter spem curamque, timores inter et iras
omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
grata superveniet quae non sperabitur hora.
me pinguem et nitidum bene curata cute vises,
quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

EPISTOLA V.

AD TORQUATUM.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis
nec modica coenare times olus omne patella,
supremo te sole domi, Torquate, manebo.
vina bibes iterum Tauro diffusa palustres
inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
si melius quid habes, arcesse, vel imperium fer:
iamdudum splendet focus et tibi munda supellex.
mitte leves spes et certamina divitiarum
et Moschi caussam: cras nato Caesare festus
dat veniam somnumque dies; impune licebit
aestivam sermone benigno tendere noctem.
quo mihi fortunam, si non conceditur uti?
parcus ob heredis curam nimiumque severus
adsidet insano: potare et spargere flores
incipiam, patiarque vel inconsultus haberi.

quid non ebrietas designat? operta recludit,
spes iubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,
sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
fecundi calices quem non fecere disertum?
contracta quem non in paupertate solutum?
haec ego procurare et idoneus imperor et non
invitus: ne turpe toral, ne sordida mappa
corruget nares; ne non et cantharus et lanx
ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
sit qui dicta foras eliminet; ut coeat par
iungaturque pari. Butram tibi Septiciumque
et nisi coena prior potiorque puella Sabinum
detinet adsumam. locus est et pluribus umbris;
sed nimis arta premunt olidae convivia caprae.
tu quotus esse velis rescribe et rebus omissis
atria servantem postico falle clientem.

EPISTOLA VI.

AD NUMICIUM.

Nil admirari prope res est una, Numici,
solaque, quae possit facere et servare beatum.
hunc solem et stellas et decedentia certis
tempora momentis sunt qui formidine nulla
imbuti spectent. quid censes munera terrae,
quid maris extremos Arabas ditantis et Indos,
ludicra quid plausus et amici dona Quiritis,
quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
qui timet his adversa, fere miratur eodem
quo cupiens pacto; pavor est utrobique molestus,
improvisa simul species exterret utrumque.
gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,
si quidquid vidit melius peiusque sua spe
defixis oculis animoque et corpore torpet? —
insani nomen sapiens ferat, aequus iniqui,
ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
i nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes
suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores;
gaude quod spectant oculi te mille loquentem;

gnavus mane forum et vespertinus pete tectum,
ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus et — indignum! quod sit peioribus ortus, —
hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi.
quidquid sub terra est in apricum proferet aetas,
defodiet condetque nitentia. quum bene notum
porticus Agrippae et via te conspexerit Appi,
ire tamen restat Numa quo devenit et Ancus. —
si latus aut renes morbo tentantur acuto,
quaere fugam morbi. vis recte vivere? quis non?
si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
hoc age deliciis. virtutem verba putas et
lucum ligna: cave ne portus occupet alter,
ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas;
mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
tertia succedant, et quae pars quadret acervum.
scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos
et genus et formam regina pecunia donat,
ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex.
ne fueris hic tu. chlamydes Lucullus, ut aiunt,
si posset centum scenae praebere rogatus,
„qui possum tot?“ ait: „tamen et quaeram et quot habebo
mittam.“ post paullo scribit sibi millia quinque
esse domi chlamydum; partem vel tolleret omnes.
exilis domus est, ubi non et multa supersunt
et dominum fallunt et prosunt furibus! ergo
si res sola potest facere et servare beatum,
hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
si fortunatum species et gratia praestat,
mercemur servum qui dictet nomina, laevum
qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram
porrigere. „hic multum in Fabia valet, ille Velina;
cui libet hic fasces dabit, eripietque curule
cui volet importunus ebur.“ Frater, Pater adde;
ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.
si, bene qui coenat, bene vivit; lucet, eamus
quo ducet gula: piscemur, venemur, ut olim
Gargilius; qui mane plagas, venabula, servos,
differtum transire forum populumque iubebat,

unus ut e multis populo spectante referret
emtum mulus aprum; crudi tumidique lavemur,
quid deceat, quid non, obliti, Caerite cera
digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulixi,
cui potior patria fuit interdicta voluptas.
si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque
nil est iucundum, vivas in amore iocisque.
vive, vale: si quid novisti rectius istis,
candidus imperti; si non, his utere mecum.

EPISTOLA VII.

AD MAECENATEM.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum
Sextilem totum mendax desideror. atqui
si me vivere vis sanum recteque valentem,
quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque
designatorem decorat lictoribus atris;
dum pueris omnis pater et matercula pallet,
officiosaque sedulitas et opella forensis
adducit febres et testamenta resignat.
quodsi bruma nives Albanis illinet agris,
ad mare descendet vates tuus et sibi parcet
contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
non quo more pyris vesci Calaber iubet hospes,
tu me fecisti locupletem. — vescere sodes! —
iam satis est. — at tu quantum vis tolle. — benigne. —
non invisa feres pueris munuscula parvis. —
tam teneor dono quam si dimittar onustus. —
ut libet; haec porcis hodie comedenda relinquis. —
prodigus et stultus donat quae spernit et odit;
haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus;
nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
quodsi me noles usquam discedere, reddes
forte latus, nigros angusta fronte capillos;
reddes dulce loqui; reddes ridere decorum et

inter vina fugam Cinarae maerere protervae.
forte per angustam tenuis nitedula rimam
repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus
ire foras pleno tendebat corpore frustra.
cui mustela procul: „si vis," ait, „effugere istinc,
macra cavum repetes artum, quem macra subisti."
hac ego si compellor imagine, cuncta resigno;
nec somnum plebis laudo satur altilium, nec
otia divitiis Arabum liberrima muto.
saepe verecundum laudasti, rexque paterque
audisti coram, nec verbo parcius absens;
inspice si possum donata reponere laetus.
haud male Telemachus, proles patientis Ulixi:
„non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
porrectus spatiis nec multae prodigus herbae;
Atride, magis apta tibi tua dona relinquam."
parvum parva decent: mihi iam non regia Roma,
sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum.
strenuus et fortis caussisque Philippus agendis
clarus, ab officiis octavam circiter horam
dum redit atque foro nimium distare Carinas
iam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
adrasum quendam vacua tonsoris in umbra
cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri, puer hic non laeve iussa Philippi
accipiebat, abi; quaere et refer, unde domo, quis,
cuius fortunae, quo sit patre quove patrono.
it, redit et narrat, Vulteium nomine Menam,
praeconem, tenui censu, sine crimine, notum
et properare loco et cessare, et quaerere et uti,
gaudentem parvisque sodalibus et lare certo
et ludis et post decisa negotia campo.
scitari libet ex ipso quodcumque refers; dic
ad coenam veniat. non sane credere Mena;
mirari secum tacitus. quid multa? benigne,
respondet. — neget ille mihi? — negat improbus, et te
neglegit aut horret. — Vulteium mane Philippus
vilia vendentem tunicato scruta popello
occupat et salvere iubet prior. ille Philippo

excusare laborem et mercenaria vincla,
quod non mane domum venisset, denique quod non
providisset eum. — sic ignovisse putato
me tibi, si coenas hodie mecum. — ut libet. — ergo
post nonam venies: nunc i, rem strenuus auge. —
ut ventum ad coenam est, dicenda tacenda loquutus
tandem dormitum dimittitur. hic ubi saepe
occultum visus decurrere piscis ad hamum,
mane cliens et iam certus conviva, iubetur
rura suburbana indictis comes ire Latinis.
impositus mannis arvum caelumque Sabinum
non cessat laudare. videt ridetque Philippus,
et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
dum septem donat sestertia, mutua septem
promittit, persuadet uti mercetur agellum.
mercatur. ne te longis ambagibus, ultra
quam satis est, morer, ex nitido fit rusticus atque
sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos,
immoritur studiis et amore senescit habendi.
verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
spem mentita seges, bos est enectus arando,
offensus damnis media de nocte caballum
arripit iratusque Philippi tendit ad aedes.
quem simul adspexit scabrum intonsumque Philippus,
durus, ait, Vultei, nimis attentusque videris
esse mihi. pol me miserum, patrone, vocares,
si velles, inquit, verum mihi ponere nomen.
quod te per genium dextramque deosque Penates
obsecro et obtestor, vitae me redde priori.
qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
praestent, mature redeat repetatque relicta.
metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

EPISTOLA VIII.

AD CELSUM ALBINOVANUM.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem

vivere nec recte nec suaviter; haud quia grando
contuderit vites oleamque momorderit aestus,
nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
sed quia mente minus validus quam corpore toto
nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;
fidis offendar medicis, irascar amicis,
cur me funesto properent arcere veterno;
quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam;
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
post haec ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
ut placeat iuveni percontare utque cohorti.
si dicet recte, primum gaudere, subinde
praeceptum auriculis hoc instillare memento:
ut tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

EPISTOLA IX.

AD CLAUDIUM NERONEM.

Septimius, Claudi, nimirum intellegit unus,
quanti me facias: nam quum rogat et prece cogit,
scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
dignum mente domoque legentis honesta Neronis;
munere quum fungi propioris censet amici;
quid possim videt ac novit me valdius ipso.
multa quidem dixi, cur excusatus abirem;
sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
sic ego maioris fugiens opprobria culpae
frontis ad urbanae descendi praemia. quodsi
depositum laudas ob amici iussa pudorem,
scribe tui gregis hunc et fortem crede bonumque.

EPISTOLA X.

AD ARISTIUM FUSCUM.

Urbis amatorem Fuscum salvere iubemus
ruris amatores, hac in re scilicet una
multum dissimiles, at cetera paene gemelli:
fraternis animis quidquid negat alter, et alter;
annuimus pariter vetuli notique columbi.

tu nidum servas; ego laudo ruris amoeni
rivos et musco circumlita saxa nemusque.
quid quaeris? vivo et regno, simul ista reliqui,
quae vos ad caelum effertis rumore secundo:
utque sacerdotis fugitivus liba recuso;
pane egeo iam mellitis potiore placentis.
vivere naturae si convenienter oportet
ponendaeque domo quaerenda est area primum,
novistine locum potiorem rure beato?
est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura
leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
quum semel accepit Solem furibundus acutum?
est ubi divellat somnos minus invida cura?
deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
nempe inter varias nutritur silva columnas,
laudaturque domus, longos quae prospicit agros.
naturam expelles furca, tamen usque recurret
et mala perrumpet furtim vestigia victrix.
non, qui Sidonio contendere callidus ostro
nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
certius accipiet damnum propiusve medullis,
quam qui non poterit vero distinguere falsum.
quem res plus nimio delectavere secundae,
mutatae quatient. si quid mirabere, pones
invitus. fuge magna; licet sub paupere tecto
reges et regum vita praecurrere amicos.
cervus equum pugna melior communibus herbis
pellebat, donec minor in certamine longo
imploravit opes hominis frenumque recepit.
sed postquam victor violens discessit ab hoste,
non equitem dorso, non frenum depulit ore.
sic qui pauperiem veritus potiore metallis
libertate caret, dominum vehet improbus atque
serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
cui non conveniet sua res, ut calceus olim,
si pede maior erit, subvertet, si minor, uret.
laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,
nec me dimittes incastigatum, ubi plura

cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.
imperat aut servit collecta pecunia cuique,
tortum digna sequi potius quam ducere funem.
haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
excepto quod non simul esses, cetera laetus.

EPISTOLA XI.

AD BULLATIUM.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
Smyrna quid et Colophon? maiora minorane fama?
cunctane prae campo et Tiberino flumine sordent?
an venit in votum Attalicis ex urbibus una?
an Lebedum laudas odio maris atque viarum?
scis, Lebedus quid sit; Gabiis desertior atque
Fidenis vicus: tamen illic vivere vellem,
oblitusque meorum obliviscendus et illis
Neptunum procul e terra spectare furentem.
sed neque qui Capua Romam petit, imbre lutoque
adspersus volet in caupona vivere; nec qui
frigus collegit, furnos et balnea laudat
ut fortunatam plene praestantia vitam;
nec, si te validus iactaverit Auster in alto,
idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.
incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit, quod
paenula solstitio, campestre nivalibus auris,
per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
dum licet ac vultum servat Fortuna benignum,
Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.
tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam
grata sume manu, neu dulcia differ in annum;
ut quocumque loco fueris vixisse libenter
te dicas. nam si ratio et prudentia curas,
non locus effusi late maris arbiter, aufert;
coelum, non animum, mutant qui trans mare currunt.
strenua nos exercet inertia; navibus atque
quadrigis petimus bene vivere: quod petis, hic est,
est Ulubris, animus si te non deficit aequus.

EPISTOLA XII.

AD ICCIUM.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
si recte frueris, non est ut copia maior
ab Iove donari possit tibi. tolle querelas,
pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
si ventri bene, si lateri est pedibusque tuis, nil
divitiae poterunt regales addere maius.
si forte in medio positorum abstemius herbis
vivis et urtica, sic vives protinus, ut te
confestim liquidus Fortunae rivus inauret;
vel quia naturam mutare pecunia nescit,
vel quia cuncta putas una virtute minora.
miramur, si Democriti pecus edit agellos
cultaque, dum peregre est animus sine corpore velox,
quum tu inter scabiem tantam et contagia lucri
nil parvum sapias et adhuc sublimia cures:
quae mare compescant caussae; quid temperet annum;
stellae sponte sua iussaene vagentur et errent;
quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem;
quid velit et possit rerum concordia discors;
Empedocles an Stertinium deliret acumen.
verum seu pisces seu porrum et caepe trucidas,
utere Pompeio Grospho et, si quid petet, ultro
defer: nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.
vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

EPISTOLA XIII.

AD VINIUM ASELLAM.

Ut proficiscentem docui te saepe diuque,
Augusto reddes signata volumina, Vini,
si validus, si laetus erit, si denique poscet;

ne studio nostri pecces, odiumque libellis
sedulus importes, opera vehemente minister.
si te forte meae gravis uret sarcina chartae,
abiicito potius quam, quo perferre iuberis,
clitellas ferus impingas Asinaeque paternum
cognomen vertas in risum et fabula fias.
viribus uteris per clivos, flumina, lamas;
victor propositi simul ac perveneris illuc,
sic positum servabis onus, ne forte sub ala
fasciculum portes librorum ut rusticus agnum,
ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae,
ut cum pileolo soleas conviva tribulis.
nec vulgo narres te sudavisse ferendo
carmina, quae possint oculos auresque morari
Caesaris; oratus multa prece, nitere porro.
vade, vale; cave ne titubes mandataque frangas.

EPISTOLA XIV.

AD VILLICUM SUUM.

Villice silvarum et mihi me reddentis agelli,
quem tu fastidis habitatum quinque focis et
quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
certemus, spinas animone ego fortius an tu
evellas agro, et melior sit Horatius an res.
me quamvis Lamiae pietas et cura moratur,
fratrem maerentis, rapto de fratre dolentis
insolabiliter, tamen istuc mens animusque
fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum;
cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
stultus uterque locum immeritum caussatur inique;
in culpa est animus, qui se non effugit unquam.
tu mediastinus tacita prece rura petebas,
nunc urbem et ludos et balnea villicus optas;
me constare mihi scis et discedere tristem,
quandocumque trahunt invisa negotia Romam.
non eadem miramur; eo disconvenit inter
meque et te. nam quae deserta et inhospita tesqua

credis, amoena vocat mecum qui sentit, et odit
quae tu pulchra putas. fornix tibi et uncta popina
incutiunt urbis desiderium, video, et quod
angulus iste feret piper et thus ocius uva,
nec vicina subest vinum praebere taberna
quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cuius
ad strepitum salias terrae gravis. et tamen urges
iampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
disiunctum curas et strictis frondibus exples.
addit opus pigro rivus, si decidit imber,
multa mole docendus aprico parcere prato.
nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi.
quem tenues decuere togae nitidique capilli,
quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
coena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba.
nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
limat, non odio obscuro morsuque venenat;
rident vicini glebas et saxa moventem.
cum servis urbana diaria rodere mavis,
horum tu in numerum voto ruis; invidet usum
lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
quam scit uterque libens censebo exerceat artem.

EPISTOLA XV.

AD NUMONIUM VALAM.

Quae sit hiems Veliae, quod coelum, Vala, Salerni,
quorum hominum regio et qualis via, — nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
me facit invisum, gelida quum perluor unda
per medium frigus. sane murteta relinqui,
dictaque cessantem nervis elidere morbum
sulfura contemni, vicus gemit, invidus aegris,
qui caput et stomachum supponere fontibus audent;
Clusinos Gabiosque petunt et frigida rura.
mutandus locus est, et deversoria nota

praeteragendus equus. „quo tendis? non mihi Cumas
est iter aut Baias," laeva stomachosus habena
dicet eques; sed equis frenato est auris in ore. —
maior utrum populum frumenti copia pascat,
collectosne bibant imbres puteosne perennes
dulcis aquae; nam vina nihil moror illius orae.
rure meo possum quidvis perferre patique;
ad mare quum veni, generosum et lene requiro,
quod curas abigat, quod cum spe divite manet
in venas animumque meum, quod verba ministret,
quod me Lucanae iuvenem commendet amicae.
tractus uter plures lepores, uter educet apros;
utra magis pisces et echinos aequora celent
pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti,
scribere te nobis, tibi nos adcredere par est.
Maenius, ut rebus maternis atque paternis
fortiter absumtis urbanus coepit haberi,
scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
impransus non qui civem dignosceret hoste,
quaclibet in quemvis opprobria fingere saevus,
pernicies et tempestas barathrumque macelli,
quidquid quaesierat, ventri donabat avaro.
hic ubi nequitiae fautoribus et timidis nil
aut paullum abstulerat, patinas coenabat omasi
vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
scilicet ut ventres lamna candente nepotum
diceret urendos, correctus Bestius. idem
quidquid erat nactus praedae maioris, ubi omne
verterat in fumum et cinerem, Non Hercule miror,
aiebat, si qui comedunt bona, quum sit obeso
nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.
nimirum hic ego sum; nam tuta et parvula laudo,
quum res deficiunt, satis inter vilia fortis;
verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
vos sapere et solos aio bene vivere, quorum
conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

EPISTOLA XVI.

AD QUINCTIUM.

Ne perconteris fundus meus, optime Quincti,
arvo pascat herum, an bacis opulentet olivae
pomisve, an pratis, an amicta vitibus ulmo;
scribetur tibi forma loquaciter et situs agri.
continui montes, ni dissocientur opaca
valle, sed ut veniens dextrum latus adspiciat sol,
laevum discedens curru fugiente vaporet.
temperiem laudes. quid, si rubicunda benigni
corna vepres et pruna ferant? si quercus et ilex
multa fruge pecus, multa dominum iuvet umbra?
dicas adductum propius frondere Tarentum.
fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,
infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
hae latebrae dulces, etiam, si credis, amoenae,
incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
tu recte vivis, si curas esse quod audis.
iactamus iam pridem omnis te Roma beatum;
sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas,
neve putes alium sapiente bonoque beatum,
neu, si te populus sanum recteque valentem
dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
si quis bella tibi terra pugnata marique
dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:
„tene magis salvum populus velit an populum tu,
servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Iuppiter,“ Augusti laudes agnoscere possis:
quum pateris sapiens emendatusque vocari,
respondesne tuo, dic sodes, nomine? — „nempe
vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.“ —
qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet, ut si
detulerit fasces indigno, detrahet idem.
pone, meum est; inquit: pono tristisque recedo.

idem, si clamet furem, neget esse pudicum,
contendat laqueo collum pressisse paternum;
mordear opprobriis falsis mutemque colores.
falsus honor iuvat et mendax infamia terret
quem, nisi mendosum et medicandum? vir bonus est quis?
qui consulta patrum, qui leges iuraque servat;
quo multae magnaeque secantur iudice lites;
quo res sponsore et quo caussae teste tenentur.
sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
introrsum turpem, speciosum pelle decora.
nec furtum feci nec fugi, si mihi dicat
servus: habes pretium, loris non ureris, aio. —
non hominem occidi. — non pasces in cruce corvos. —
sum bonus et frugi. renuit negitatque Sabellus.
cautus enim metuit foveam lupus accipiterque
suspectos laqueos et opertum miluus hamum.
oderunt peccare boni virtutis amore;
tu nihil admittes in te formidine poenae:
sit spes fallendi, miscebis sacra profanis;
nam de mille fabae modiis quum surripis unum,
damnum est, non facinus, mihi pacto lenius isto.
vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
quandocumque deos vel porco vel bove placat,
Iane pater, clare, clare quum dixit, Apollo;
labra movet metuens audiri: Pulchra Laverna,
da mihi fallere! da iustum sanctumque videri!
noctem peccatis et fraudibus obiice nubem!
qui melior servo, qui liberior sit avarus,
in triviis fixum quum se demittit ob assem,
non video; nam qui cupiet, metuet quoque; porro
qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
semper in augenda festinat et obruitur re.
vendere quum possis captivum, occidere noli;
serviet utiliter: sine pascat durus aretque;
naviget ac mediis hiemet mercator in undis;
annonae prosit; portet frumenta penusque.
vir bonus et sapiens audebit dicere: Pentheu,
rector Thebarum, quid me perferre patique

indignum coges? — adimam bona. — nempe pecus, rem, lectos, argentum: tollas licet! — in manicis et compedibus saevo te sub custode tenebo. — ipse deus, simul atque volam, me solvet. — opinor, hoc sentit: moriar; mors ultima linea rerum est.

EPISTOLA XVII.

AD SCAEVAM.

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis, et scis, quo tandem pacto deceat maioribus uti; disce docendus adhuc quae censet amiculus, ut si caecus iter monstrare velit; tamen adspice si quid et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur. si te grata quies et primam somnus in horam delectat, si te pulvis strepitusque rotarum, si laedet caupona, Ferentinum ire iubebo. nam neque divitibus contingunt gaudia solis, nec vixit male, qui natus moriensque fefellit. si prodesse tuis paulloque benignius ipsum te tractare voles, accedes siccus inunctum. „si pranderet olus patienter, regibus uti nollet Aristippus.“ — „si sciret regibus uti, fastidiret olus qui me notat.“ — utrius horum verba probes et facta, doce; vel iunior audi, cur sit Aristippi potior sententia. namque mordacem cynicum sic eludebat, ut aiunt: scurror ego ipse mihi; populo tu: rectius hoc et splendidius multo est: equus ut me portet, alat rex, officium facio: tu poscis vilia rerum, dante minor, quamvis fers te nullius egentem. omnis Aristippum decuit color et status et res, tentantem maiora, fere praesentibus aequum. contra, quem duplici panno patientia velat, mirabor vitae via si conversa decebit. alter purpureum non exspectabit amictum, quidlibet indutus celeberrima per loca vadet personamque feret non inconcinnus utramque; alter Mileti textam cane peius et angui

vitabit chlamydem, morietur frigore, si non
rettuleris pannum: refer, et sine vivat ineptus!
res gerere et captos ostendere civibus hostes,
attingit solium Iovis et caelestia tentat.
principibus placuisse viris non ultima laus est.
non cuivis homini contingit adire Corinthum.
sedit, qui timuit ne non succederet: esto.
quid? qui pervenit, fecitne viriliter? atqui
hic est aut nusquam quod quaerimus. hic onus horret,
ut parvis animis et parvo corpore maius;
hic subit et perfert. aut virtus nomen inane est,
aut decus et pretium recte petit experiens vir.
coram rege suo de paupertate tacentes
plus poscente ferent. distat, sumasne pudenter,
an rapias. atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
indotata mihi soror est, paupercula mater,
et fundus nec vendibilis nec pascere firmus,
qui dicit, clamat: „victum date;“ succinit alter:
„et mihi dividuo findetur munere quadra.“
sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
plus dapis et rixae multo minus invidiaeque.
Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum
qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
aut cistam effractam et subducta viatica plorat,
nota refert meretricis acumina, saepe catellam,
saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
nec semel irrisus triviis attollere curat
fracto crure planum, licet illi plurima manet
lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim:
credite, non ludo; crudeles, tollite claudum! —
quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.

EPISTOLA XVIII.

AD LOLLIUM.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
scurrantis speciem praebere, professus amicum.
ut matrona meretrici dispar erit atque

discolor, infido scurrae distabit amicus.
est huic diversum vitio vitium prope maius,
asperitas agrestis et inconcinna gravisque
quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,
dum vult libertas dici mera veraque virtus.
virtus est medium vitiorum et utrinque reductum.
alter in obsequium plus aequo pronus et imi
derisor lecti, sic nutum divitis horret,
sic iterat voces et verba cadentia tollit,
ut puerum saevo credas dictata magistro
reddere vel partes mimum tractare secundas.
alter rixatur de lana saepe caprina,
propugnat nugis armatus: scilicet ut non
sit mihi prima fides et vere quod placet ut non
acriter elatrem? pretium aetas altera sordet.
ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos plus;
Brundisium Minuti melius via ducat an Appi.
quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,
gloria quem supra vires et vestit et ungit,
quem tenet argenti sitis importuna famesque,
quem paupertatis pudor et fuga; dives amicus
saepe decem vitiis instructior odit et horret,
aut, si non odit, regit ac veluti pia mater
plus quam se sapere et virtutibus esse priorem
vult et ait prope vera: Meae — contendere noli —
stultitiam patiuntur opes, tibi parvula res est:
arta decet sanum comitem toga; desine mecum
certare. Eutrapelus cuicumque nocere volebat
vestimenta dabat pretiosa: beatus enim iam
cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes,
dormiet in lucem, scorto postponet honestum
officium, numos alienos pascet, ad imum
Threx erit aut olitoris aget mercede caballum.
arcanum neque tu scrutaberis illius unquam,
commissumque teges et vino tortus et ira.
nec tua laudabis studia aut aliena reprendes;
nec, quum venari volet ille, poemata panges.
gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta severo

conticuit lyra. fraternis cessisse putatur
moribus Amphion: tu cede potentis amici
lenibus imperiis, quotiesque educet in agros
Aetolis onerata plagis iumenta canesque,
surge et inhumanae senium depone Camenae,
coenes ut pariter pulmenta laboribus emta:
Romanis sollemne viris opus, utile famae
vitaeque et membris, praesertim quum valeas et
vel cursu superare canem vel viribus aprum
possis. adde virilia quod speciosius arma
non est qui tractet. scis quo clamore coronae
praelia sustineas campestria; denique saevam
militiam puer et Cantabrica bella tulisti
sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
nunc et si quid abest, Italis adiudicat armis.
ac ne te retrahas et inexcusabilis absis,
quamvis nil extra numerum fecisse modumque
curas; interdum nugaris rure paterno.
partitur lintres exercitus; Actia pugna
te duce per pueros hostili more refertur:
adversarius est frater, lacus Hadria, donec
alterutrum velox victoria fronde coronet.
consentire suis studiis qui crediderit te,
fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
protinus ut moneam, si quid monitoris eges tu:
quid de quoque viro et cui dicas saepe videto.
percontatorem fugito; nam garrulus idem est,
nec retinent patulae commissa fideliter aures,
et semel emissum volat irrevocabile verbum.
non ancilla tuum iecur ulceret ulla puerve
intra marmoreum venerandi limen amici,
ne dominus pueri pulchri caraeve puellae
munere te parvo beet, aut incommodus angat.
qualem commendes etiam atque etiam adspice, ne mox
incutiant aliena tibi peccata pudorem.
fallimur et quondam non dignum tradimus: ergo
quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri;
ut penitus notum, si tentent crimina, serves,
tuterisque tuo fidentem praesidio: qui

dente Theonino quum circumroditur, ecquid
ad te post paullo ventura pericula sentis?
nam tua res agitur, paries quum proximus ardet,
et neglecta solent incendia sumere vires.
dulcis inexpertis cultura potentis amici;
expertus metuit: tu, dum tua navis in alto est,
hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
oderunt hilarem tristes tristemque iocosi,
sedatum celeres, agilem gnavumque remissi;
potores, bibuli media de nocte, Falerni
oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
nocturnos iures te formidare tepores.
deme supercilio nubem; plerumque modestus
occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
inter cuncta leges et percontabere doctos,
qua ratione queas traducere leniter aevum;
num te semper inops agitet vexetque cupido,
num pavor et rerum mediocriter utilium spes;
virtutem doctrina paret naturane donet;
quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum;
quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
an secretum iter et fallentis semita vitae.
me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
quid sentire putas, quid credis amice precari?
sit mihi quod nunc est, etiam minus, et mihi vivam
quod superest aevi, si quid superesse volunt di.
sit bona librorum et provisae frugis in annum
copia, ne fluitem dubiae spe pendulus horae.
sed satis est orare Iovem quae donat et aufert;
det vitam, det opes, aequum mi animum ipse parabo.

EPISTOLA XIX.

AD MAECENATEM.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
quae scribuntur aquae potoribus. ut male sanos
adscripsit Liber Satyris Faunisque poetas,

vina fere dulces oluerunt mane Camenae.
laudibus arguitur vini vinosus Homerus;
Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
prosiluit dicenda. „forum Putealque Libonis
mandabo siccis, adimam cantare severis:“
hoc simul edixit, non cessavere poetae
nocturno certare mero, putere diurno.
quid? si quis vultu torvo ferus et pede nudo
exiguaeque togae simulet textore Catonem,
virtutemne repraesentet moresque Catonis?
rupit Iarbitam Timagenis aemula coena,
dum studet urbanus tenditque disertus haberi.
decipit exemplar vitiis imitabile: quodsi
pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
o imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
bilem, saepe iocum, vestri movere tumultus!
libera per vacuum posui vestigia princeps,
non aliena meo pressi pede. qui sibi fidet,
dux reget examen. Parios ego primus iambos
ostendi Latio, numeros animosque sequutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
quod timui mutare modos et carminis artem;
temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar,
nec socerum quaerit quem versibus oblinat atris,
nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinus
vulgavi fidicen; iuvat immemorata ferentem
ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
laudet ametque domi; premat extra limen iniquus?
non ego ventosae plebis suffragia venor
impensis coenarum et tritae munere vestis;
non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,
grammaticas ambire tribus et pulpita dignor.
hinc illae lacrimae. „spissis indigna theatris
scripta pudet recitare et nugis addere pondus“
si dixi, rides, ait, et Iovis auribus ista

servas; fidis enim manare poetica mella
te solum, tibi pulcher. ad haec ego naribus uti
formido, et luctantis acuto ne secer ungui,
„displicet iste locus“ clamo, et diludia posco.
ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
ira truces inimicitias et funebre bellum.

EPISTOLA XX.

AD LIBRUM SUUM.

Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris,
scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
odisti claves et grata sigilla pudico;
paucis ostendi gemis et communia laudas,
non ita nutritus. fuge quo descendere gestis.
non erit emisso reditus tibi. „quid miser egi?
quid volui?“ dices, ubi quis te laeserit; et scis
in breve te cogi, quum plenus languet amator.
quodsi non odio peccantis desipit augur,
carus eris Romae, donec te deseret aetas;
contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.
ridebit monitor non exauditus, ut ille,
qui male parentem in rupes protrusit asellum
iratus: quis enim invitum servare laboret?
hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
occupet extremis in vicis balba senectus.
quum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
me libertino natum patre et in tenui re
maiores pennas nido extendisse loqueris,
ut quantum generi demas, virtutibus addas;
me primis urbis belli placuisse domique;
corporis exigui, praecanum, solibus aptum,
irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
forte meum si quis te percontabitur aevum,
me quater undenos sciat implevisse Decembres,
collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Q. HORATII FLACCI

EPISTOLARUM

LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.

AD AUGUSTUM.

Quum tot sustineas et tanta negotia solus,
res Italas armis tuteris, moribus ornes,
legibus emendes; in publica commoda peccem,
si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus et Liber pater et cum Castore Pollux,
post ingentia facta deorum in templa recepti,
dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
componunt, agros adsignant, oppida condunt,
ploravere suis non respondere favorem
speratum meritis. diram qui contudit hydram
notaque fatali portenta labore subegit,
comperit invidiam supremo fine domari.
urit enim fulgore suo, qui praegravat artes
infra se positas; extinctus amabitur idem.
praesenti tibi maturos largimur honores
iurandasque tuum per numen ponimus aras,
nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
sed tuus hic populus sapiens et iustus in uno,
te nostris ducibus, te Graiis anteferendo,
cetera nequaquam simili ratione modoque
aestimat, et nisi quae terris semota suisque
temporibus defuncta videt, fastidit et odit,
sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,

pontificum libros, annosa volumina vatum,
dictitet Albano Musas in monte loquutas.
si, quia Graiorum sunt antiquissima quaeque
scripta vel optima, Romani pensantur eadem
scriptores trutina, non est quod multa loquamur:
nil intra est olea, nil extra est in nuce duri;
venimus ad summum fortunae, pingimus atque
psallimus et luctamur Achivis scitius unctis.
si meliora dies, ut vina, poemata reddit,
scire velim chartis pretium quotus adroget annus.
scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
perfectos veteresque referri debet an inter
viles atque novos? excludat iurgia finis. —
„est vetus atque probus centum qui perficit annos.“ —
quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
inter quos referendus erit? veteresne poetas,
an quos et praesens et postera respuat aetas? —
„iste quidem veteres inter ponetur honeste,
qui vel mense brevi vel toto est iunior anno.“ —
utor permisso, caudaeque pilos ut equinae
paullatim vello et demo unum, demo etiam unum,
dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
qui redit ad fastos et virtutem aestimat annis
miraturque nihil nisi quod Libitina sacravit.
Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus,
ut critici dicunt, leviter curare videtur
quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est et mentibus haeret
paene recens? adeo sanctum est vetus omne poema.
ambigitur quoties uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti,
dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
hos ediscit et hos arto stipata theatro
spectat Roma potens; habet hos numeratque poetas
ad nostrum tempus Livi scriptoris ab aevo.
interdum vulgus rectum videt, est ubi peccat.
si veteres ita miratur laudatque poetas,

ut nihil anteferat, nihil illis comparet; errat.
si quaedam nimis antique, si pleraque dure
dicere credit eos, ignave multa fatetur;
et sapit et mecum facit et Iove iudicat aequo.
non equidem insector delendaque carmina Livi
esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare; sed emendata videri
pulchraque et exactis minimum distantia miror:
inter quae verbum emicuit si forte decorum et
si versus paullo concinnior unus et alter;
iniuste totum ducit venditque poema.
indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
nec veniam antiquis, sed honorem et praemia posci.
recte necne crocum floresque perambulet Attae
fabula si dubitem, clament periisse pudorem
cuncti paene patres, ea quum reprehendere coner,
quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit;
vel quia nil rectum nisi quod placuit sibi ducunt,
vel quia turpe putant parere minoribus et quae
imberbi didicere senes perdenda fateri.
iam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud,
quod mecum ignorat, solus vult scire videri,
ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.
quodsi tam Graiis novitas invisa fuisset
quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,
quod legeret tereretque viritim publicus usus?
ut primum positis nugari Graecia bellis
coepit et in vitium fortuna labier aequa,
nunc athletarum studiis nunc arsit equorum,
marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit,
suspendit picta vultum mentemque tabella,
nunc tibicinibus nunc est gavisa tragoedis;
sub nutrice puella velut si luderet infans,
quod cupide petiit, mature plena reliquit.
quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
hoc populus habuere bonae ventique secundi
Romae: dulce diu fuit et sollemne reclusa

mane domo vigilare, clienti promere iura,
cautos nominibus rectis expendere nummos,
maiores audire, minori dicere per quae
crescere res posset, minui damnosa libido.
mutavit mentem populus levis et calet uno
scribendi studio; puerique patresque severi
fronde comas vincti coenant et carmina dictant.
ipse ego, qui nullos me adfirmo scribere versus,
invenior Parthis mendacior, et prius orto
sole vigil calamum et chartas et scrinia posco.
navim agere ignarus navis timet; abrotonum aegro
non audet nisi qui didicit dare; quod medicorum est
promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
scribimus indocti doctique poemata passim.
hic error tamen et levis haec insania quantas
virtutes habeat, sic collige: vatis avarus
non temere est animus: versus amat, hoc studet unum;
detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;
non fraudem socio puerove incogitat ullam
pupillo; vivit siliquis et pane secundo,
militiae quamquam piger et malus, utilis urbi,
si das hoc, parvis quoque rebus magna iuvari.
os tenerum pueri balbumque poeta figurat;
torquet ab obscoenis iam nunc sermonibus aurem;
mox etiam pectus praeceptis format amicis,
asperitatis et invidiae corrector et irae;
recte facta refert; orientia tempora notis
instruit exemplis; inopem solatur et aegrum.
castis cum pueris ignara puella mariti
disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
poscit opem chorus et praesentia numina sentit;
caelestes implorat aquas; docta prece blandus
avertit morbos, metuenda pericula pellit;
impetrat et pacem et locupletem frugibus annum.
carmine di superi placantur, carmine Manes.
agricolae prisci, fortes parvoque beati,
condita post frumenta, levantes tempore festo
corpus et ipsum animum spe finis dura ferentem,
cum sociis operum, pueris et coniuge fida,

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
floribus et vino Genium, memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
versibus alternis opprobria rustica fudit,
libertasque recurrentes accepta per annos
lusit amabiliter, donec iam saevus apertam
in rabiem coepit verti iocus et per honestas
ire domos impune minax. doluere cruento
dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
conditione super communi; quin etiam lex
poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
describi: vertere modum formidine fustis
ad bene dicendum delectandumque redacti.
Graecia capta ferum victorem cepit et artes
intulit agresti Latio: sic horridus ille
defluxit numerus Saturnius et grave virus
munditiae pepulere; sed in longum tamen aevum
manserunt hodieque manent vestigia ruris.
serus enim Graecis admovit acumina chartis,
et post Punica bella quietus quaerere coepit,
quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
tentavit quoque rem si digne vertere posset,
et placuit sibi natura sublimis et acer;
nam spirat tragicum satis et feliciter audet;
sed turpem putat inscriptis metuitque lituram.
creditur, ex medio quia res arcessit, habere
sudoris minimum, sed habet comoedia tanto
plus oneris, quanto veniae minus. adspice, Plautus
quo pacto partes tutetur amantis ephebi;
ut patris attenti; lenonis ut insidiosi:
quantus sit Dossennus edacibus in parasitis;
quam non adstricto percurrat pulpita socco:
gestit enim numum in loculos demittere, post hoc
securus cadat an recto stet fabula talo.
quem tulit ad scenam ventoso gloria curru,
exanimat lentus spectator, sedulus inflat.
sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
subruit aut reficit! valeat res ludicra, si me
palma negata macrum, donata reducit opimum.

saepe etiam audacem fugat hoc terretque poetam,
quod numero plures, virtute et honore minores,
indocti stolidique et depugnare parati,
si discordet eques, media inter carmina poscunt
aut ursum aut pugiles; his nam plebecula gaudet.
verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas
omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
quattuor aut plures aulaea premuntur in horas,
dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
mox trahitur manibus regum fortuna retortis;
esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
si foret in terris, rideret Democritus, seu
diversum confusa genus panthera camelo,
sive elephas albus vulgi converteret ora;
spectaret populum ludis attentius ipsis
ut sibi praebentem mimo spectacula plura;
scriptores autem narrare putaret asello
fabellam surdo. nam quae pervincere voces
evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus aut mare Tuscum:
tanto cum strepitu ludi spectantur et artes
divitiaeque peregrinae! quibus oblitus actor
quum stetit in scena, concurrit dextera laevae.
„dixit adhuc aliquid?“ — „nil sane.“ — „quid placet ergo?“ —
„lana Tarentino violas imitata veneno.“ —
ac ne forte putes me, quae facere ipse recusem,
quum recte tractent alii, laudare maligne;
ille per extentum funem mihi posse videtur
ire poeta, meum qui pectus inaniter angit,
irritat, mulcet, falsis terroribus implet,
ut magus et modo me Thebis modo ponit Athenis.
verum age, et his, qui se lectori credere malunt
quam spectatoris fastidia ferre superbi,
curam redde brevem, si munus Apolline dignum
vis complere libris et vatibus addere calcar,
ut studio maiore petant Helicona virentem.
multa quidem nobis facimus mala saepe poetae,
ut vineta egomet caedam mea, quum tibi librum

)llicito damus aut fesso; quum laedimur, unum
quis amicorum est ausus reprendere versum;
uum loca iam recitata revolvimus irrevocati;
uum lamentamur, non apparere labores
ostros et tenui deducta poemata filo;
uum speramus eo rem venturam, ut simul atque
armina rescieris nos fingere, commodus ultro
rcessas et egere vetes et scribere cogas.
ed tamen est operae pretium cognoscere, quales
edituos habeat belli spectata domique
irtus indigno non committenda poetae.
ratus Alexandro regi magno fuit ille
'hoerilus, incultis qui versibus et male natis
ettulit acceptos, regale nomisma, Philippos.
ed veluti tractata notam labemque remittunt
tramenta, fere scriptores carmine foedo
plendida facta linunt. idem rex ille, poema
ui tam ridiculum tam care prodigus emit,
dicto vetuit ne quis se praeter Apellem
ingeret aut alius Lysippo duceret aera
ortis Alexandri vultum simulantia. quodsi
idicium subtile videndis artibus illud
d libros et ad haec Musarum dona vocares,
oecotum in crasso iurares aere natum.
t neque dedecorant tua de se iudicia atque
unera, quae multa dantis cum laude tulerunt,
ilecti tibi Virgilius Variusque poetae;
ec magis expressi vultus per aenea signa,
uam per vatis opus mores animique virorum
larorum apparent. nec sermones ego mallem
pentes per humum, quam res componere gestas,
rrarumque situs et flumina dicere et arces
ontibus impositas et barbara regna, tuisque
uspiciis totum confecta duella per orbem,
laustraque custodem pacis cohibentia Ianum,
formidatam Parthis te principe Romam;
, quantum cuperem, possem quoque: sed neque parvum
armen maiestas recipit tua, nec meus audet
m tentare pudor, quam vires ferre recusent.

sedulitas autem, stulte quem diligit, urget;
praecipue quum se numeris commendat et arte:
discit enim citius meminitque libentius illud,
quod quis deridet, quam quod probat et veneratur
nil moror officium, quod me gravat, ac neque ficto
in peius vultu proponi cereus usquam,
nec prave factis decorari versibus opto;
ne rubeam pingui donatus munere et una
cum scriptore meo capsa porrectus operta
deferar in vicum vendentem thus et odores
et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

EPISTOLA II.

AD IULIUM FLORUM.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
si quis forte velit puerum tibi vendere natum
Tibure vel Gabiis et tecum sic agat: „hic et
candidus et talos a vertice pulcher ad imos
fiet eritque tuus numorum millibus octo,
verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
literulis Graecis imbutus, idoneus arti
cuilibet; argilla quidvis imitaberis uda;
quin etiam canet indoctum sed dulce bibenti.
multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
laudet venales qui vult excludere merces.
res urget me nulla; meo sum pauper in aere.
nemo hoc mangonum faceret tibi; non temere a me
quivis ferret idem. semel hic cessavit et, ut fit,
in scalis latuit metuens pendentis habenae:“
des numos, excepta nihil te si fuga laedit:
ille ferat pretium poenae securus, opinor.
prudens emisti vitiosum; dicta tibi est lex:
insequeris tamen hunc et lite moraris iniqua.
dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
talibus officiis prope mancum, ne mea saevus
iurgares ad te quod epistola nulla rediret.
quid tum profeci, mecum facientia iura
si tamen attentas? quereris super hoc etiam, quod

exspectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
perdiderat; post hoc vehemens lupus et sibi et hosti
iratus pariter, ieiunis dentibus acer,
praesidium regale loco deiecit, ut aiunt,
summe munito et multarum divite rerum.
clarus ob id factum donis ornatur opimis,
accipit et bis dena super sestertia numum.
forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
nescio quod cupiens hortari coepit eundem
verbis, quae timido quoque possent addere mentem:
„i bone quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
grandia laturus meritorum praemia. quid stas?“
post haec ille catus quantumvis rusticus: „ibit,
ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit,“ inquit.
Romae nutriri mihi contigit atque doceri
iratus Graiis quantum nocuisset Achilles.
adiecere bonae paullo plus artis Athenae,
scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
atque inter silvas Academi quaerere verum.
dura sed emovere loco me tempora grato,
civilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
unde simul primum me dimisere Philippi,
decisis humilem pennis inopemque paterni
et laris et fundi paupertas impulit audax,
ut versus facerem. sed quod non desit habentem
quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
ni melius dormire putem quam scribere versus?
singula de nobis anni praedantur euntes;
eripuere iocos, Venerem, convivia, ludum;
tendunt extorquere poemata: quid faciam vis?
denique non omnes eadem mirantur amantque.
carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
tres mihi convivae prope dissentire videntur,
poscentes vario multum diversa palato.
quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter;

quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
praeter cetera, me Romaene poemata censes
scribere posse inter tot curas totque labores?
hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
omnibus officiis; cubat hic in colle Quirini,
hic extremo in Aventino, visendus uterque;
intervalla vides humane commoda. — verum
purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet. —
festinat calidus mulis gerulisque redemtor,
torquet nunc lapidem nunc ingens machina tignum,
tristia robustis luctantur funera plaustris,
hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:
i nunc, et versus tecum meditare canoros!
scriptorum chorus omnis amat nemus et fugit urbes,
rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra:
tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
vis canere et contacta sequi vestigia vatum?
ingenium, sibi quod vacuas desumsit Athenas
et studiis annos septem dedit insenuitque
libris et curis, statua taciturnius exit
plerumque et risu populum quatit; hic ego rerum
fluctibus in mediis et tempestatibus urbis
verba lyrae motura sonum connectere digner?
frater erat Romae consulti rhetor, ut alter
alterius sermone meros audiret honores,
Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.
qui minus argutos vexat furor iste poetas?
carmina compono, hic elegos. „mirabile visu
caelatumque novem Musis opus!“ adspice primum,
quanto cum fastu, quanto molimine circum-
spectemus vacuam Romanis vatibus aedem;
mox etiam, si forte vacas, sequere et procul audi,
quid ferat et quare sibi nectat uterque coronam.
caedimur et totidem plagis consumimus hostem
lento Samnites ad lumina prima duello.
discedo Alcaeus puncto illius; ille meo quis?
quis nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit.
multa fero, ut placem genus irritabile vatum,

quum scribo et supplex populi suffragia capto;
idem, finitis studiis et mente recepta,
obturem patulas impune legentibus aures.
ridentur mala qui componunt carmina; verum
gaudent scribentes et se venerantur, et ultro,
si taceas, laudant quidquid scripsere beati.
at qui legitimum cupiet fecisse poema,
cum tabulis animum censoris sumet honesti;
audebit, quaecumque parum splendoris habebunt
et sine pondere erunt et honore indigna ferentur,
verba movere loco, quamvis invita recedant
et versentur adhuc intra penetralia Vestae;
obscurata diu populo bonus eruet atque
proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis
nunc situs informis premit et deserta vetustas;
adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.
vehemens et liquidus puroque simillimus amni
fundet opes Latiumque beabit divite lingua;
luxuriantia compescet, nimis aspera sano
levabit cultu, virtute carentia tollet,
ludentis speciem dabit et torquebitur ut qui
nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.
praetulerim scriptor delirus inersque videri,
dum mea delectent mala me vel denique fallant,
quam sapere et ringi? fuit haud ignobilis Argis,
qui se credebat miros audire tragoedos,
in vacuo laetus sessor plausorque theatro;
cetera qui vitae servaret munia recto
more, bonus sane vicinus, amabilis hospes,
comis in uxorem, posset qui ignoscere servis
et signo laeso non insanire lagenae,
posset qui rupem et puteum vitare patentem.
hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
expulit helleboro morbum bilemque meraco,
et redit ad sese: „pol me occidistis, amici,
non servastis,“ ait, „cui sic extorta voluptas
et demtus per vim mentis gratissimus error.“
nimirum sapere est abiectis utile nugis

et tempestivum pueris concedere ludum,
ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
quocirca mecum loquor haec tacitusque recordor:
„si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
narrares medicis: quod quanto plura parasti,
tanto plura cupis, nulline faterier audes?
si vulnus tibi monstrata radice vel herba
non fieret levius, fugeres radice vel herba
proficiente nihil curarier. audieras, cui
rem di donarent, illi decedere pravam
stultitiam; et quum sis nihilo sapientior, ex quo
plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?
at si divitiae prudentem reddere possent,
si cupidum timidumque minus te; nempe ruberes,
viveret in terris te si quis avarior uno.
si proprium est, quod quis libra mercatus et aere est,
quaedam, si credis consultis, mancipat usus;
qui te pascit ager, tuus est, et villicus Orbi,
quum segetes occat, tibi mox frumenta daturas,
te dominum sentit; das numos, accipis uvam,
pullos, ova, cadum temeti: nempe modo isto
paullatim mercaris agrum, fortasse trecentis
aut etiam supra numorum millibus emtum.
quid refert, vivas numerato nuper an olim?
emtor Aricini quondam Veientis et arvi
emtum coenat olus, quamvis aliter putat; emtis
sub noctem gelidam lignis calefactat ahenum.
sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
limitibus vicina refugit iurgia; tamquam
sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horae
nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema
permutet dominos et cedat in altera iura.
sic, quia perpetuus nulli datur usus, et heres
heredem alterius velut unda supervenit undam;
quid vici prosunt aut horrea? quidve Calabris
saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus
grandia cum parvis, non exorabilis auro?
gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,

argentum, vestes Gaetulo murice tinctas,
sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
cur alter fratrum cessare et ludere et ungi
praeferat Herodis palmetis pinguibus; alter
dives et importunus ad umbram lucis ab ortu
silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
naturae deus humanae, mortalis in unum-
quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
utar et ex modico quantum res poscet acervo
tollam, nec metuam quid de me iudicet heres,
quod non plura datis invenerit; et tamen idem
scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
discrepet et quantum discordet parcus avaro.
distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum
invitus facias, neque plura parare labores,
ac potius, puer ut festis quinquatribus olim,
exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
pauperies immunda procul domus absit: ego utrum
nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.
non agimur tumidis velis Aquilone secundo,
non tamen adversis aetatem ducimus Austris;
viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re
extremi primorum, extremis usque priores.
non es avarus: abi. quid? cetera iam simul isto
cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
ambitione? caret mortis formidine et ira?
somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
natales grate numeras? ignoscis amicis?
lenior et melior fis accedente senecta?
quid te exemta levat spinis de pluribus una?
vivere si recte nescis, decede peritis.
lusisti satis, edisti satis atque bibisti.
tempus abire tibi est, ne potum largius aequo
rideat et pulset lasciva decentius aetas."

EPISTOLA III.

AD PISONES

QUAE VULGO INSCRIBITUR

DE ARTE POETICA.

Humano capiti cervicem pictor equinam
iungere si velit et varias inducere plumas
undique collatis membris, ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne;
spectatum admissi risum teneatis, amici?
credite, Pisones, isti tabulae fore librum
persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae
fingentur species, ut nec pes nec caput uni
reddatur formae. „pictoribus atque poetis
quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.“
scimus et hanc veniam petimusque damusque vicissim,
sed non ut placidis coeant immitia, non ut
serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
inceptis gravibus plerumque et magna professis
purpureus, late qui splendeat, unus et alter
adsuitur pannus, quum lucus et ara Dianae
et properantis aquae per amoenos ambitus agros
aut flumen Rhenum aut pluvius describitur arcus.
sed nunc non erat his locus. et fortasse cupressum
scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
navibus, aere dato qui pingitur? amphora coepit
institui; currente rota cur urceus exit?
denique sit, quod vis, simplex duntaxat et unum.
maxima pars vatum, pater et iuvenes patre digni,
decipimur specie recti: brevis esse laboro,
obscurus fio; sectantem lenia nervi
deficiunt animique; professus grandia turget;
serpit humi tutus nimium timidusque procellae.
qui variare cupit rem prodigialiter unam,
delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
in vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber imus et ungues

exprimet et molles imitabitur aere capillos
infelix operis summa, quia ponere totum
nesciet. hunc ego me, si quid componere curem,
non magis esse velim, quam pravo vivere naso,
spectandum nigris oculis nigroque capillo.
sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.
ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici;
pleraque differat et praesens in tempus omittat.
hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
in verbis etiam tenuis cautusque serendis
dixeris egregie, notum si callida verbum
reddiderit iunctura novum. si forte necesse est
indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
fingere cinctutis non exaudita Cethegis
continget, dabiturque licentia sumta pudenter.
et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadent, parce detorta: quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego cur, acquirere pauca
si possum, invideor, quum lingua Catonis et Enni
sermonem patrium ditaverit et nova rerum
nomina protulerit? licuit semperque licebit
signatum praesente nota producere nomen.
ut silvae foliis pronos mutantur in annos;
prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.
debemur morti nos nostraque; sive receptus
terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
regis opus, sterilisve diu palus aptaque remis
vicinas urbes alit et grave sentit aratrum;
seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque
quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,

EPISTOLA III.

AD PISONES

QUAE VULGO INSCRIBITUR

DE ARTE POETICA.

Humano capiti cervicem pictor equinam
iungere si velit et varias inducere plumas
undique collatis membris, ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne;
spectatum admissi risum teneatis, amici?
credite, Pisones, isti tabulae fore librum
persimilem, cuius, velut aegri somnia, vanae
fingentur species, ut nec pes nec caput uni
reddatur formae. „pictoribus atque poetis
quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.“
scimus et hanc veniam petimusque damusque vicissim,
sed non ut placidis coeant immitia, non ut
serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
inceptis gravibus plerumque et magna professis
purpureus, late qui splendeat, unus et alter
adsuitur pannus, quum lucus et ara Dianae
et properantis aquae per amoenos ambitus agros
aut flumen Rhenum aut pluvius describitur arcus.
sed nunc non erat his locus. et fortasse cupressum
scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
navibus, aere dato qui pingitur? amphora coepit
institui; currente rota cur urceus exit?
denique sit, quod vis, simplex duntaxat et unum.
maxima pars vatum, pater et iuvenes patre digni,
decipimur specie recti: brevis esse laboro,
obscurus fio; sectantem lenia nervi
deficiunt animique; professus grandia turget;
serpit humi tutus nimium timidusque procellae.
qui variare cupit rem prodigialiter unam,
delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
in vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber imus et ungues

exprimet et molles imitabitur aere capillos
infelix operis summa, quia ponere totum
nesciet. hunc ego me, si quid componere curem,
non magis esse velim, quam pravo vivere naso,
spectandum nigris oculis nigroque capillo.
sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.
ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
ut iam nunc dicat iam nunc debentia dici;
pleraque differat et praesens in tempus omittat.
hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
in verbis etiam tenuis cautusque serendis
dixeris egregie, notum si callida verbum
reddiderit iunctura novum. si forte necesse est
indiciis monstrare recentibus abdita rerum,
fingere cinctutis non exaudita Cethegis
continget, dabiturque licentia sumta pudenter.
et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadent, parce detorta: quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? ego cur, acquirere pauca
si possum, invideor, quum lingua Catonis et Enni
sermonem patrium ditaverit et nova rerum
nomina protulerit? licuit semperque licebit
signatum praesente nota producere nomen.
ut silvae foliis pronos mutantur in annos;
prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.
debemur morti nos nostraque; sive receptus
terra Neptunus classes Aquilonibus arcet,
regis opus, sterilisve diu palus aptaque remis
vicinas urbes alit et grave sentit aratrum;
seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque
quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,

quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.
  res gestae regumque ducumque et tristia bella
quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
versibus impariter iunctis querimonia primum,
post etiam inclusa est voti sententia compos.
quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo.
hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,
alternis aptum sermonibus, et populares
vincentem strepitus et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus divos puerosque deorum
et pugilem victorem et equum certamine primum
et iuvenum curas et libera vina referre.
descriptas servare vices operumque colores
cur ego si nequeo ignoroque poeta salutor?
cur nescire pudens prave quam discere malo?
versibus exponi tragicis res comica non vult.
indignatur item privatis ac prope socco
dignis carminibus narrari coena Thyestae.
singula quaeque locum teneant sortita decentem.
interdum tamen et vocem comoedia tollit,
iratusque Chremes tumido delitigat ore;
et tragicus plerumque dolet sermone pedestri
Telephus et Peleus, quum pauper et exul uterque
proiicit ampullas et sesquipedalia verba,
si curat cor spectantis tetigisse querela.
  non satis est pulchra esse poemata; dulcia sunto,
et, quocumque volent, animum auditoris agunto.
ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
humani vultus: si vis me flere, dolendum est
primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent,
Telephe vel Peleu; male si mandata loqueris,
aut dormitabo aut ridebo. tristia maestum
vultum verba decent; iratum, plena minarum;
ludentem, lasciva; severum, seria dictu.
format enim natura prius nos intus ad omnem
fortunarum habitum; iuvat aut impellit ad iram,
aut ad humum maerore gravi deducit et angit;

ıst effert animi motus interprete lingua.
dicentis erunt fortunis absona dicta,
omani tollent equites peditesque cachinnum.
intererit multum Davusne loquatur an heros,
aturusne senex an adhuc florente iuventa
rvidus, an matrona potens, an sedula nutrix,
ercatorne vagus, cultorne virentis agelli,
olchus an Assyrius, Thebis nutritus an Argis.
ıt famam sequere, aut sibi convenientia finge.
ːriptor honoratum si forte reponis Achillem;
apiger, iracundus, inexorabilis, acer
ıra neget sibi nata, nihil non adroget armis.
t Medea ferox invictaque, flebilis Ino,
erfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
i quid inexpertum scenae committis, et audes
ersonam formare novam; servetur ad imum,
ualis ab incepto processerit, et sibi constet.
ifficile est proprie communia dicere; tuque
ectius Iliacum carmen deducis in actus,
uam si proferres ignota indictaque primus.
ublica materies privati iuris erit, si
on circa vilem patulumque moraberis orbem;
ec verbum verbo curabis reddere fidus
nterpres; nec desilies imitator in artum,
nde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.
ec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
‚fortunam Priami cantabo et nobile bellum.“
uid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
arturient montes, nascetur ridiculus mus.
uanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
‚dic mihi Musa virum, captae post tempora Troiae
ui mores hominum multorum vidit et urbes.“
non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
ogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten Scyllamque et cum Cyclope Charybdim;
nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.
semper ad eventum festinat et in medias res,
non secus ac notas, auditorem rapit, et quae

desperat tractata nitescere posse, relinquit;
atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
primo ne medium, medio ne discrepet imum.
tu, quid ego et populus mecum desideret, audi.
si plausoris eges aulaea manentis et usque
sessuri, donec cantor „Vos plaudite“ dicat,
aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
mobilibusque decor naturis dandus et annis.
reddere qui voces iam scit puer et pede certo
signat humum, gestit paribus colludere, et iram
colligit ac ponit temere et mutatur in horas.
imberbus iuvenis, tandem custode remoto,
gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
utilium tardus provisor, prodigus aeris,
sublimis cupidusque et amata relinquere pernix.
conversis studiis aetas animusque virilis
quaerit opes et amicitias, inservit honori,
commisisse cavet quod mox mutare laboret.
multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
quaerit et inventis miser abstinet ac timet uti,
vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
difficilis, querulus, laudator temporis acti
se puero, castigator censorque minorum.
multa ferunt anni venientes commoda secum;
multa recedentes adimunt. ne forte seniles
mandentur iuveni partes pueroque viriles;
semper in adiunctis aevoque morabimur aptis.
aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
segnius irritant animos demissa per aurem,
quam quae sunt oculis subiecta fidelibus et quae
ipse sibi tradit spectator. non tamen intus
digna geri promes in scenam, multaque tolles
ex oculis quae mox narret facundia praesens,
nec pueros coram populo Medea trucidet,
aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
aut in avem Procne vertatur, Cadmus in anguem.
quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

neve minor neu sit quinto productior actu
fabula, quae posci vult et spectata reponi.
nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
inciderit: nec quarta loqui persona laboret.
actoris partes chorus officiumque virile
defendat: neu quid medios intercinat actus,
quod non proposito conducat et haereat apte.
ille bonis faveatque et consilietur amice,
et regat iratos et amet peccare timentes;
ille dapes laudet mensae brevis, ille salubrem
iustitiam legesque et apertis otia portis;
ille tegat commissa, deosque precetur et oret,
ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.
tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeque
aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
adspirare et adesse choris erat utilis, atque
nondum spissa nimis complere sedilia flatu:
quo sane populus numerabilis, utpote parvus
et frugi castusque verecundusque, coibat.
postquam coepit agros extendere victor et urbes
latior amplecti murus vinoque diurno
placari Genius festis impune diebus,
accessit numerisque modisque licentia maior.
indoctus quid enim saperet liberque laborum
rusticus, urbano confusus, turpis honesto?
sic priscae motumque et luxuriam addidit arti
tibicen traxitque vagus per pulpita vestem:
sic etiam fidibus voces crevere severis,
et tulit eloquium insolitum facundia praeceps,
utiliumque sagax rerum et divina futuri
sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
incolumi gravitate iocum tentavit eo, quod
illecebris erat et grata novitate morandus
spectator, functusque sacris et potus et exlex.
verum ita risores, ita commendare dicaces
conveniet Satyros, ita vertere seria ludo,
ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros,

regali conspectus in auro nuper et ostro,
migret in obscuras humili sermone tabernas,
aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
effutire leves indigna tragoedia versus,
ut festis matrona moveri iussa diebus,
intererit Satyris paullum pudibunda protervis.
non ego inornata et dominantia nomina solum
verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;
nec sic enitar tragico differre colori,
ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
an custos famulusque dei Silenus alumni.
ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
speret idem, sudet multum frustraque laboret
ausus idem: tantum series iuncturaque pollet,
tantum de medio sumtis accedit honoris.
silvis deducti caveant, me iudice, Fauni,
ne velut innati triviis ac paene forenses
aut nimium teneris iuvenentur versibus unquam,
aut immunda crepent ignominiosaque dicta:
offenduntur enim, quibus est equus et pater et res;
nec si quid fricti ciceris probat et nucis emtor
aequis accipiunt animis donantve corona.
syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,
pes citus: unde etiam trimetris accrescere iussit
nomen iambeis, quum senos redderet ictus,
primus ad extremum similis sibi: non ita pridem,
tardior ut paullo graviorque veniret ad aures,
spondeos stabiles in iura paterna recepit
commodus et patiens, non ut de sede secunda
cederet aut quarta socialiter. hic et in Acci
nobilibus trimetris apparet rarus, et Enni
in scenam missos magno cum pondere versus
aut operae celeris nimium curaque carentis
aut ignoratae premit artis crimine turpi.
non quivis videt immodulata poemata iudex,
et data Romanis venia est indigna poetis.
idcircone vager scribamque licenter? an omnes
visuros peccata putem mea, tutus et intra

pem veniae cautus? vitavi denique culpam,
ıon laudem merui. vos exemplaria Graeca
ıocturna versate manu, versate diurna.
at vestri proavi Plautinos et numeros et
ıudavere sales, nimium patienter utrumque,
ıec dicam stulte, mirati, si modo ego et vos
cimus inurbanum lepido seponere dicto,
egitimumque sonum digitis callemus et aure.
gnotum tragicae genus invenisse Camenae
licitur et plaustris vexisse poemata Thespis,
ıuae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
ıost hunc, personae pallaeque repertor honestae,
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis
t docuit magnumque loqui nitique cothurno.
uccessit vetus his comoedia, non sine multa
aude; sed in vitium libertas excidit et vim
lignam lege regi: lex est accepta chorusque
urpiter obticuit sublato iure nocendi.
ıil intentatum nostri liquere poetae;
ıec minimum meruere decus vestigia Graeca
ıusi deserere et celebrare domestica facta,
'el qui praetextas vel qui docuere togatas.
ıec virtute foret clarisve potentius armis
ıuam lingua Latium, si non offenderet unum-
ıuemque poetarum limae labor et mora. vos, o
Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
nulta dies et multa litura coercuit atque
ɔerfectum decies non castigavit ad unguem.
ingenium misera quia fortunatius arte
:redit et excludit sanos Helicone poetas
Democritus; bona pars non ungues ponere curat,
ıon barbam; secreta petit loca, balnea vitat.
ıanciscetur enim pretium nomenque poetae,
ıi tribus Anticyris caput insanabile nunquam
onsori Licino commiserit. o ego laevus,
ıui purgor bilem sub verni temporis horam!
ıon alius faceret meliora poemata. verum
ıil tanti est: ergo fungar vice cotis, acutum
'eddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi:

munus et officium, nil scribens ipse, docebo,
unde parentur opes, quid alat formetque poetam,
quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
scribendi recte sapere est et principium et fons.
rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae,
verbaque provisam rem non invita sequentur.
qui didicit, patriae quid debeat et quid amicis;
quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes;
quod sit conscripti, quod iudicis officium; quae
partes in bellum missi ducis: ille profecto
reddere personae scit convenientia cuique.
respicere exemplar vitae morumque iubebo
doctum imitatorem et vivas hinc ducere voces.
interdum speciosa locis morataque recte
fabula nullius veneris sine pondere et arte
valdius oblectat populum meliusque moratur,
quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
discunt in partes centum diducere. dicat
filius Albini: „si de quincunce remota est
uncia, quid superat?“ — poteras dixisse: „*triens*.“ eu!
rem poteris servare tuam! — redit uncia, quid fit? —
„*semis*.“ at haec animos aerugo et cura peculi
quum semel imbuerit, speramus carmina fingi
posse linenda cedro et levi servanda cupresso?
aut prodesse volunt, aut delectare poetae,
aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.
quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
percipiant animi dociles teneantque fideles.
omne supervacuum pleno de pectore manat.
ficta voluptatis caussa sint proxima veris:
ne, quodcumque volet, poscat sibi fabula credi,
neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.
centuriae seniorum agitant expertia frugis;
celsi praetereunt austera poemata Rhamnes:
omne tulit punctum qui miscuit utile dulci
lectorem delectando pariterque monendo.

ic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit
t longum noto scriptori prorogat aevum.
sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus:
am neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens,
oscentique gravem persaepe remittit acutum,
ec semper feriet, quodcumque minabitur, arcus.
erum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
ffendar maculis, quas aut incuria fudit,
ut humana parum cavit natura. quid ergo est?
t scriptor si peccat idem librarius usque,
uamvis est monitus, venia caret, et citharoedus
idetur, chorda qui semper oberrat eadem:
ic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
uem bis terve bonum cum risu miror; et idem
ıdignor quandoque bonus dormitat Homerus.
erum operi longo fas est obrepere somnum.
ut pictura, poesis erit; quae, si propius stes,
ɐ capiat magis, et quaedam, si longius abstes.
aec amat obscurum; volet haec sub luce videri,
ıdicis argutum quae non formidat acumen:
aec placuit semel, haec decies repetita placebit.
maior iuvenum, quamvis et voce paterna
ingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
olle memor, certis medium et tolerabile rebus
ecte concedi: consultus iuris et actor
aussarum mediocris abest virtute diserti
Messalae, nec scit quantum Cascellius Aulus,
ed tamen in pretio est; mediocribus esse poetis
ıon homines non di non concessere columnae.
ıt gratas inter mensas symphonia discors
t crassum unguentum et Sardo cum melle papaver
ffendunt, poterat duci quia coena sine istis:
ic animis natum inventumque poema iuvandis,
i paullum summo decessit, vergit ad imum.
udere qui nescit, campestribus abstinet armis,
ndoctusque pilae discive trochive quiescit,
ıe spissae risum tollant impune coronae;
ui nescit versus, tamen audet fingere. — „quidni?
iber et ingenuus, praesertim census equestrem

summam numorum, vitioque remotus ab omni.“ —
tu nihil invita dices faciesve Minerva;
id tibi iudicium esto, ea mens: si quid tamen olim
scripseris, in Maeci descendat iudicis aures
et patris et nostras, nonumque prematur in annum,
membranis intus positis. delere licebit
quod non edideris; nescit vox missa reverti.
silvestres homines sacer interpresque deorum
caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones.
dictus et Amphion Thebanae conditor urbis
saxa movere sono testudinis et prece blanda
ducere quo vellet. fuit haec sapientia quondam,
publica privatis secernere, sacra profanis,
concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
oppida moliri, leges incidere ligno.
sic honor et nomen divinis vatibus atque
carminibus venit. post hos insignis Homerus
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
versibus exacuit; dictae per carmina sortes,
et vitae monstrata via est; et gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
et longorum operum finis: ne forte pudori
sit tibi Musa lyrae sollers et cantor Apollo.
natura fieret laudabile carmen, an arte,
quaesitum est: ego nec studium sine divite vena,
nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
altera poscit opem res, et coniurat amice.
qui studet optatam cursu contingere metam,
multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit;
abstinuit venere et vino. qui Pythia cantat
tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.
nunc satis est dixisse: „ego mira poemata pango;
occupet extremum scabies; mihi turpe relinqui est,
et quod non didici sane nescire fateri.“
ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
adsentatores iubet ad lucrum ire poeta
dives agris, dives positis in fenore numis.
si vero est, unctum qui recte ponere possit,

et spondere levi pro paupere, et eripere atris
litibus implicitum; mirabor, si sciet inter-
noscere mendacem verumque beatus amicum.
tu seu donaris, seu quid donare voles cui,
nolito ad versus tibi factos ducere plenum
laetitiae; clamabit enim „pulchre! bene! recte!“
pallescet super his; etiam stillabit amicis
ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram.
ut qui conducti plorant in funere, dicunt
et faciunt prope plura dolentibus ex animo; sic
derisor vero plus laudatore movetur.
reges dicuntur multis urgere culullis
et torquere mero quem perspexisse laborant,
an sit amicitia dignus: si carmina condes,
nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares, „corrige sodes
hoc,“ aiebat, „et hoc:“ melius te posse negares
bis terque expertum frustra, delere iubebat
et male tornatos incudi reddere versus.
si defendere delictum quam vertere malles,
nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
quin sine rivali teque et tua solus amares.
vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
culpabit duros, incomtis adlinet atrum
transverso calamo signum, ambitiosa recidet
ornamenta, parum claris lucem dare coget,
arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
fiet Aristarchus, nec dicet, „cur ego amicum
offendam in nugis?“ hae nugae seria ducent
in mala derisum semel exceptumque sinistre.
ut mala quem scabies aut morbus regius urget,
aut fanaticus error et iracunda Diana;
vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam
qui sapiunt: agitant pueri incautique sequuntur
hic, dum sublimes versus ructatur et errat,
si veluti merulis intentus decidit auceps
in puteum foveamve; licet „succurrite“ longum
clamet „io cives;“ non sit qui tollere curet.
si curet quis opem ferre et demittere funem,

„qui scis an prudens huc se proiecerit atque
servari nolit?“ dicam, Siculique poetae
narrabo interitum. deus immortalis haberi
dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
insiluit. sit ius liceatque perire poetis.
invitum qui servat, idem facit occidenti.
nec semel hoc fecit, nec, si retractus erit, iam
fiet homo et ponet famosae mortis amorem.
nec satis apparet, cur versus factitet; utrum
minxerit in patrios cineres, an triste bidental
moverit incestus: certe furit, ac velut ursus
obiectos caveae valuit si frangere clathros,
indoctum doctumque fugat recitator acerbus;
quem vero arripuit, tenet occiditque legendo,
non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

INDEX NOMINUM ET RERUM.

brotonum, *medicamentum*, Ep. II, 1, 114.
cademi silvae = *Academia* Ep. II, 2, 45.
ccius (Actius, Attius), *poeta tragicus et comicus, Pacuvii aemulus*, Sat. I, 10, 53. Ep. II, 1, 56. 3, 258.
chaemenes, *parens regum Persarum*, Carm. II, 12, 21. Achaemenius = *Persicus vel Parthicus*: costum Carm. III, 1, 44. nardum Epod. 13, 8.
chaicus: currus Carm. IV, 3, 5. ignis I, 15, 35.
cheron = *Orcus* Carm. I, 3, 36. III, 3, 16.
cherontia, *Apuliae oppidum*, Carm. III, 4, 14.
chilles, *Pelei filius*, Carm. I, 15, 34. II, 4, 4. 16, 29. IV, 6, 4. (*cf.* I, 6, 6. 8, 14). Epod. 17, (8) 14. (*cf.* 13, 12). Sat. I, 7, 12. II, 3, 193. Ep. II, 2, 42. 3, 120. (*cf.* I, 2, 12).
chivi Carm. III, 3, 27. Sat. II, 3, 194. Ep. I, 2, 14. II, 1, 33. Achivus: flammae Carm. IV, 6, 18.
cinaces, *gladius Persarum*, Carm. I, 27, 5.
cipenser, *piscis in lautis epulis appositus*, Sat. II, 2, 47.
crisius, *Argorum rex, Danaes pater*, Carm. III, 16, 5.
croc[illegible]unia, *Epiri montes*, Carm. I, 3, 20.
ctius (*Actiacus*): pugna Ep. I, 18, 61.
dorea = *victoria* Carm. IV, 4, 41.
dria, *vid.* Hadria.
eacus, *Oenopiae rex*, Carm. II, 13, 22. IV, 8, 25. genus Aeaci = *Peleus, Telamon, Achilles, Teucer, Aiax*, III, 19, 3.
egaeus: mare Ep. I, 11, 16. tumultus Carm. III, 29, 63. Aegaeum (*mare*) II, 16, 2.
Aelius Lamia: *ad eum scriptum* Carm. III, 17. *de eodem* I, 26.
Aemilius Paullus, *vid.* Paullus.
Aemilius: ludus (*gladiatorius, ab Aemilio Lepido ita dictus*) Ep. II, 3, 32.
Aeneas, *Anchisae filius*, Carm. IV, 6, 23. 7, 15. (*cf.* 15, 32). C.S. 42. Sat. II, 5, 63.
Aeolides Sisyphus Carm. II, 14, 20.
Aeolius: carmen Carm. III, 30, 13. IV, 3, 12. puella (= *Sappho*) IV, 9, 12. fides II, 13, 24.
Aeschylus, *poeta tragicus*, Ep. II, 1, 163. 3, 279.
Aesopus, *fabularum scriptor, ad quas respicitur* Sat. II, 5, 56. Ep. I, 3, 18. 7, 29.
Aesopus, *tragoediarum actor*, Ep. II, 1, 82. filius Aesopi, *homo flagitiosus et prodigus*, Sat. II, 3, 239.
Aesula, *Latii urbs*, Carm. III, 29, 6.
Aethiops Carm. III, 6, 14.
Aetna, *Siciliae mons*, Carm. III, 4, 76. Epod. 17, 33. Ep. II, 3, 465.
Aetolus: plagae Ep. I, 18, 46.
Afranius, *poeta comicus*, Ep. II, 1, 57.
Africa Carm. II, 18, 5. III, 16, 31. IV, 8, 18. Sat. II, 3, 87. Afer Carm. III, 3, 47. IV, 4, 42 (*Hannibal*). Afri II, 1, 26. A. murex II, 16, 33. avis Epod. 2, 53. cochlea Sat. II, 4, 58. serpentes II, 8, 95.—Africanus, *Scipio, minor*, Epod. 9, 25.
Africus, *ventus*, Carm. I, 1, 15. 3, 12. 14, 5. III, 23, 5. Epod. 16, 22. Africus: procellae Carm. III, 29, 57.
Agamemnon, *Atrei filius*, Carm. IV, 9, 25. *cf.* Atrides.
Agaue, *Penthei mater*, Sat. II, 3, 303.
Agrippa, *M. Vipsanius*, Sat. II, 3, 185. Ep. I, 6, 26. 12, 1. 26. *ad eum scriptum* Carm. I, 6.
Agylleus = *Apollo* Carm. IV, 6, 28.

Aiax, *Oilei filius*, Carm. I, 15, 19. Epod. 10, 14.
Aiax, *Telamonis filius*, Carm. II, 4, 5. Sat. II, 3, 187. 193. 201. 211.
Albanus: lacus Carm. IV, 1, 19. mons Ep. II, 1, 27. uva Sat. II, 4, 72. agri Ep. I, 7, 10. herbae Carm. III, 23, 11. Albanum (*vinum*) IV, 11, 2. Sat. II, 8, 16. = *Romanus*: secures C. S. 54.
albatus = *alba toga indutus* Sat. II, 2, 61.
Albinovanus, Celsus, comes scribaque Neronis: *ad eum scr.* Ep. I, 8.
Albinus, *fenerator*, Ep. II, 3, 327.
Albius Tibullus: *ad eum scr.* Carm. I, 33. Ep. I, 4.
Albius, *insanus quidam signorum et vasorum aeneorum amator*, Sat. I, 4, 28.
Albius, *ignotus quidam*, Sat. I, 4, 109.
Albunea, *fons fluvii Albulae*, Carm. I, 7, 12.
Albutius, *senex avarus et in servos saevus*, Sat. II, 2, 67. — *veneficus*, II, 1, 48.
Alcaeus, *Lesbius, poeta lyricus*, Carm. II, 13, 27. IV, 9, 7. (*cf.* 1, 32, 5). Ep. I, 19, 29. II, 2, 99.
Alcides = *Hercules* Carm. I, 12, 25.
Alcinous, *Phaeacum rex*, Ep. I, 2, 28.
Alcon, *servus*, Sat. II, 8, 15.
alea Carm. II, 1, 6. III, 24, 58. Sat. II, 5, 50. Ep. I, 18, 21.
Alexander Magnus Ep. II, 1, 232. 241.
Alexandrea, *Aegypti urbs*, Carm. IV, 14, 35.
Alfenus, *Varus, Cremonensis*, Sat. I, 3, 130. *Cf. Weicherti lectt. Venusin.* p. 44 sqq.
Alfius, *fenerator*, Epod. 2, 67.
Algidus, *Latii mons, Dianae sacer*, Carm. I, 21, 6. III, 23, 9. IV, 4, 58. C. S. 69.
Allifanus: Allifanis = *calicibus et poculis maioribus, dictis ab Allifa, Samnii oppido*, Sat. II, 8, 39.
Allobrox Ep. 16, 6.
Alpes Carm. IV, 4, 17. 14, 12. Ep. 1, 11. Sat. II, 5, 41. — Alpinus, *vid.* Bibaculus.
Alyattes, *Lydiae rex, Croesi pater*, Carm. III, 16, 41.
Amazonius: securis Carm. IV, 4, 20.
ambubaiae Sat. I, 2, 1.
Amor Carm. I, 18, 14. III, 12, 4. 27, 68.
Amphiaraus, *augur Argivus*, Carm. III, 16, 12.
Amphion, *Zethi frater, Thebarum conditor*, Carm. III, 11, 2. Ep. I, 18, 41. 44. II, 3, 394.
amphora Carm. I, 36, 11. III, 8, 11. 16, 34. 28, 8. Epod. 2, 15. Ep. II, 3, 21.
ampulla *et* ampullari Ep. I, 3, 14. II, 3, 97.
Amyntas, *Cous*, Epod. 12, 18.
amystis, *praegrandis haustus sive poculum*, Carm. I, 36, 14.
Anacreon, *Teius, poeta lyricus*, Carm. IV, 9, 9. Epod. 14, 10.
Anchises, *Troianus*, Carm. IV, 15, 31. C. S. 50.
Ancus, *Marcius, rex Romanus*, Carm. IV, 7, 15. Ep. I, 6, 27.
Andromeda, *Cephei filia*, Carm. III, 29, 17.
Anio, *fluvius Latii*, Carm. I, 7, 13.
annuli: *eorum usus*, Sat. II, 7, 9.
Antenor, *Troianus*, Ep. I, 2, 9.
antestari Sat. I, 9, 76 sq.
Anticyra, *Phocidis locus hellebori ferax*, Sat. II, 3, 83. 166. Ep. II, 3, 300.
Antilochus, *Nestoris filius*, Carm. II, 9, 14. [6, 36.
Antiochus, *Syriae rex*, Carm. III,
Antiphates, *Laestrygonum rex*, Ep. II, 3, 145.
Antium, *Latii urbs*, Carm. I, 35, 1.
Antonius Musa, *medicus*, Ep. I, 15, 3.
Antonius, *triumvir*, Sat. I, 5, 33. Epod. 9, 29.
Antonius, Iulus, *triumviri ex Fulvia filius: ad eum scr.* Carm. IV, 2. *cf. Weicherti diss. de Vario et Cassio* p. 334 sqq.
Anxur, *Latii oppidum*, Sat. I, 5, 26.
Anytus, *Socratis accusator*, Sat. II, 4, 3.
Apella Iudaeus Sat. I, 5, 100.
Apelles, *Cous, pictor*, Ep. II, 1, 239.
Apenninus, *Italiae mons*, Epod. 16, 29.
Apollo Carm. I, 2, 32. 7, 3. 28 10, 12. 31, 1. II, 10, 20. C. S. 34 sqq. Epod. 15, 9. Sat. I, 9, 78. II, 5, 60. Ep.

I, 16, 59. II, 1, 216. 3, 407. *cf.* Carm. I, 21, 2. Delius et Patareus Carm. III, 4, 64. Palatinus Ep. I, 3, 17. *ad eum scr.* Carm. I, 21. 31. IV, 6. *Cf.* Agylleus, Cynthius, Latous, Phoebus, Pythius. — Apollinaris: laurea Carm. IV, 2, 9.
apotheca Sat. II, 5, 7.
Appi forum, *oppidum in Appia via*, Sat. I, 5, 3.
Appia (*via*) Epod. 4, 14. Appi via Ep. I, 6, 26. 18, 20. *describitur* Sat. I, 5, 1 sqq.
Appius, *Claudius Caecus, censor*, Sat. I, 6, 21.
Aprilis mensis Carm. IV, 11, 16.
Apulia (Appulia), *Italiae regio*, Carm. III, 4, 10. Epod. 3, 16. Sat. I, 5, 77. Apulus Carm. III, 5, 9. 16, 26. Epod. 2, 42. Sat. II, 1, 34. A. Daunus Carm. IV, 14, 26. Vultur III, 4, 9. gens Sat. II, 1, 38. lupi Carm. I, 33, 7. Apulicus: mare (= *Adriaticum*) Carm. III, 24, 4.
aquam praebere *dicitur convivator* Sat. I, 4, 88.
Aquarius, *sidus*, Sat. I, 1, 36.
Aquilo, *ventus*, Carm. I, 3, 13. II, 9, 6. III, 10, 4. 30, 3. Epod. 10, 7. 13, 3. Sat. II, 6, 25. 8, 56. Ep. II, 3, 64.
Aquinas: fucus Ep. I, 10, 27.
Arabes Carm. I, 29, 1. 35, 40. II, 12, 24. III, 24, 2. Ep. I, 6, 6. 7, 36.
Arbuscula, *libertina et mima*, Sat. I, 10, 77.
Arcadia, *Graeciae regio*, Carm. IV, 12, 12.
Archiacus: lecti, *breviores, a fabro Archia contexti*, Ep. I, 5, 1.
Archilochus, *Parius, poeta lyricus, carminis iambici princeps*, Sat. II, 3, 12. Ep. I, 19, 25. 28. II, 3, 79. *cf.* Epod. 6, 13.
Archytas, *Tarentinus, mathematicus et philosophus: ad eum scriptum* Carm. I, 28.
Arctos, *sidus*, Carm. I, 26, 3. II, 15, 16.
Arcturus, *stella*, Carm. III, 1, 27.
area Sat. I, 1, 45.
Arellius, *colonus dives in vicinia villae Horatii*, Sat. II, 6, 78.
aretalogi, *quomodo tractari soliti*, Sat. I, 3, 133.
argentarii Sat. II, 3, 18. 69.
Argonautae Epod. 3, 9.
Argos, *Graeciae urbs*, Carm. I, 7, 9. Argi Sat. II, 3, 132. Ep. II, 2, 128. 3, 118. Argeus: colonus Carm. II, 6, 5. Argivus: augur (*Amphiaraus*) III, 16, 12. Thalia IV, 6, 25. Argivi III, 3, 67.
Argous: remex Epod. 16, 57.
Aricia, *Latii urbs*, Sat. I, 5, 1. Aricinus: arvum Ep. II, 2, 167.
Ariminensis = *Arimino, Umbriae oppido, ortus* Epod. 5, 42.
Aristarchus, *grammaticus Alexandrinus = iudex severus* Ep. II, 3, 450.
Aristippus, *Cyrenaeus, Socratis discipulus, Cyrenaicae disciplinae auctor*, Sat. II, 3, 100. Ep. I, 1, 18. 17, 13 sqq. 23.
Aristius, *Fuscus, Horatii amicus*, Sat. I, 9, 61. 10, 83. *ad eum scr.* Carm. I, 22. Ep. I, 10.
Aristophanes, *poeta comicus*, Sat. I, 4, 1.
Armenius, *a Cl. Nerone devictus*, Ep. I, 12, 27. Armenius: orae Carm. II, 9, 4.
Arrius, *Quintus*, Sat. II, 3, 86. 243.
Asella, *vid.* Vinnius.
Asia Sat. I, 7, 19. 24. Ep. I, 3, 5.
Asinae cognomen Ep. I, 13, 8.
Asinius, v. Pollio. [13.
Assaracus, *Trois filius*, Epod. 13,
assis pretio, *proverb.*, Sat. I, 6, 13.
Assyrius = *Syrius* Ep. II, 3, 118. nardus Carm. II, 11, 16. litus III, 4, 32.
Asterie: *ad eam scr.* Carm. III, 7.
Atabulus, *ventus Apuliam infestans*, Sat. I, 5, 78.
Athenae Sat. I, 1, 64. II, 7, 13. Ep. II, 1, 213. 2, 43. 81. Carm. I, 7, 5.
Atlas: nepos Atlantis (*Mercurius*) Carm. I, 10, 1. Atlanteus: finis I, 34, 11. Atlanticus: aequor I, 31, 14.
Atreus, *Pelopis filius*, Ep. II, 3, 186. Atrides = *Agamemnon* Carm. II, 4, 7. Sat. II, 3, 187. Ep. I, 2, 12. = *Menelaus* Ep. I, 7, 43. Atridae Sat. II, 3, 203.
Atta, *T. Quinctius, poeta fabularum togatarum*, Ep. II, 1, 79. *Cf. Weicherti poet. lat. reliq.* p. 345 sqq.
Attalus, *rex Pergami ultimus*,

Carm. II, 18, 5. Attalicus: conditiones Carm. I, 1, 12. urbes Ep. I, 11, 5.
Atticus: virgo Sat. II, 8, 13. fines Carm. I, 3, 6.
Attilius, *vid.* Regulus.
auctoramentum Sat. II, 7, 58. Ep. I, 6.
Aufidius Luscus, *homo gulosus*, Sat. I, 5, 34. — II, 4, 24.
Aufidus, *Apuliae fluvius*, Carm. III, 30, 10. IV, 9, 2. 14, 25. Sat. I, 1, 58.
Augustus Carm. II, 9, 19. III, 3, 11. 5, 3. IV, 2, 43. 4, 27. Ep. I, 3, 2. 7. 13, 2. 16, 29. *ad eum scripta* Carm. I, 2. 12. IV, 5. 14. 15. Ep. II, 1. *in eius reditum ex Hispania* Carm. III, 14. *cf.* Caesar.
aulaea Carm. III, 29, 15. Sat. II, 8, 54. Ep. II, 1, 189. 3, 154.
Aulis, *Boeotiae urbs*, Sat. II, 3, 199.
Aulon, *convallis agri Tarentini*, Carm. II, 6, 18.
Aulus Cascellius Ep. II, 3, 371. — *Servii Oppidii filius*, Sat. II, 3, 171.
Ausonius: urbes Carm. IV, 4, 56.
auspicium Carm. I, 7, 27. II, 15, 12. IV, 14, 16. Ep. I, 1, 86. II, 1, 254.
Auster, *ventus*, Carm. II, 14, 16. III, 3, 4. 27, 22. IV, 14, 21. Epod. 10, 4. Sat. I, 1, 6. II, 2, 41. 6, 18. 8, 6. Ep. I, 11, 15.
Aventinus, *Romae mons*, C. S. 69. Ep. II, 2, 69.
Avernalis: aquae Epod. 5, 26.
Avidienus, cui Canis cognomen, Sat. II, 2, 55.

Babylonius: numeri Carm. I, 11, 2.
Bacchae Carm. III, 25, 15. *cf.* Evias, Thyias.
Bacchius, *gladiator*, Sat. I, 7, 20.
Bacchus Carm. I, 7, 3. 18, 6. 27, 3. II, 6, 19. 19, 1. 6. III, 3, 13. 16, 34. Sat. I, 3, 7. Ep. II, 2, 78. *ad eum scriptum* Carm. III, 25. cf. I, 19, 2. Epod. 11, 13. Ep. II, 3, 239. *etv.* Bassareus, Evius, Lenaeus, Liber, Lyaeus, Thyoneus.
Bactra, *urbs Bactrianae, Persica*, Carm. III, 29, 28.
Baiae, *Campaniae urbs*, Carm. II, 18, 20. III, 4, 24. Ep. I, 1, 83. 15, 2. 12. Baianus: murex Sat. II, 4, 32.
balanus, *glans unguentaria*, Carm. III, 29, 4.
Balatro, *Servilius*, Sat. II, 8, 21. 33. 40. 64. 83.
Balbinus Sat. I, 3, 40.
balnea, *publica*, Sat. I, 3, 137. *cf.* Ep. I, 1, 92. 11, 13. 14, 15. II, 3, 298.
Bandusiae fons, *in agro Sabino*, Carm. III, 13, 1.
Bantinus: saltus (*in Apulia*) Carm. III, 4, 15.
barba, *philosophorum*, Sat. I, 3, 133. Ep. II, 3, 298.
Barbaria = *Phrygia* Ep. I, 2, 7.
barbitos Carm. I, 1, 34. 32, 4. III, 26, 4.
Barine, *amica, ad quam scriptum* Carm. II, 8.
Barium, *Apuliae urbs*, Sat. I, 5, 97.
Barrus Sat. I, 6, 30. Barri I, 7, 8.
Barus Sat. I, 4, 110.
Bassareus = *Bacchus* Carm. I, 18, 11.
Bassus, *potator famosus*, Carm. I, 36, 14.
Bathyllus Samius Epod. 14, 9.
Bellerophon, *Sisyphi nepos*, Carm. III, 7, 15. 12, 8. IV, 11, 28.
Bellona Sat. II, 3, 223.
Beneventum, *Hirpinorum urbs*, Sat. I, 5, 71.
Berecyntius: cornu Carm. I, 18, 13. tibia III, 19, 18. IV, 1, 22.
Bestius, avarus, Ep. I, 15, 37.
Bibaculus, *Furius, ineptus poeta, qui ab inepto versu* Alpini *cognomen accepit*, Sat. I, 10, 36. II, 5, 41. *Cf. Weicherti poet. lat. reliq.* p. 335 sqq.
Bibulus, *M. Calpurnius*, Carm. III, 28, 8. — *Horatii amicus* Sat. I, 10, 86.
bidental Ep. II, 3, 471.
Bionei sermones, *satirae acerbissimae, quas scripsisse dicitur Bion Borysthenites, philosophus Cyrenaicus*, Ep. II, 2, 60.
Birrius, *latro*, Sat. I, 4, 69.
Bistonides, *mulieres Thraciae s. Bacchae*, Carm. II, 19, 20.
Bithus, *gladiator*, Sat. I, 7, 20.
Bithynus: carina Carm. I, 35, 7. negotia Ep. I, 6, 33.
Boeoti Ep. II, 1, 244.
Bolanus cerebri felix, *homo calidi ingenii, qui solebat quemvis in faciem reprehendere*, Sat. I, 9, 11.

oreas, *ventus*, Carm. III, 24, 38.
osporus, *Thracius*, Carm. II, 13, 14. 20, 14. III, 4, 30.
reuni, *gens Vindeliciae*, Carm. IV, 14, 11.
riseis, *Achillis serva*, Carm. II, 4, 3.
ritannus Epod. 7, 7. Britanni Carm. I, 21, 15. 35, 30. III, 4, 33. 5, 3. IV, 14, 48.
rundisium, *Calabriae urbs*, Sat. I, 5, 104. Ep. I, 17, 52. 18, 20.
rutus, *M. Iunius*, Carm. II, 7, 2. Sat. I, 7, 18. 24. 33.
ullatius: *ad eum scripta* Ep. I, 11.
upalus: acer hostis (*Hipponax*) Bupalo Epod. 6, 14.
utra, *conviva Horatii*, Ep. I, 5, 26.
yzantius: orca Sat. II, 4, 66.

admus, *carnifex*, Sat. I, 6, 39.
admus, *Thebarum conditor*, Ep. II, 3, 187.
aecilius, *Statius, C., poeta comicus*, Ep. II, 1, 59. 3, 54.
aecubum (*vinum*) Carm. I, 20, 9. 37, 5. II, 14, 25. III, 28, 3. Epod. 9, 1. 36. Caecuba vina Sat. II, 8, 15.
aelius, *latro*, Sat. I, 4, 69.
aeris cera Ep. I, 6, 62.
aesar, *Octavianus*, Carm. I, 2, 52. 6, 11. 12, 51. 52. 21, 14. 35, 29. 37, 16. II, 9, 20. 12, 10. III, 4, 37. 14, 3. 16. 25, 4. IV, 2, 48. 5, 16. 27. 15, 4. 17. Epod. 1, 3. 9, 2. 18. 37. Sat. I, 3, 4. II, 1, 11. 19. 84. Ep. I, 5, 9. 12, 28. 13, 18. II, 1, 4. 2, 48. *cf.* Augustus.
aesar, *C. Iulius:* Caesaris ultor Carm. I, 2, 44. horti Sat. I, 9, 18.
alabria, *Italiae regio*, Carm. I, 31, 5. Calaber: hospes Ep. I, 7, 14. saltus II, 2, 177. sinus Carm. I, 33, 16. apes III, 16, 33. Pierides IV, 8, 20. pascua Epod. 1, 27.
alais, filius Ornyti, Carm. III, 9, 14.
alcei, *senatorum*, Sat. I, 6, 27. laxi I, 3, 32. Ep. I, 10, 42.
alendae Carm. III, 8, 1. Epod. 2, 70. Sat. I, 3, 87.
ales, *Campaniae urbs*, Carm. IV, 12, 14. Calenus: falx I, 31, 9. praelum I, 20, 9.
alices Sat. II, 4, 79. 6, 68. 8, 35. Ep. I, 5, 19.
Callimachus, *poeta Cyrenaeus*, Ep. II, 2, 100. *exprimitur* Sat. I, 2, 105.
Calliope, *Musa: ad eam scriptum* Carm. III, 4.
calones Sat. I, 2, 44. 6, 103. Ep. I, 14, 42.
Calvus, *C. Licinius, orator et poeta, Catulli amicus*, Sat. I, 10, 19.
Camena = *Musa* Carm. I, 12, 39. Ep. I, 1, 1. Camenae II, 16, 38. III, 4, 21. IV, 6, 27. 9, 8. C. S. 62. Sat. I, 10, 45. Ep. I, 18, 47. 19, 5. II, 3, 275.
Camillus, *M. Furius*, Carm. I, 12, 42. Ep. I, 1, 64.
Campanus: morbus Sat. I, 5, 62. pons I, 5, 45. supellex I, 6, 118. trulla II, 3, 144. agri II, 8, 56.
campus (*Martius*) Carm. I, 8, 4. 9, 18. III, 1, 11. Sat. I, 1, 91. 6, 126. II, 3, 55. 6, 49. Ep. I, 7, 59. 11, 4. II, 3, 162.
canephorae Sat. II, 8, 13.
Canicula, *sidus*, Carm. I, 17, 17. III, 13, 9.
Canidia, *mulier venefica*, Epod. 3, 8. 5, 15 sqq. 12, 1. Sat. I, 8, 24. 48. II, 1, 48. 8, 95. *ad eam scr.* Epod. 17.
canis = *caniculae sidus* Sat. I, 7, 25. Ep. I, 10, 16. [56.
Canis, *Avidieni cognomen*, Sat. II, 2,
Cantaber (= *Cantabri, Hispaniae populus*) Carm. II, 6, 2. 11, 1. III, 8, 22. IV, 14, 41. Ep. I, 12, 26. Cantabricus: bella Ep. I, 18, 55.
cantharus Carm. I, 20, 2. Ep. I, 5, 23.
Canusium, *Apuliae urbs*, Sat. I, 5, 91. II, 3, 168. Canusinus: bilinguis I, 10, 30.
Capito, *Fonteius*, ad unguem factus homo Sat. I, 5, 32.
Capitolinus, *fur*, Sat. I, 4, 94. 96. 10, 26.
Capitolium Carm. I, 37, 6. III, 3, 42. 24, 45. 30, 8. IV, 3, 9.
Cappadoces = *servi* Ep. I, 6, 39.
Capra, *sidus*, Carm. III, 7, 6.
Capricornus, *sidus*, Carm. II, 17, 20.
Caprius, *caussidicus*, Sat. I, 4, 66.
capsae Sat. I, 4, 22.
Capua, *Campaniae urbs*, Epod. 16, 5. Sat. I, 5, 47. Ep. I, 11, 11.
cardiacus Sat. II, 3, 161.
Carinae, *vicus Romae*, Ep. I, 7, 48.

Carpathius: mare Carm. IV, 5, 10. pelagus I, 35, 8.
Carthago Carm. III, 5, 39. IV, 4, 69. 8, 17. Epod. 7, 5. 9, 25. Sat. II, 1, 66.
Cascellius Aulus, *iuris consultus*, Ep. II, 3, 371. *Cf. Weicherti lect. Venus.* p. 22. 52 sqq.
Caspium mare Carm. II, 9, 2.
Cassius Etruscus Sat. I, 10, 62.
Cassius Parmensis, *poeta tragicus et elegiacus*, Ep. I, 4, 3. *Cf. Weichert de L. Varii et Cassii Parmensis vita et carmm.*, *Grim.* 1836.
Cassius Severus: *ad eum scr.* Epod. 6.
Castalia, *fons Musis sacer*, Carm. III, 4, 61.
Castor, *Iovis ex Leda filius*, Carm. IV, 5, 35. Epod. 17, 42. 43. Sat. II, 1, 26. Ep. II, 1, 5.
Castor, *gladiator*, Ep. I, 18, 19.
catellus (*vox blanda*) Sat. II, 3, 259.
Catia, *mulier impudica*, Sat. I, 2, 95.
Catienus, *histrio*, Sat. II, 3, 61.
catillus Evandri manibus tritus Sat. I, 3, 90.
Catilus, *Tiburis conditor*, Carm. I, 18, 2.
Catius Sat. II, 4, 1. 88.
Cato, *M. Porcius, Censorius*, Carm. II, 15, 11. III, 21, 11. Sat. I, 2, 32. (10, 1.) Ep. II, 2, 117. 3, 56.
Cato, *M. Porcius, Uticensis*, Carm. I, 12, 35. II, 1, 24. Ep. I, 19, 13. 14.
Catullus, *poeta*, Sat. I, 10, 19.
Caucasus, *mons*, Carm. I, 22, 7. Epod. 1, 12.
caudam trahere Sat. II, 3, 53.
Caudium, *Hirpinorum oppidum*, Sat. I, 5, 51.
Cecropius (= *Atheniensis*): cothurnus Carm. II, 1, 12. domus IV, 12, 6.
Celsus, *poeta plagiarius*, Ep. I, 3, 15. — *Cf.* Albinovanus.
Censorinus, C. Marcius: *ad eum scriptum* Carm. IV, 8.
Centaurus = *Chiron* Epod. 13, 11. Centauri Carm. IV, 2, 15. Centaureus: rixa I, 18, 8.
Cepheus, *Andromedae pater*, Carm. III, 29, 12.
Cerberus Carm. II, 19, 29. III, 11. 17. *cf.* II, 13, 34.
Ceres Carm. III, 2, 26. 24, 13. IV, 5, 18. C. S. 30. Epod. 16, 43. Sat. II, 2, 124. 8, 14.
Cerinthus, *puer formosus*, Sat. I, 2, 81.
Cervius, *calumniator*, Sat. II, 1, 47.
Cervius, *Horatii in Sabinis vicinus*, Sat. II, 6, 77.
cetaria Sat. II, 5, 44.
Cethegus, *M. Cornelius:* Cethegi cinctuti Ep. II, 3, 50. prisci II, 2, 117.
Ceus: naenia Carm. II, 1, 38. Camenae IV, 9, 7. [145.
Charybdis Carm. I, 27, 19. Ep. II, 3,
Chia, *puellae nomen*, Carm. IV, 13, 7.
Chimaera, *monstrum*, Carm. I, 27, 24. II, 17, 13. IV, 2, 16.
Chios, *insula*, Ep. I, 11, 1. 21. Chius: cadus Carm. III, 19, 5. vinum Epod. 9, 34. Chium (*vinum*) Sat. I, 10, 24. II, 3, 115. 8, 15. 48.
chlamys Ep. I, 6, 40. 44. 17, 31.
Chloe Carm. III, 7, 10. 9, 6. *ad eam scriptum* I, 23.
Chloris Carm. II, 5, 18. *ad eam scriptum* III, 15.
Choerilus, *Iasensis, Alexandri M. comes*, Ep. II, 1, 233. 3, 357.
chorus tragoediae Ep. II, 1, 134. 3, 193. 204. 283.
Chremes, *persona comica*, Epod. 1, 33. Sat. I, 10, 40. Ep. II, 3, 94.
Chrysippus, *stoicus*, Sat. I, 3, 127. II, 3, 44. 287. Ep. I, 2, 4.
ciborium Carm. II, 7, 22.
Cibyraticus (=*Phrygius*): negotia Ep. I, 6, 33. [52.
Cicirrus Messius, *scurra*, Sat. I, 5,
Cicuta, *fenerator*, Sat. II, 3, 69. 175.
cicuta Epod. 3, 3. Sat. II, 1, 56. Ep. II, 2, 53.
cinctutus Ep. II, 3, 50.
Cinara, *Horatii amica*, Carm. IV, 1, 4. 13, 21. Ep. I, 7, 28. 14, 33.
ciniflones Sat. I, 2, 98.
cippus Sat. I, 8, 12.
Circe, *Solis filia*, Carm. I, 17, 20. Epod. 17, 17. Ep. I, 2, 23. Circaeus: moenia (*Tusculum ab eius filio conditum*) Epod. 1, 30.
Circeii, *Latii urbs*, Sat. II, 4, 33.
circus Sat. I, 6, 113. II, 3, 183.
cithara Carm. I, 15, 15. 24, 4. 31, 20. II, 10, 18. 12, 4. III, 1, 20. 4, 4. 9, 10. 15, 14. Sat. II, 3, 104. 105. Ep. I, 2, 31.

rea trabs Carm. IV, 1, 20.
thri caveae Ep. II, 3, 473.
udius Nero, *Tiberius*, Carm.
, 14, 29. Ep. I, 3, 2. 8, 2. 12, 26.
, 2, 1. Claudius: manus Carm.
, 4, 73. *ad eum scr.* Ep. I, 9.
vus trabalis Carm. I, 35, 18. to-
ıe Sat. I, 5, 36. 6, 25. 28. II, 7, 10.
ızomenae, *Ioniae urbs*, Sat. I,
5.
o, *Musa*, Carm. I, 12, 2.
vus sacer Carm. IV, 2, 35.
ısini fontes (*in Etruria*) Ep. I,
), 9.
idos, *Cariae urbs*, Carm. I, 30, 1.
II, 28, 13. Cnidius: Gyges II, 5, 20.
osius (= *Creticus*): calamus
arm. I, 15, 17.
actor Sat. I, 6, 86.
cccius, *Nerva*, *iurisconsultus*,
at. I, 5, 28. 32.
ccum Sat. II, 6, 102. [18.
cytus, *Orci fluvius*, Carm. II, 14,
ıdrus, *Atticae rex*, Carm. III, 19, 2.
ena dubia Sat. II, 2, 77.
gnitor, *in iudicio*, Sat. II, 5, 38.
hors, *amicorum et comitum*, Sat.
, 7, 23. Ep. I, 3, 6. 8, 14.
ılchi Carm. IV, 4, 63. Colchus
I, 20, 17. Ep. II, 3, 118. Colchus:
enena Carm. II, 13, 8. Colchis =
Medea Epod. 16, 58.
llyrium Sat. I, 5, 30.
ılophon, *Ioniae urbs*, Ep. I, 11, 3.
ımati, *amasii et meretrices*, Carm.
I, 5, 23.
ımites, *magistratuum provincia-
ium*, Ep. I, 3, 6. 8, 2.
ımoedia, *qualis apud Romanos
exstiterit*, Ep. II, 1, 168 sqq. *eius ori-
gines apud Graecos* Ep. II, 3, 281 sqq.
Graeca Sat. I, 4, 2. 45. 10, 16.
oncanus (= *Concani*, *Hispaniae
populus*) Carm. III, 4, 34.
ıngius, *vid.* urna.
ınopium Epod. 9, 16. [314.
ınscriptus = *senator* Ep. II, 3,
opia pleno cornu beata C. S. 60.
Ep. I, 12, 29.
oranus Sat. II, 5, 57. 64.
orinthus, *Graeciae urbs*, Carm.
I, 7, 2. Ep. I, 17, 36. II, 1, 193.
ornu copiae Carm. I, 17, 16. C. S.
60. Ep. I, 12, 29.
orvinus, *vid.* Messalla.
Corybantes, *Cybeles ministri*,
Carm. I, 16, 8.
Corycius: crocus Sat. II, 4, 68.
cothurnus, *actorum tragicorum*,
Carm. II, 1, 12. Sat. I, 5, 64. Ep. II,
3, 80. 280. [18.
Cotiso, *Dacorum rex*, Carm. III, 8,
Cotyttia, *sacra arcana*, Epod. 17, 56.
Cous: Amyntas Epod. 12, 18. fac-
cula Sat. II, 8, 9. album (*vinum*) II,
4, 29. purpurae Carm. IV, 13, 13.
Coa (*vestimenta pellucida*) Sat. I, 2,
101.
Cragus, *Lyciae mons*, Carm. I, 21, 8.
Crantor, *philosophus academicus*,
Ep. I, 2, 4.
Crassus, *M. Licinius*, Carm. III, 5, 5.
Craterus, *medicus*, Sat. II, 3, 161.
Cratinus, *antiquae comoediae gr.
poeta*, Sat. I, 4, 1. Ep. I, 19, 1.
Creon, *Corinthi rex*, Epod. 5, 64.
crepidae Sat. I, 3, 127.
Creta, *insula*, Carm. III, 27, 34.
Epod. 9, 29. Creticum mare
Carm. I, 26, 2. Cressa nota I, 36, 10.
Crispinus, *philosophus ineptus*, Sat.
I, 1, 120. 3, 139. 4, 14. II, 7, 45.
Croesus, *Lydiae rex*, Ep. I, 11, 2.
culullus Carm. I, 31, 11. Ep. II, 3,
434. [11.
Cumae, *Campaniae urbs*, Ep. I, 15,
Cupido, *deus*, Carm. I, 2, 34. 19, 1.
II, 8, 14. Cupidines Carm. IV, 1, 5.
13, 5. Epod. 17, 57.
Cupiennius, *Libo*, *Cumanus*, *Au-
gusti familiaris*, Sat. I, 2, 36.
Curius, *Dentatus*, *M.*, Carm. I, 12,
41. Ep. I, 1, 64.
Curtillus, *heluo*, Sat. II, 8, 52.
custodes, *feminarum*, Sat. I, 2, 98.
puerorum s. paedagogi Sat. I, 4, 118.
6, 81. Ep. II, 3, 161.
cyathus, *duodecima pars ampho-
rae*, Carm. I, 29, 8. III, 8, 13. 19, 12.
14. Sat. I, 1, 55. 6, 117.
Cyclades, *maris Aegaei insulae*,
Carm. I, 14, 20. III, 28, 14.
cyclicus scriptor (*poeta*) Ep. II, 3,
136.
Cyclops = *Polyphemus* Ep. II, 3,
145. *saltando repraesentatus* Sat. I,
5, 63. Ep. II, 2, 125. Cyclopes
Carm. I, 4, 7.
Cydonius (= *Creticus*) arcus Carm.
IV, 9, 17.

Cylleneus: fides (= *inventa a Mercurio in Cyllene monte nato*) Epod. 13, 9.
cynicus mordax Ep. I, 17, 18.
Cynthius = *Apollo* Carm. I, 21, 2. Cynthia = *Diana* III, 28, 12.
Cyprus, *insula*, Carm. I, 3, 1. 19, 10. 30, 2. III, 26, 9. Cyprius: trabs I, 1, 13. merces III, 29, 60.
Cyrus, *regni Persici conditor*, Carm. II, 2, 17. III, 29, 27.
Cyrus, *iuvenis protervus*, Carm. I, 17, 25. 33, 6.
Cytherea = *Venus* Carm. III, 12, 3. Cytherea Venus I, 4, 5.

Dacus Carm. I, 35, 9. II, 20, 18. III, 6, 14. 8, 18. Daci Sat. II, 6, 53.
Daedalus, *artifex Cretensis*, Carm. I, 3, 34. Daedaleus: Icarus II, 20, 13. ops IV, 2, 2.
Dalmaticus triumphus, *Pollionis*, Carm. II, 1, 16.
Dama, *servi nomen*, Sat. I, 6, 38. II, 5, 18. 101. 7, 54.
Damalis, *puella lasciva*, Carm. I, 36, 13. 17. 18.
Damasippus, *Licinius*, Sat. II, 3, 16. 25. 64. 65. 324.
Danae, *Acrisii filia*, Carm. III, 16, 1.
Danaus, *Beli filius*: *eius* genus infame Carm. II, 14, 18. puellae III, 11, 23.
Danubius, *fluvius*, Carm. IV, 15, 21.
Dardanus (= *Troianus*): gens Carm. I, 15, 10. turres IV, 6, 7.
Daunus, *Apuliae rex*, Carm. III, 30, 11. IV, 14, 26. Daunius: caedes II, 1, 34. Camena IV, 6, 27. Daunias (*Apulia*) I, 22, 14.
Davus, *persona comica*, Sat. I, 10, 40. II, 5, 91. Ep. II, 3, 114. 237.
Davus, *Horatii servus*, Sat. II, 7, 2. 46. 100.
December Carm. III, 18, 10. Epod. 11, 5. Sat. II, 7, 4.
Decius, *homo novus*, Sat. I, 6, 20.
declamare Ep. I, 2, 2.
Deiphobus, *Priami filius*, Carm. IV, 9, 22.
Dellius, Q.: *ad eum scriptum* Carm. II, 3.
Delos, insula, Carm. I, 21, 10. Delius: Apollo III, 4, 64. dea IV, 6, 33. folia IV, 3, 6.
Delphi, *Phocidis urbs cum oraculo Apollinis*, Carm. I, 7, 3. Ep. II, 3, 219. Delphicus: laurus Carm. III, 30, 15.
Demetrius, *modulator*, Sat. I, 10, 79. 90. [52.
Demetrius, *Philippi servus*, Ep. I, 7,
Democritus, *philosophus*, Ep. I, 12, 12. II, 1, 194. 3, 297.
designator, *in re funebri*, Ep. I, 7, 6.
Diana Carm. II, 12, 20. III, 4, 71. IV, 7, 25. C. S. 1. 70. 75. Epod. 5, 51. 17, 3. Ep. II, 3, 16. 454. *ad eam scriptum* Carm. I, 21. III, 22. IV, 6. *cf.* Cynthia.
dictare: *de magistro* Ep. II, 1, 71. *cf.* Sat. I, 4, 10. 10, 75. *de feneratore* Sat. II, 3, 76.
didactrum Sat. I, 6, 75.
Diespiter = *Iuppiter* Carm. I, 34, 5. III, 2, 29.
Digentia, *rivus in villa Horatii*, Ep. I, 18, 104.
Dindymene = *Cybele* Carm. I, 16, 5.
Diomedes, *Tydei filius*, Sat. I, 5, 92. 7, 16. Ep. II, 3, 146.
Dionaeus (*Venereus*): antrum Carm. II, 1, 39.
Dionysius Sat. I, 6, 38.
Dircaeus: cycnus (= *Pindarus*) Carm. IV, 2, 25.
Dolichos, *gladiator*, Ep. I, 18, 19.
dolium Carm. III, 11, 27. Epod. 2, 47.
Dorius: carmen Epod. 9, 6.
Dossennus, *Fabius, incertae aetatis poeta*, Ep. II, 1, 173.
drachma Sat. II, 7, 43.
Drusus, *Claudius Nero, Rhaetiae et Vindeliciae gentes devincit*, Carm. IV, 4, 18. 14, 10.

echinus, *vasculum epulare*, Sat. I, 6, 117. II, 8, 52.
Echionius: Thebae (*dictae ab uno Spartorum superstite, Echione*) Carm. IV, 4, 64.
Edoni, *Thraciae populus*, Carm. II, 7, 27.
Egeria, *nympha*, Sat. I, 2, 126.
Electra, *Orestis soror*, Sat. II, 3, 140.
elegi: *auctor eorum incertus*, Ep. II, 3, 77.
elementa, *prima litterarum*, Sat. I, 1, 26.
Eleus: palma Carm. IV, 2, 17.

Empedocles, *Agrigentinus, poeta et philosophus*, Ep. I, 12, 20. II, 3, 465.
Enceladus, *gigas*, Carm. III, 4, 56.
Enipeus, *Asteriae amator*, Carm. III, 7, 23.
Ennius, *Q., poeta nobilissimus*, Sat. I, 10, 54. Ep. I, 19, 7. II, 1, 50. 3, 56. 259.
Eous: fluctus Epod. 2, 51. partes Carm. I, 35, 31.
Ephebi Ep. II, 1, 171.
Ephesus, *Ioniae urbs*, Carm. I, 7, 2.
Epicharmus Siculus, *poeta comicus*, Ep. II, 1, 58.
Epicurus, *philosophus*, Ep. I, 4, 16.
Epidaurius: serpens Sat. I, 3, 27.
equester annulus Sat. II, 7, 53. census Ep. II, 3, 383. [3, 248.
equitare in arundine longa Sat. II, 3, 252.
eruca Sat. II, 8, 51.
Erycina = *Venus* (*ab Eryce monte Siciliae dicta*) Carm. I, 2, 33.
Erymanthus, *Arcadiae mons*, Carm. I, 21, 7.
Esquiliae, *Romae collis*, Sat. I, 8, 14. II, 6, 33. Esquilinus: venificium Epod. 17, 58. alites 5, 100.
Etruscus: Cassius Sat. I, 10, 61. manus Epod. 16, 4. litus Carm. I, 2, 14. C. S. 38. Epod. 16, 40. mare Carm. III, 29, 35. fines Sat. I, 6, 1.
Eumenides = *Furiae* Carm. II, 13, 36. [1. II, 3, 12.
Eupolis, *poeta comicus*, Sat. I, 4, 1.
Europa, *terra*, Carm. III, 3, 47.
Europe, *Agenoris filia*, Carm. III, 27, 25. 57.
Eurus, *ventus*, Carm. II, 16, 24. III, 17, 11. IV, 4, 43. 6, 10. Epod. 10, 5. 16, 54.
Euterpe, *Musa*, Carm. I, 1, 33.
Eutrapelus, *P. Volumnius*, *eques Romanus*, Ep. I, 18, 31.
Evander, *caelator*, Sat. I, 3, 91.
Evius = *Bacchus* Carm. I, 18, 9. II, 11, 17. Evias = *Baccha* III, 25, 9.

Fabia, *tribus*, Ep. I, 6, 52.
Fabius, loquax, Sat. I, 1, 14. Fabio vel iudice vincam I, 2, 134.
Fabricius, *Luscinus*, *C.*, Carm. I, 12, 40.
Fabricius pons Sat. II, 3, 36.
Falernus: fundus Epod. 4, 13. faex Sat. II, 4, 55. mustum II, 4, 19. uvae Carm. II, 6, 19. vites I, 20, 10. III, 1, 43. Falernum (*vinum*) I, 27, 10. II, 3, 8. 11, 19. Sat. I, 10, 24. II, 2, 15. 3, 115. 4, 24. 8, 16. Ep. I, 14, 34. 18, 91.
Fannius, *Quadratus:* beatus ultro delatis capsis et imagine Sat. I, 4, 21. ineptus Hermogenis conviva Tigelli I, 10, 80.
far pium Carm. III, 23, 20.
fartores, *qui suillas vendunt et ex iis faciunt salsitias*, Sat. II, 3, 229.
Fatum Carm. II, 17, 24.
Faunus, *deus agrestis*, Carm. I, 4, 11. 17, 2. II, 17, 28. III, 18, 1. Fauni Ep. I, 19, 4. II, 3, 244.
Fausta, *Sullae filia*, Sat. I, 2, 64.
Faustitas Carm. IV, 5, 18.
Favonius, *ventus*, Carm. I, 4, 1. III, 7, 2.
febrium cohors Carm. I, 3, 30.
Ferentinum, *Hernicorum oppidum*, Ep. I, 17, 8.
feriae Latinae Ep. I, 7, 76. *puerorum* Sat. I, 6, 74. [I, 5, 24.
Feronia, *prisca Italorum dea*, Sat.
ferula caedi Sat. I, 3, 120.
Fescennina licentia Ep. II, 1, 145.
Fidenae, *Latii urbs*, Ep. I, 11, 8.
Fides Carm. I, 18, 16. 24, 7. 35, 21. III, 24, 59. IV, 5, 20.
Flaccus, *Horatius*, Epod. 15, 12. Sat. II, 1, 18. *cf.* Horatius.
Flavius, *ludimagister*, Sat. I, 6, 72.
flores, *in conviviis*, Carm. II, 3, 14 al.
Florus, Iulius: *ad eum scr.* Ep. I, 3. II, 2. *Cf. Weicherti poet. lat. reliq. p.* 365 *sqq.* [25.
fluvii, *tauriformes*, Carm. IV, 14,
foenum, *in cornu boum*, Sat. I, 4, 34.
Folia Ariminensis Epod. 5, 42.
fomenta Sat. I, 1, 82. Ep. I, 2, 52. 3, 26.
Fonteius Capito, *C.*, ad unguem factus homo, Sat. I, 5, 32.
Forentum, *Apuliae urbs*, Carm. III, 4, 16.
Formiae, *Latii urbs*, Carm. III, 17, 6. Formianus: colles I, 20, 11.
fors Carm. I, 28, 31. Sat. II, 1, 59. 6, 10.
Fortuna Carm. I, 34, 14. II, 1, 3. III, 29, 49. IV, 14, 37. Epod. 4, 6. Sat. II, 2, 126. 6, 49. 8, 61. Ep. I, 1, 68. 11, 20. *ad eam scr.* Carm. I, 35.
Fufidius, *fenerator*, Sat. I, 2, 12.

Fufius, *histrio*, Sat. II, 3, 60.
Fulvius, *gladiator*, Sat. II, 7, 96.
Fundanius, *C., poeta comicus*, Sat. I, 10, 42. II, 8, 19.
Fundi, *Latii urbs*, Sat. I, 5, 34.
furcifer Sat. II, 7, 22.
Furia Sat. II, 3, 141. Furiae Carm. I, 28, 17. Sat. I, 8, 45. II, 3, 135. furialis: caput Carm. III, 11, 17. *cf.* Eumenides.
Furius, *vid.* Bibaculus. [86.
Furnius, *Horatii amicus*, Sat. I, 10,
Fuscus, *vid.* Aristius.

Gabii, *Latii urbs*, Ep. I, 11, 7. 15, 9. II, 1, 25. 2, 3. [2, 11. 6, 1.
Gades, *Hispaniae urbs*, Carm. II,
Gaetulus: leo Carm. I, 23, 10. murex Ep. II, 2, 181. leaena Carm. III, 20, 2. Syrtes II, 20, 15.
Galaesus, *Calabriae fluvius*, Carm. II, 6, 10.
Galatea: *ad eam scr.* Carm. III, 27.
Galba, *Ser.*, Sat. I, 2, 46. (*num iuris consultus intelligatur, disceptarunt Weichert. lect. Venus. p.* 19 *sq. et Estré Prosopogr. Horat. p.* 191 *sqq.*).
Galli = *Galliae incolae* Sat. II, 1, 14. = *Gallo-Graeci* Epod. 9, 18. = *Cybeles sacerdotes* Sat. I, 2, 121.
Gallia Carm. IV, 14, 49. Gallicus: ora Carm. I, 8, 6. pascua III, 16, 35.
Gallina, *gladiator*, Sat. II, 6, 44.
Gallonius, *praeco*, Sat. II, 2, 47.
Ganymedes, *a Iove raptus*, Carm. IV, 4, 4. cf. III, 20, 16.
Garganus, *Apuliae mons*, Carm. II, 9, 7. Garganum nemus Ep. II, 1, 202.
Gargilius Ep. I, 6, 58.
Gargonius Sat. I, 2, 27. 4, 92.
gausape Sat. II, 8, 11.
Geloni, *gens Scythica*, Carm. II, 9, 23. 20, 19. III, 4, 35.
Genauni, *gens Rhaetica*, Carm. IV, 14, 10.
Genitalis = *Lucina* C. S. 16.
Genius Carm. III, 17, 14. Ep. I, 7, 94. II, 1, 144. 2, 187. 3, 210.
genua, *hominum roboris sedes*, Epod. 13, 4. [16, 7.
Germania Carm. IV, 5, 26. Epod.
Geryon, *rex Hispanus*, ter amplus Carm. II, 14, 8.
Getae, *gens Thracia*, Carm. III, 24, 11. IV, 15, 22.
Gigantes Carm. II, 19, 22. cf. III, 4, 43. Giganteus: triumphus III, 1, 7.
Glaucus Lycius Sat. I, 7, 17.
Gloria Sat. I, 6, 23. I, 18, 22. Ep. II, 1, 177.
Glycera, *Horatii amica*, Carm. I, 30, 3. III, 19, 28. *ad eam scr.* I, 19. — *Tibulli amica* I, 33, 2.
Glycon, *athleta*, Ep. I, 1, 30.
Gnatia, *Apuliae oppidum*, Sat. I, 5, 97.
Graecia Carm. I, 15, 6. IV, 5, 35. Ep. I, 2, 7. II, 1, 93. 156. Graecus Sat. I, 7, 32. Graeci I, 5, 3. 10, 35. 66. Graecus: Aristippus Sat. II, 3, 100. fons Ep. II, 3, 53. trochus Carm. III, 24, 57. testa I, 20, 2. versiculi Sat. I, 10, 31. chartae Ep. II, 1, 161. literulae II, 2, 7. exemplaria II, 3, 268. verba Sat. I, 10, 20. vestigia Ep. II, 3, 286. — Graii Carm. II, 4, 12. IV, 8, 4. Ep. II, 1, 19. 28. 29. 2, 42. 3, 323. Graius: manus Epod. 10, 12. Camenae Carm. II, 16, 38. [78.
grammatici Ep. I, 19, 40. II, 3,
Gratia Carm. III, 19, 16. IV, 7, 5. Gratiae I, 4, 6. 30, 6. III, 21, 22.
Grosphus Pompeius Ep. I, 12, 22. *ad eum scr.* Carm. II, 16.
Gyas, *unus e gigantibus*, Carm. II, 17, 14. III, 4, 69. [7, 5.
Gyges Cnidius Carm. II, 5, 20. III,

Hadria = *mare Hadriaticum* Carm. I, 3, 15. 33, 15. II, 11, 2. 14, 14. III, 3, 5. 9, 23. 27, 19. Ep. I, 18, 63. Hadrianum mare Carm. I, 16, 4.
Haemonia = *Thessalia* Carm. I, 37, 20. [12, 6.
Haemus, *Thraciae mons*, Carm. I,
Hagna Sat. I, 3, 40.
Hannibal Carm. II, 12. 2. III, 6, 36. IV, 4, 49. (cf. v. 42.) 8, 16. Epod. 16, 8.
harmonia: *eius genera* Epod. 9, 5.
Harpyiae Sat. II, 2, 40.
Hasdrubal Carm. IV, 4, 38. 72.
Hebrus, *adolescens formosus*, Carm. III, 12, 6.
Hebrus, *Thraciae fluvius*, Carm. I, 25, 20. III, 25, 10. Ep. I, 3, 3. 16, 13.
Hecate Sat. I, 8, 33.

ector Carm. II, 4, 10. IV, 9, 22. Epod. 17, 12. Sat. I, 7, 12. Hectoreus: opes Carm. III, 3, 28.
elena Carm. I, 3, 2. 15, 2. IV, 9, 6. Epod. 17, 42. Sat. I, 3, 107.
elicon, *Boeotiae mons, Musis sacer*, Carm. I, 12, 5. Ep. II, 1, 218. 3, 296.
eliodorus, *rhetor doctissimus*, Sat. I, 5, 2.
ellas, *puella*, Sat. II, 3, 277.
elleborus Sat. II, 3, 82. Ep. II, 2, 137.
ercules Carm. III, 3, 9. 14, 1. IV, 4, 62. 5, 36. 8, 30. Epod. 3, 17. 17, 31. Sat. II, 6, 13. Ep. I, 1, 5. cf. II, 1, 10. Herculeus: labor Carm. I, 3, 36. manus II, 12, 6.
ermogenes Sat. I, 3, 129. 4, 72. 9, 25. 10, 18. 80. *Ceterum distinguendum est inter Tigellium Hermogenem cantorem et modulatorem, Horatii aequalem tum adhuc vivum, et Tigellium Sardum, cantorem vita defunctum. Vid. Kirchneri quaestt. Hor. p. 42 sqq.*
erodes, *Iudaeae rex*, Ep. II, 2, 184.
esperia = *Italia* Carm. III, 6, 8. IV, 5, 38. = Hispania I, 36, 4. Hesperius (*de Italia*): fluctus I, 28, 26. ruinae II, 1, 32. (*de Hispania*) unda II, 17, 20. cubile IV, 15, 16.
iberia, *Ponti regio*, Epod. 5, 21.
iberia (Iberia) = *Hispania* Carm. IV, 5, 28. 14, 50. Hiber II, 20, 20. Hiberus: piscis Sat. II, 8, 46. loricae Carm. I, 29, 15. Hibericus: funes Epod. 4, 3.
ippolyte, *Acasti coniux*, Carm. III, 7, 18. [IV, 7, 26.
ippolytus, *Thesei filius*, Carm.
irpinus, Quinctius: *ad eum scr.* Carm. II, 11. Ep. I, 16.
ispanus: navis Carm. III, 6, 31. ora III, 8, 21. 14, 3.
omerus Carm. IV, 9, 6. Sat. I, 10, 52. Ep. I, 19, 6. II, 1, 50. 3, 74. 359. 401. cf. v. 140. Ep. I, 2, 1.
onos C. S. 57.
orae, *Romanae*, Sat. I, 5, 23. 9, 35.
oratius, *Flaccus, Q., Venusinus, natus libertino patre, coactore, paupere et macri agelli possessore*, Sat. I, 6, 44. 71. 86, *quem egregiis laudibus ornat* 71. *eum pater Romam deduxit* 76, *unde Athenas se contulit studiorum caussa* Ep. II, 2, 43. *tribunus militum fit sub Bruto* Sat. I, 6, 47. *describit suam vivendi rationem* 92 sqq. *Lepido et Lollio coss.* (*a. u.* 733) *implevit vitae annos* 44, Ep. I, 20, 24. *laudat Virgilium, Varium, Plotium ut amicos* Sat. I, 5, 40. *Maecenati familiariter utitur a Virgilio et Vario ei commendatus* I, 6, 46. 55. *Romae litteras, Athenis philosophiam cognovit* Ep. II, 2, 41 sqq. *amator vitae rusticae* I, 10. coll. I, 7. *villam suam Sabinam describit* I, 16. coll. Sat. II, 6, 1 sqq. *reprehensus ob scribendi tarditatem* Sat. II, 3, 1. 307 sqq. *eius obtrectatores* I, 10, 78 sqq. *ipsius de se existimatio* Ep. I, 3, 7.
Hyades, *sidus*, Carm. I, 3, 14.
Hydaspes, *Indiae fluvius*, Carm. I, 22, 8. [8, 14.
Hydaspes, *servus Indus*, Sat. II,
hydra, *monstrum*, Carm. IV, 4, 61. Ep. II, 1, 10.
Hylaeus, *Centaurus*, Carm. II, 12, 6.
Hymettus, *Atticae mons*, Carm. II, 6, 14. Hymettius: trabes II, 18, 3. mella Sat. II, 2, 15.
Hyperboreus: campi Carm. II, 20, 16. [Sat. I, 2, 91.
Hypsaea, *Plautia, femina nobilis*,
iambi = *epodi* Carm. I, 16, 24. *coll.* Epod. 14, 7. Ep. I, 19, 23. II, 3, 79.
ianitor Carm. III, 11, 16. 14, 23.
Ianus pater Sat. II, 6, 20. Ep. I, 16, 59. = *templum Iani* Carm. IV, 15, 9. Ep. I, 20, 1. II, 1, 255. = *locus ad forum Romanum* Sat. II, 3, 18. Ep. I, 1, 54.
Iapetus, *Promethei pater*, Carm. I, 3, 27. [20.
Iapyx, *ventus*, Carm. I, 3, 4. III, 27,
Iarbita, *Cordus, indoctus obtrectator*, Ep. I, 19, 15. [3, 12.
Iason, *Argonautarum dux*, Epod.
Ibycus Carm. III, 15, 1.
Icarus, *Daedali filius*, Carm. II, 20, 13. Icarius: fluctus I, 1, 15. Icarium (*mare*) III, 7, 21.
Iccius: *ad eum scr.* Carm. I, 29. Ep. I, 12.
Ida, *Phrygiae mons*, Carm. III, 20, 16. Idaeus: naves I, 15, 2.

Idomeneus, *Cretensium dux*, Carm. IV, 9, 20.
Ilerda, *Hispaniae urbs*, Ep. I, 20, 13.
Ilia (*Rea Silvia*) Carm. I, 2, 17. III, 9, 8. IV. 8, 22. Sat. I, 2, 126.
Ilion (Ilios) Carm. I, 10, 14. 15, 33. III, 3, 18. 37. 19, 4. IV, 4, 53. 9, 18. Epod. 10, 13. 14, 14. (*cf.* Pergama, Troia). Iliacus: domus Carm. I, 15, 36. carmen Ep. II, 3, 129. muri I, 2, 16. Ilius: matres Epod. 17, 11. turmae C. S. 37. [3, 61.
Iliona, *Pacuvii tragoedia*, Sat. II,
Ilithyia C. S. 14.
Illyricus: undae Carm. I, 28, 22.
imagines, *nobilium*, Epod. 8, 11. 17, 76. Sat. I, 6, 17. 8, 43.
impransus Sat. II, 2, 7.
Inachus, *Argivorum rex antiquus*, Carm. II, 3, 21. III, 19, 1. Inachia = *Argiva* Epod. 11, 6. 12, 14. 15.
India Carm. III, 24, 2. Indus Carm. IV, 14, 42. Indi I, 12, 56. C. S. 56. Ep. I, 1, 45. 6, 6. Indicus: ebur Carm. I, 31, 6.
ingenuus Sat. I, 6, 8.
Ino, *Athamantis coniux*, Ep. II, 3, 123.
institа Sat. I, 2, 29.
institor et nauta Epod. 17, 20. coll. Carm. III, 6, 30.
insulae divites = *fortunatorum* Carm. IV, 8, 27. Epod. 16, 42.
intestabilis Sat. II, 3, 181.
inula, *planta amara*, Sat. II, 2, 44.
Io, *Argiva in bovem mutata*, Ep. II, 3, 124.
Iocus Carm. I, 2, 34.
Iolcos, *Thessaliae urbs*, Epod. 5, 21.
Ionicus: attagen Epod. 2, 54. motus Carm. III, 6, 21. Ionius: sinus Epod. 10, 19.
Ister, *fluvius*, Carm. IV, 14, 46.
Isthmius: labor Carm. IV, 3, 3.
Italia Carm. I, 37, 16. III, 5, 40. IV, 14, 44. Sat. I, 6, 35. Ep. I, 12, 29. *cf.* Hesperia. Italus: tellus Sat. II, 6, 56. acetum I, 7, 32. caelum Carm. II, 7, 4. robur II, 13, 18. modi III, 30, 13. res Ep. II, 1, 2. urbes Carm. IV, 4, 42. vires IV, 15, 13. arma Ep. I, 18, 57.
Ithaca, *insula*, Sat. II, 5, 4. Ep. I, 7, 41. Ithacensis: Ulixes I, 6, 63.
Itys, *Procnes filius*, Carm. IV, 12, 5.
Iuba, *Mauretaniae rex*, Carm. I, 22, 15.
Iudaeus Apella Sat. I, 5, 100. Iudaei I, 4, 143. 9, 70.
iudices selecti Sat. I, 4, 123.
Iugurtha, *Numidiae rex*, Carm. II, 1, 28. Iugurthinus: bellum Epod. 9, 23.
Iulius Sat. I, 8, 39. — *Vid.* Caesar, Florus. — Iulius: sidus Carm. I, 12, 47. edicta IV, 15, 22.
Iulus Antonius: *ad eum scriptum* Carm. IV, 2.
Iuno Carm. I, 7, 8. II, 1, 25. III, 3, 18. (64.) 4, 59. Sat. I, 3, 11.
Iuppiter Carm. I, 1, 25. 2, 19. 30. 3, 40. 10, 5. 11, 4. (12, 49.) 16, 12. 21, 4. 22, 20. 28, 9. 29. 32, 14. II, 6, 18. 7, 17. 10, 16. 17, 22. III, 1, 6. 3, 6. 64. 4, 49. 5, 1. 12. 10, 8. 16, 6. 25, 6. 27, 73. IV, 4, 4. 74. 8, 29. 15, 6. C. S. 32. 73. Epod. 2, 29. 5, 8. 9, 3. 10, 18. 13, 2. 16, 63. 17, 69. Sat. I, 1, 20. 2, 18. II, 1, 43. 3, 288. 291. Ep. I, 1, 106. 12, 3. 16, 29. 17, 34. 18, 111. 19, 43. II, 1, 68. *cf.* Diespiter.
Iustitia Carm. I, 24, 6. II, 17, 16.
Iuventas Carm. I, 30, 7. II, 11, 6. Epod. 17. 21.
Ixion, *ob perfidiam a Iove in Orcum detrusus*, Carm. III, 11, 21. Ep. II, 3, 124.

Labeo, *homo insaniens*, Sat. I, 3, 82, *ubi Schol. narrant notari M. Antistium Labeonem, clarissimum iurisconsultum, quam sententiam a Bentleio, Wielando, aliis improbatam defendit Weichertus lectt. Venus. p.* 39 *sqq.* [I, 10, 6.
Laberius, *D., mimographus*, Sat.
Lacaena (*mulier*) Carm. II, 11, 23. adultera (= *Helena*) III, 3, 25. Helene IV, 9, 16.
Lacedaemon Carm. I, 7, 10. Lacedaemonius: Tarentum III, 5, 56.
lacerna Sat. II, 7, 55.
Lacon (*canis*) Epod. 6, 5. Phalanthus Carm. II, 6, 11. Laconicus: purpura II, 18, 7.
lactuca Sat. II, 4, 59.
Laelius, *C., Sapiens*, Sat. II, 1, 65. 72.
Laertiades = *Ulixes* Carm. I, 15, 21. Sat. II, 5, 59.
Laestrygonius: amphora Carm. III, 16, 34.

ievinus, *P. Valerius*, Sat. I, 6, 2. 19.
ganum Sat. I, 6, 115.
gois Sat. II, 2, 22.
ilage, *puella*, Carm. I, 22, 10. 23. I, 5, 16.
imia, *Q. Aelius*, Carm. I, 36, 7. II, 17, 2. Ep. I, 14, 6. *de eo scr.* Carm. I, 26. *ad eundem* III, 17.
imia, *monstrum*, Ep. II, 3, 340.
imus, *generis Lamii auctor*, Carm. II, 17, 1.
inuvinus: ager Carm. III, 27, 3.
iomedon, *Troiae rex*, Carm. III, 22. [4, 29.
pathi herba Epod. 2, 57. Sat. II,
apithae, *gens Thessalica*, Carm. 18, 8. II, 12, 5. [II, 16, 11.
queata tecta, *lacunaria*, Carm.
ares Carm. III, 23, 4. IV, 5, 34. S. 39. Epod. 2, 66. 16, 19. Sat. I, 56. II, 3, 165. 5, 14. 6, 66. Ep. I, 13. 7, 58. II, 2, 51. [7, 11.
arissa, *Thessaliae urbs*, Carm. I, sanum Sat. I, 6, 109.
atium Carm. I, 12, 53. 35, 10. IV, 40. C. S. 66. Ep. I, 19, 24. II, I, 157. 121. 3, 290. Latinus: fidicen Ep. I, 19, 32. sanguis Carm. II, 1, 29. Epod. 7, 4. lex Carm. IV, 14, 7. carmen I, 32, 3. nomen IV, 15, 13. fides Ep. I, 3, 12. II, 2, 143. verba Sat. I, 10, 20. Latinae (*feriae*) Ep. I, 7, 76. Latine Sat. I, 10, 27.
atona, *Apollinis a Iove mater*, Carm. I, 21, 3. III, 28, 12. IV, 6, 37.
Latous = *Apollo* I, 31, 18.
itus tegere Sat. II, 5, 18.
aurens aper Sat. II, 4, 42.
urus Carm. II, 7, 19. III, 4, 19 *al.*
averna, *furum dea*, Ep. I, 16, 60.
ebedus, *Ioniae urbs*, Ep. I, 11, 6. 7.
icti, *tricliniares*, Sat. I, 3, 90. 4, 86. II, 4, 84. 8, 20. 41 sqq. Ep. I, 5, 1 *al.*
ictica Sat. I, 2, 98.
eda, *Castoris et Pollucis a Iove mater*, Carm. I, 12, 25.
imures Ep. II, 2, 209.
enaeus = *Bacchus* Carm. III, 25, 19. [10, 16.
eo, *sidus*, Carm. III, 29, 19. Ep. I,
epidus, *Q. Aemilius, cos. a. u.* 733, Ep. I, 20, 28.
epos, *saltator*, Sat. II, 6, 72.
esbia, *meretrix*, Epod. 12, 17.
Lesbos, *insula*, Ep. I, 11, 1. Lesbius: pes Carm. IV, 6. 35. plectrum I, 26, 11. vina Epod. 9, 34. Lesbium (*vinum*) Carm. I, 17, 21. Lesbous: civis (*Alcaeus*) I, 32, 5. barbitos I, 1, 34.
Lethaeus: somni Epod. 14, 3. vincula Carm. IV, 7, 27. [I, 11.
Leuconoe: *ad eam scriptum* Carm.
lex: *Laetoria* Sat. I, 2, 16. *de maritandis ordinibus* C. S. 18. *Roscia* Epod. 4, 16. *de servis vendendis* Sat. II, 3, 285.
Liber = *Bacchus* Carm. I, 12, 22. 16, 7. 18, 7. 32, 9. II, 19, 7. III, 8, 7. 21, 21. IV, 8, 34. 12, 14. 15, 26. Sat. I, 4, 89. Ep. I, 19, 4. II, 1, 5.
Libitina Carm. III, 30, 7. Sat. II, 6, 19. Ep. II, 1, 49.
Libonis puteal, *in foro Romano*, Ep. I, 19, 8.
Libra, *sidus*, Carm. II, 17, 17.
libri: *pontificum* Ep. II, 1, 26. *vaticini* ibid.
libum Ep. I, 10, 10.
Liburnae (*naves*) Carm. I, 37, 30. Epod. 1, 1.
Libya Carm. II, 2, 10. Sat. II, 3, 101. Libycus: lapilli Ep. I, 10, 19. areae Carm. I, 1, 10.
Licinius Murena, *L.: ad eum scr.* Carm. II, 10. — *Cf.* Calvus.
Licinus, *tonsor*, Ep. II, 3, 301.
Licymnia Carm. II, 12, 13. 23.
Ligurinus Carm. IV, 1, 33. *ad eum scr.* IV, 10.
Liparaeus: Hebrus Carm. III, 12, 6.
Liris, *Latii fluvius*, Carm. I, 31, 7. III, 17, 8.
Livius, *Andronicus, tragoediarum scriptor*, Ep. II, 1, 62. 69.
loculi Sat. I, 3, 17. 6, 74. II, 3, 146. Ep. II, 1, 175.
loligo Sat. I, 4, 100.
lolium Sat. II, 6, 89.
Lollius, *Maximus: ad eum scr.* Ep. I, 2 *et* 18.
Lollius, *Palicanus, M.*, Ep. I, 20, 28. *ad eum scr.* Carm. IV, 9.
Longarenus, *moechus*, Sat. I, 2, 67.
Lucania, *Italiae provincia*, Sat. II, 1, 38. Lucanus II, 1, 34. Lucanus: aper II, 8, 6. amica Ep. I, 15, 21. nix Sat. II, 3, 234. saltus Ep. II, 2, 178. pascua Epod. 1, 28.

Luceria, *Apuliae urbs*, Carm. III, 15, 14.
lucerna Carm. III, 21, 23.
Lucilius, *satirarum scriptor*, Sat. I, 4, 6. 57. 10, (1). 2. 20. 48. 53. 56. 64. II, 1, 17. 29. 62. 75.
Lucina = *Ilithyia* C. S. 15. Epod. 5, 6. [I, 17, 1.
Lucretilis, *mons Sabinus*, Carm.
Lucrinus: lacus (*in Campania*) Carm. II, 15, 3. peloris Sat. II, 4, 32. conchylia Epod. 2, 49.
Lucullus, *L.*, Ep. I, 6, 40. II, 2, 26.
Luna Carm. II, 11, 10. 16, 3. 18, 16. IV, 2, 58. C. S. 36. Epod. 15, 1. 17, 78.
lupi, *pisces*, Sat. II, 2, 31. 36.
Lupus, *P. Rutilius, a Lucilio in satiris exagitatus*, Sat. II, 1, 68.
Luscus, *vid.* Aufidius.
Lyaeus = *Bacchus* Carm. I, 7, 22. III, 21, 16. Epod. 9, 38. [17, 2.
Lycaeus, *Arcadiae mons*, Carm. I,
Lycambes, *Archilocho exosus*, Epod. 6, 13. Ep. I, 19, 25. [13.
Lyce: *ad eam scr.* Carm. III, 10. IV,
Lycia, *Asiae regio*, Carm. III, 4, 62.
Lycius: catervae I, 8, 16.
Lycidas, *puer*, Carm. I, 4, 19.
Lyciscus, *puer*, Epod. 11, 24.
Lycoris, *puella*, Carm. I, 33, 5.
Lycurgus, *Thraciae rex*, Carm. II, 19, 16.
Lycus, *puer*, Carm. I, 32, 11. — *alius* III, 19, 23. 24.
Lyde, *scortum*, Carm. II, 11, 22. *ad eam scr.* III, 10 *et* 28.
Lydi Sat. I, 6, 1. Lydus: tibiae Carm. IV, 15, 30.
Lydia, *puella*, Carm. III, 9, 6. 7. 20. *ad eam scr.* I, 8. 13. 25.
lymphatus Carm. I, 37, 14. *cf.* Sat. I, 5, 97.
Lynceus, *Apharei filius, Argonautarum oculatissimus*, Sat. I, 2, 90. Ep. I, 1, 28. [240
Lysippus, *statuarius*, Ep. II, 1,

Macedo: vir (*Philippus*) Carm. III, 16, 14.
Maecenas, *C. Cilnius*, Carm. IV, 11, 19. Sat. I, 3, 64. 5, 27. 31. 9, 43. 10, 81. II, 3, 312. 6, 31. 38. 41. 7, 33. 8, 16. *ad eum scripta* Carm. I, 1. 20. II, 12. 17. 20. III, 8. 16. 29. Epod. 1. 3. 9. 14. Sat. I, 1. 6. Ep. I, 7. 19.
Maenius, *parasitus*, Sat. I, 1, 101. 3, 21. 23. Ep. I, 15, 26.
Maeonius (*Lydius*): Homerus Carm. IV, 9, 5. carmen I, 6, 2.
Maetius, *vid.* Tarpa.
Maevius, *poeta: in eum scr.* Epod. 10. [18.
Magnessa Hippolyte Carm. III, 7,
Maia, *Mercurii mater*, Carm. I, 2, 43. Sat. II, 6, 5.
Malchinus Sat. I, 2, 25.
malobathrum Carm. II, 7, 8.
Mamurrarum urbs = *Formiae* Sat. I, 5, 37.
Mandela, *pagus non procul ab Horatii villa situs*, Ep. I, 18, 105.
Manes Carm. I, 4, 16. Sat. I, 8, 29. Ep. II, 1, 138.
Manlius, *vid.* Torquatus.
mannus Carm. III, 27, 7. Epod. 4, 14. Ep. I, 7, 77.
mantica Sat. I, 6, 106. [22.
mappa Sat. II, 4, 81. 8, 63. Ep. I, 5,
Marcellus, *M. Claudius*, Carm. I, 12, 46. [14.
Mareoticum (*vinum*) Carm. I, 37,
Marica, *nympha, Fauni uxor*, Carm. III, 17, 7.
Marius Sat. II, 3, 277.
marmora Carm. II, 18, 17. IV, 8, 13. Ep. I, 6, 17. II, 1, 96. 2, 180. Parium Carm. I, 19, 6.
Mars Carm. I, 6, 13. 17, 23. 28, 17. II, 14, 13. III, 3, 16. 33. 5, 24. 34. IV, 14. 9. *cf.* Mavors. Martius: campus Carm. IV, 1, 39. certamen IV, 14, 17. gramen III, 7, 26. calendae III, 8, 1. bella Ep. II, 3, 402. Martialis: lupi Carm. I, 17, 9.
Marsaeus, *amator Originis*, Sat. I, 2, 55.
Marsus Carm. III, 5, 9. Marsi Epod. 16, 3. Marsus: aper Carm. I, 1, 28. cohors II, 20, 18. naenia Epod. 17, 29. duellum Carm. III, 14, 18. voces Epod. 5, 76.
Marsyas: *eius statua pro rostris* Sat. I, 6, 120.
Massagetae, *gens Scythica*, Carm. I, 35. 40.
Massicus: vina Sat. II, 4, 51. Massicum (*vinum*) Carm. I, 1, 19. II, 7, 21. III, 21, 5.
Matinus (= *Calaber, de Calabriae promontorio Matino*): apis Carm.

IV, 2, 27. litus I, 28, 3. cacumina Epod. 16, 28.
Laurus: pedes Carm. I, 2, 39. unda II, 6, 3. angues III, 10, 18. iacula I, 22, 2.
Lavors = *Mars* Carm. IV, 8, 23.
Laximus, *Paullus Fabius*, Carm. IV, 1, 11.
lazonomus Sat. II, 8, 86.
Medea, *Iasonis coniux*, Epod. 3, 10. 5, 62. (16, 58.) Ep. II, 3, 123. 185.
lediastinus Ep. I, 14, 14.
ledicorum tabernae Sat. I, 7, 3.
Medus Carm. I, 29, 4. III, 8, 19. IV, 14, 42. C. S. 54. Medi Carm. I, 2, 51. II, 1, 31. 16, 6. III, 3, 44. Medus: acinaces I, 27, 5. rex III, 5, 9. flumen (*Euphrates*) II, 9, 21.
Megilla Opuntia, *puella*, Carm. I, 27, 11. [146.
Meleager, *Oenei filius*, Ep. II, 3, nelimela Sat. II, 8, 31.
Melpomene, *Musa*, Carm. I, 24, 3. III, 30, 16. *ad eam scr.* IV, 3.
Memnon, *ab Achille caesus*, Sat. I, 10, 36. [26, 10.
Memphis, *Aegypti urbs*, Carm. III,
Mena Vulteius Ep. I, 7, 55. 61.
Menander, *poeta comicus*, Sat. II, 3, 11. Ep. II, 1, 57.
Menelaus, *Atrei filius*, Sat. II, 3, 198. *cf.* Ep. I, 7, 43.
Menenius: *fecunda eius gens* Sat. II, 3, 287.
mercator Carm. I, 1, 16. 31, 11. III, 24, 40. Sat. I, 1, 4. 6. 17. Ep. I, 1, 16. 45. Ep. II, 3, 117.
Mercurius Carm. I, 24, 18. 30, 8. II, 7, 13. Sat. II, 3, 68. *cf.* Carm. I, 2, 44. Sat. II, 6, 5. *ad eum scr.* Carm. I, 10. III, 11. Mercurialis: cognomen Sat. II, 3, 25. viri Carm. II, 17, 29.
merdum Sat. I, 8, 37.
meretrix Carm. I, 35, 25. Sat. I, 2, 58. 4, 49. 111. 10, 40. II, 3, 252. Ep. I, 14, 25. 17, 55. 18, 3.
mergus Epod. 10, 22. Sat. II, 2, 51.
Meriones, *Idomenei auriga*, Carm. I, 6, 15. 15, 26.
Messala, *Corvinus*, Carm. III, 21, 7. Sat. I, 6, 42. 10, 85. Ep. II, 3, 371.
Messius Cicirrus, *scurra*, Sat. I, 5, 52. 54. [IV, 4, 38.
Metaurus, *Umbriae flumen*, Carm.
Metella, *Caecilia*, Sat. II, 3, 239.
Metellus, *Q. Caecilius, Celer, cos.* 694 *u. c.*, Carm. II, 1, 1.
Metellus, *Q. Caecilius, Macedonicus*, Sat. II, 1, 67.
Methymnaeus (= *Lesbius*): uva Sat. II, 8, 50.
Miletus, *Ioniae urbs*, Ep. I, 17, 30.
Milonius, *saltator*, Sat. II, 1, 24.
Mimas, *gigas*, Carm. III, 4, 53.
Mimnermus, *poeta lyricus*, Ep. I, 6, 65. II, 2, 101.
mimus Ep. I, 18, 14. II, 1, 198. Laberi mimi Sat. I, 10, 6. mima I, 2, 2. 56.
Minae Carm. III, 1, 37.
Minerva Carm. III, 3, 23. 12, 5. IV, 6, 13. Sat. II, 2, 3. Ep. II, 3, 385. *cf.* Pallas. [IV, 7, 21.
Minos, *Cretae rex*, Carm. I, 28, 9.
Minturnae, *Latii urbs*, Ep. I, 5, 5.
Minutius, *L.*, Ep. I, 18, 20.
Misenum, *Campaniae urbs*, Sat. II, 4, 33.
Mitylene, *Lesbi urbs*, Carm. I, 7, 1. Ep. I, 11, 17.
mola salsa Sat. II, 3, 200.
Molossus (*canis*) Epod. 6, 5. Molossi canes Sat. II, 6, 114.
Monaeses, *dux Parthorum*, Carm. III, 6, 9. [24, 8. *al.*
mors Carm. I, 3, 17. 4, 13. III, 2, 14.
Moschus, *rhetor veneficii accusatus*, Ep. I, 5, 9.
Mucius, *Scaevola*, Ep. II, 2, 89.
mullus trilibris Sat. II, 2, 34.
mulsum Sat. II, 4, 26. *coll.* 2, 15.
Mulvius, *scurra*, Sat. II, 7, 36.
Munatius, *vid.* Plancus.
Munatius, *homo ignotus*, Ep. I, 3, 31.
Murena, *L. Licinius*, Carm. III, 19, 11. Sat. I, 5, 38. *ad eum scr.* Carm. II, 10.
murex Baianus Sat. II, 4, 32.
muria Sat II, 4, 65.
murreus crinis Carm. III, 14, 22.
Musa Carm. I, 6, 10. 17, 14. II, 1, 9. 37. 10, 19. 12, 13. III, 3, 70. IV, 8, 28. 29. Sat. I, 5, 53. II, 6, 17. Ep. I, 3, 13. 8, 2. 19, 28. II, 1, 133. 3, 83. 141. 324. 407. Musae Carm. I, 26, 1. 32, 9. III, 1, 3. 19, 13. IV, 9, 21. Sat. II, 3, 105. Ep. II, 1, 27. 243. 2, 92. *cf.* Pimpleis.
Musa, *vid.* Antonius.

mustela Ep. I, 7, 32.
mustum Falernum Sat. II, 4, 19.
Mutus, *dives*, Ep. I, 6, 22.
Mycenae, *Argolidis urbs*, Carm. I, 7, 9.
Mygdonius: campi Carm. III, 16, 41. opes II, 12, 22.
Myrtale, *libertina*, Carm. I, 33, 14.
myrtetum Ep. I, 15, 5.
Myrtoum mare Carm. I, 1, 14.
myrtus Carm. I, 4, 9. 25, 18. 38, 5. 7. II, 7, 25. 15, 6. III, 4, 19. 23, 16.
Mysi Epod. 17, 10. [9, 10.
Mystes, *Valgii deliciae*, Carm. II,

Naevius, *Cn., poeta epicus et tragicus*, Ep. II, 1, 53.
Naevius simplex, *convivator*, Sat. II, 2, 68.
Naiades Carm. III, 25, 14.
nardus Carm. II, 11, 16. IV, 12, 16. 17. Epod. 5, 59. 13, 9.
Nasica, *hereditatis captator*, Sat. II, 5, 57. 65. 67. [84.
Nasidienus Rufus Sat. II, 8, 1. 58.
Natta immundus Sat. I, 6, 124.
nauta Carm. I, 1, 14. 28, 23. Epod. 16, 54. Sat. I, 5, 4. 11. 16. 19. *al. cf.* institor.
Neaera, *puella*, Carm. III, 14, 21. *ad eam scr.* Epod. 15.
Neapolis, *Campaniae urbs*, Epod. 5, 43.
Nearchus Carm. III, 20, 6.
Necessitas Carm. I, 35, 17. III, 1, 14. 24, 6.
necromantia Sat. I, 8, 29.
nemus, *in tectis positum*, Sat. I, 8, 29.
nenia (naenia) Carm. II, 1, 38. 20, 21. III, 28, 16. Epod. 17, 29. Ep. I, 1, 63.
Neobule: *ad eam scr.* Carm. III, 12.
Neptunus Carm. I, 28, 29. III, 28, 2. 10. (cf. I, 5, 15.) Epod. 7, 3. 17, 55. Ep. I, 11, 10. II, 3, 64. Neptunius: dux (*Sex. Pompeius*) Epod. 9, 7.
Nereus, *deus marinus*, Carm. I, 15, 5. Nereides, eius filiae, III, 28, 10. Nereius: nepos (*Achilles*) Epod. 17, 8.
Nerius, *fenerator*, Sat. II, 3, 69.
Nero, *vid.* Claudius. — Nerones Carm. IV, 4, 28. 37.
Nessus, *Centaurus*, Epod. 17, 32.
Nestor Pylius Carm. I, 15, 22. (II, 9, 13.) Ep. I, 2, 11.
neurospasta Sat. II, 7, 82.
Nilus, *Aegypti fluvius*, Carm. III, 3, 48. IV, 14, 46.
Niobeus: proles Carm. IV, 6, 1.
Niphates, *Armeniae mons*, Carm. II, 9, 20.
Nireus, *Graecus pulcherrimus*, Carm. III, 20, 15. Epod. 15, 22.
nitedula Ep. I, 7, 29.
nomenclator Ep. I, 6, 50.
Nomentanus, *scurra*, Sat. I, 1, 102. 8, 11. II, 1, 22. 3, 175. 224. 8, 23. 25. 60. [17, 71.
Noricus: ensis Carm. I, 16, 9. Epod.
Nothus, *iuvenis a Pholoe amatus*, Carm. III, 15, 11.
Notus, *ventus*, Carm. I, 3, 14. 7, 16. 28, 22. III, 7, 5. IV, 5, 9. Epod. 9, 31.
novendiales pulveres Epod. 17, 48.
Novius Sat. I, 3, 21. 6, 40. Novii I, 6, 121.
Numa Pompilius Carm. I, 12, 34. (*cf.* I, 2, 15.) Ep. I, 6, 27. II, 1, 86.
Numantia, *Hispaniae urbs*, Carm. II, 12, 1.
numerus Ep. I, 2, 27. *ternarius, sanctus*, Sat. II, 1, 7. Ep. I, 1, 37.
Numicius: *ad eum scr.* Ep. I, 6.
Numida, Plotius: *ad eum scr.* Carm. I, 36.
Numidae, *Africae gens*, Carm. III, 11, 47. [I, 15.
Numonius Vala: *ad eum scr.* Ep.
Nymphae Carm. I, 1, 31. 4, 6. 30, 6. II, 8, 14. 19, 3. III, 18, 1. 27, 30. IV, 7, 5.

Oceanus Carm. I, 3, 22. 35, 32. IV, 5, 40. 14, 48. Epod. 16, 41.
Octavius, *poeta et historicus*, Sat. I, 10, 82. [112. 133.
Ofellus, *rusticus*, Sat. II, 2, 2. 53.
olus, *cibus viliorum hominum*, Sat. II, 1, 74.
Olympia, *festum*, Ep. I, 1, 50. Olympicus: pulvis Carm. I, 1, 3.
Olympus, *mons*, Carm. I, 12, 58. III, 4, 52.
omasum Sat. II, 5, 40. Ep. I, 15, 34.
Opimius Sat. II, 3, 142.
Oppidius, Servius, *eques Romanus*, Sat. II, 3, 168. *cf.* Aulus *et* Tiberius.

puntia Megilla Carm. I, 27, 10.
rbilius, *ludimagister*, Ep. II, 1, 71.
rbius, *dives*, Ep. II, 2, 160.
rcus Carm. I, 28, 10. II, 3, 24. 18, 30. 34. III, 4, 75. 11, 29. 27, 50. IV, 2, 24. Sat. II, 5, 49. Ep. II, 2, 178.
restes, *Agamemnonis filius*, Sat. II, 3, 133. 137. Ep. II, 3, 124.
ricum, *Epiri oppidum*, Carm. III, 7, 5.
rigo, *mima*, Sat. 1, 2, 55.
rion, *venator*, Carm. II, 13, 39. III, 4, 71. *sidus* I, 28, 21. III, 27, 18. Epod. 10, 10. 15, 7.
'rnytus Thurinus Carm. III, 9, 14.
'rpheus Carm. I, 12, 8. 24, 13. Ep. II, 3, 392. [27, 11.
scines et praepetes Carm. III,
'scus Sat. I, 5, 54.
'siris Ep. I, 17, 60.
strea Sat. II, 2, 21. 4, 33.
'tho, *L. Roscius, trib. pl., legis theatralis auctor*, Epod. 4, 16.

'acideianus, *gladiator*, Sat. II, 7, 97.
'acorus, *Parthorum rex*, Carm. III, 6, 9. [20.
'actolus, *Lydiae fluvius*, Epod. 15,
'actumeius, *nomen ficticium*, Epod. 17, 50.
'acuvius, *M., poeta tragicus*, Ep. II, 1, 56.
'adus, *Galliae cisalpinae fluvius*, Epod. 16, 28.
aenula Ep. I, 11, 18.
'aetus Sat. I, 3, 45.
'alatinus: Apollo Ep. I, 3, 17. arces C. S. 65.
'alinurus, *Lucaniae promontorium*, Carm. III, 4, 28.
'allas Carm. I, 6, 15. 7, 5. 12, 20. 15, 11. III, 4, 57. Epod. 10, 13. *cf.* Minerva.
'anaetius, *Rhodius, stoicus*, Carm. I, 29, 14. [I, 28, 10.
'anthoides = *Pythagoras* Carm.
'antilius cimex Sat. I, 10, 78.
'antolabus scurra Sat. I, 8, 11. II, 1, 22.
Paphus, *Cypri urbs*, Carm. I, 30, 1. III, 28, 14.
parasitae Sat. I, 2, 98.
Parca Carm. II, 16, 39. Parcae II, 6, 9. 17, 16. C. S. 25. Epod. 13, 15. *cf.* Carm. II, 3, 15.
Paris, *Priami filius*, Carm. III, 3, 40. (*cf.* I, 15, 1. III, 3, 19. 26.) Ep. I, 2, 6. 10.
Parius: marmor Carm. I, 19, 6. iambi (*ab Archilocho inventi*) Ep. I, 19, 23.
Parmensis, *vid.* Cassius.
parochus Sat. I, 5, 46. II, 8, 36.
Parrhasius, *pictor*, Carm. IV, 8, 6.
Parthus Carm. I, 19, 12. II, 13, 18. IV, 5, 25. Sat. II, 1, 15. Parthi Carm. I, 12, 53. III, 2, 3. IV, 15, 7. Epod. 7, 9. Sat. II, 5, 62. Ep. I, 18, 56. II, 1, 112. 256.
pastilli Sat. I, 2, 27. 4, 92.
Patareus Apollo Carm. III, 4, 64.
patella Ep. I, 5, 2.
patina Sat. II, 2, 95. 8, 55. Ep. I, 15, 34.
patruus Sat. II, 2, 97. 3, 88. patruae verbera linguae Carm. III, 12, 3.
Paullus, *L. Aemilius*, Carm. I, 12, 38.
Paullus, *Fabius Maximus*, Carm. IV, 1, 10. Sat. I, 6, 41.
Pausiacus: tabella Sat. II, 7, 95.
pavimentum Carm. II, 14, 27.
pavones Sat. II, 2, 26.
Pax C. S. 57.
peculium Ep. II, 3, 330.
Pedanus: regio (*prope Pedum, Latii oppidum*) Ep. I, 4, 2.
Pediatia (= *Pediatius, eques Romanus, qui se prostituit*) Sat. I, 8, 39.
Pedius Poplicola, *Q., caussidicus*, Sat. I, 10, 28.
Pegasus, *equus alatus*, Carm. I, 27, 24. IV, 11, 27.
Peleus, *Aeaci filius*, Carm. III, 7, 17. Ep. II, 3, 96. 104. Pelides = *Achilles* Carm. I, 6, 6. Ep. I, 2, 12.
Pelignus: anus Epod. 17, 60. frigora Carm. III, 19, 8.
Pelion, *Thessaliae mons*, Carm. III, 4, 52.
Pelops, *Tantali filius*, Carm. I, 6, 8. 28, 7. II, 13, 37. Epod. 17, 65.
Penates Carm. II, 4, 15. III, 14, 3. 23, 19. 27, 49. Sat. II, 3, 176. 5, 4. Ep. I, 7, 94.
Penelope, *Ulixis coniux*, Carm. I, 17, 20. III, 10, 11. Sat. II, 5, 76. 81. Ep. I, 2, 28.
Pentheus, *Thebarum rex*, Carm. II, 19, 14. Ep. I, 16, 73. *cf.* Sat. II, 3, 304.
Pergama = *Troia* Carm. II, 4, 12.

Perillius, *Cicuta, fenerator*, Sat. II, 3, 75. *cf.* Cicuta.
Persae (*Parthi*) Carm. I, 2, 22. 21, 15. III, 5, 4. 9, 4. IV, 15, 23. Persicus: apparatus I, 38, 1.
Persius, *Clazomenius*, Sat. I, 7, 2. 4. 19, 22. [10, 26.
Petillius Capitolinus Sat. I, 4, 94.
petorritum Sat. I, 6, 104.
Petrinum, *vicus in agro Sinuessano*, Ep. I, 5, 5.
Pettius: *ad eum scr.* Epod. 11.
Phaeax Ep. I, 15, 24.
Phaethon, *Solis filius*, Carm. IV, 11, 25.
Phalanthus Laco, *Tarenti conditor*, Carm. II, 6, 12.
Phidyle: *ad eam scr.* Carm. III, 23.
Philippi, *Macedoniae urbs*, Carm. II, 7, 9. III, 4, 26. Ep. II, 2, 49.
Philippus, *nummus aureus*, Ep. II, 1, 234.
Philippus, *L. Marcius, caussis agendis clarus*, Ep. I, 7, 46—90.
Philodemus, *poeta Epicureus*, Sat. I, 2, 121.
philyra: *eius usus in nectendis coronis*, Carm. I, 38, 2.
phimus Sat. II, 7, 17.
Phocaei Epod. 16, 17.
Phoebus Carm. I, 12, 24. 32, 13. III, 3, 66. 4, 4. 21, 24. IV, 6, 26. 29. 15, 1. C. S. 1. 62. 75. *cf.* Apollo.
Pholoe, *mulier*, Carm. I, 33, 7. 9. II, 5, 17. III, 15, 7.
Phraates, *Parthorum rex*, Carm. II, 2, 17. Ep. I, 12, 27.
Phrygia Carm. II, 12, 22. Phryges I, 15, 34. Phrygius: lapis III, 1, 41. sorores (*Cassandra, Creusa, Polyxena*) II, 9, 16.
Phryne libertina Epod. 14, 16.
Phthius: Achilles Carm. IV, 6, 4.
Phyllis, *mulier*, Carm. II, 4, 14. *ad eam scr.* IV, 11.
Piccnus: poma Sat. II, 3, 272. 4, 70.
Picris = *Musa* Carm. IV, 3, 18. Picrides IV, 8, 20.
Pierius: pellex Carm. III, 10, 15. antrum III, 4, 40. modi Ep. II, 3, 405.
pila, *in re libraria*, Sat. I, 4, 71.
pila, *lusus*, Sat. I, 5, 49. II, 2, 11. Ep. II, 3, 380.
pilentum Ep. II, 1, 192.
pilum, *militare*, Sat. II, 1, 13.
Pimplea = *Musa* Carm. I, 26, 9.
Pindarus, *poeta lyricus*, Carm. IV, 2, 1. 8. *cf.* v. 25. Pindaricus: fons Ep. I, 3, 10. Camenae Carm. IV, 9, 6.
Pindus, *Thessaliae mons*, Carm. I, 12, 6.
Pirithous, *Ixionis filius*, Carm. III, 4, 80. IV, 7, 28.
pisces, *in epulis*, Sat. II, 2, 31. 8, 29.
Pisones Ep. II, 3, 6. 235. *cf.* v. 292. 366.
Pitholeon Rhodius, *epigrammatum scriptor*, Sat. I, 10, 22.
plagae, *venatorum*, Carm. I, 1, 28. III, 5, 32. Epod. 2, 32. Ep. I, 6, 58. 18, 46.
Plancus, *L. Munatius, cos. a. u.* 712, Carm. III, 14, 28. *ad eum scr.* I, 7.
planus Ep. I, 17, 59.
Plato Sat. II, 3, 11. 4, 3, *ubi de Platone comico cogitandum videtur.*
Plautus, *T. Maccius, poeta comicus*, Ep. II, 1, 58. 170. Ep. II, 3, 54. Plautinus: numeri et sales Ep. II, 3, 270.
plectrum Carm. I, 26, 11. II, 1, 40. 13, 27. IV, 2, 33.
Pleiades, *sidus*, Carm. IV, 14, 21.
Plotius Numida: *ad eum scr.* Carm. I, 36.
Plotius, *Tucca, Virgilii et Horatii amicus*, Sat. I, 5, 40. 10, 81.
Pluto Carm. II, 14, 7. Plutonius: domus I, 4, 17.
poena Carm. III, 2, 32. IV, 5, 24.
Poenus Carm. I, 12, 38. II, 2, 11. 13, 15. Poeni III, 5, 34. IV, 4, 47. Poenus: sanguis II, 12, 3.
poesis, *quando apud Romanos nata sit et quomodo paullatim exculta*, Ep. II, 1, 139 sqq. *eius dignitas* II, 1, 125 — 138. 3, 391 sqq. *abusus* II, 1, 108 — 17. *dramatica* 3, 179 sqq.
Polemon, *iuvenis Atheniensis dissolutus*, Sat. II, 3, 254.
pollicem premere, vertere, Ep. I, 18, 66. pollicis ictus Carm. IV, 6, 36.
Pollio, *C. Asinius*, Sat. I, 10, 42. 85. *ad eum scr.* Carm. II, 1.
Pollux, *Castoris frater*, Carm. III, 3, 9. 29, 64. Ep. II, 1, 5. *cf.* Epod. 17, 43. Sat. II, 1, 26.
Polyhymnia, *Musa*, Carm. I, 1, 33.
polypus Sat. I, 3, 40.
Pompeius Grosphus Ep. I, 12, 22. *ad eum scr.* Carm. II, 7 *et* 16.

Pompilius, *vid.* Numa. Pompilius: sanguis Ep. II, 3, 292.
Pomponius Sat. I, 4, 52.
Ponticus: pinus Carm. I, 14, 11.
pontificum libri Ep. II, 1, 26.
Poplicola, *vid.* Pedius.
Porcius, *parasitus*, Sat. II, 8, 23.
porcus, *in expiatoriis sacrificiis mactatus*, Sat. II, 3, 165. Ep. I, 16, 58.
Porphyrion, *gigas*, Carm. III, 4, 54.
Porsena, *Etruscorum rex*, Epod. 16, 4.
Postumus: *ad eum scr.* Carm. II, 14.
praebere aquam, *dicitur convivator*, Sat. I, 4, 88. *coll.* II, 2, 69.
praecones Sat. I, 6, 86. Ep. I, 7, 56.
Praeneste, *Latii urbs*, Carm. III, 4, 23. Ep. I, 2, 2. Praenestinus (*P. Rupilius*) Sat. I, 7, 28.
Priamus, *Troiae rex*, Carm. I, 10, 14. 15, 8. III, 3, 26. 40. IV, 6, 15. Sat. II, 3, 195. Ep. II, 3, 137. Priamides Hector Sat. I, 7, 12.
Priapus Epod. 2, 21. Sat. I, 8, 2.
Priscus Sat. II, 7, 9.
Procne, *Pandionis filia, in avem mutata*, Ep. II, 3, 187. *cf.* Carm. IV, 12, 6.
Proculeius, *C., eques Romanus, Augusti amicus*, Carm. II, 2, 5.
Procyon, *sidus*, Carm. III, 29, 18.
Proetus, *Tirynthius*, Carm. III, 7, 13.
Prometheus, *Iapeti filius*, Carm. I, 16, 13. II, 13, 37. 18, 35. (*cf.* I, 3, 27.) Epod. 17, 67.
Proserpina Carm. I, 28, 20. II, 13, 21. Epod. 17, 2. Sat. II, 5, 110.
Proteus, *deus marinus*, Carm. I, 2, 7. Sat. II, 3, 71. Ep. I, 1, 90.
Publius, *praenomen*, Sat. II, 5, 32.
Pudor Carm. I, 24, 6. C. S. 57.
pueri atque puellae (*proverb.*) Sat. I, 1, 85. II, 3, 130.
pumex: *eius usus in libris purgandis* Ep. I, 20, 2.
Punicus: sanguis Carm. III, 6, 34. sagum Epod. 9, 27. bella Ep. II, 1, 162. delubra Carm. III, 5, 18.
Pupius, *tragicus poeta, lacrimosus*, Ep. I, 1, 67.
purpura Carm. II, 16, 7. 18, 8. IV, 13, 13. Epod. 2, 20. 5, 7. purpureus Carm. I, 35, 12. II, 5, 12. 12, 3. III, 3, 12. 15, 15. IV, 1, 10. Sat. II, 6, 106. Ep. I, 17, 27. II, 3, 15.
Pusilla, *nomen*, Sat. II, 3, 216.
Pylades, *Orestis amicus*, Sat. II, 3, 139.
Pylius Nestor Carm. I, 15, 22.
pyramides Carm. III, 30, 2.
Pyrrha, *Deucalionis uxor*, Carm. I, 2, 6. [Carm. I, 5.
Pyrrha, *Horatii amica: ad eam scr.*
Pyrrhia, *ancilla*, Ep. I, 13, 14.
Pyrrhus, *Epiri rex*, Carm. III, 6, 35.
Pyrrhus, *puer: ad eum scr.* Carm. III, 20.
Pythagoras, *Samius, philosophus*, Epod. 15, 21. Sat. II, 4, 3. 6, 63. *cf.* Panthoides. Pythagoreus: somnia Ep. II, 1, 52.
Pythias, *mulier*, Ep. II, 3, 238.
Pythius: incola (= *Apollo*) Carm. I, 16, 6. Pythia cantat tibicen Ep. II, 3, 414.

Quinctilius Varus, *P., Cremonensis, Horatii amicus*, Carm. I, 24, 5. Ep. II, 3, 438. *ad eum scr.* Carm. I, 18.
Quinctius, *vid.* Atta *et* Hirpinus.
quindecimviri C. S. 70.
quinquatria Ep. II, 2, 197.
quinquevir Sat. II, 5, 56.
Quirinus Carm. I, 2, 46. III, 3, 15. IV, 15, 9. Epod. 16, 13. Sat. I, 10, 32. Ep. II, 2, 68.
Quiris = *Romanus* Carm. II, 7, 3. Ep. I, 6, 7. Quirites Carm. I, 1, 7. III, 3, 57. IV, 14, 1.

Ramnes (= *Ramnenses*), *vetus equitum centuria*, Ep. II, 3, 342.
rapulum Sat. II, 2, 43. 8, 8.
redemtor Carm. III, 1, 35. Ep. II, 2, 72.
regnum: Dauni Carm. IV, 14, 26. Pompili I, 12, 34. Priami I, 15, 8. Tulli Sat. I, 6, 9. vini Carm. I, 4, 18.
Regulus, *M. Atilius*, Carm. I, 12, 37. III, 5, 13.
Remus, *Romuli frater*, Epod. 7, 19.
Rhaeti Carm. IV, 4, 17. 14. 15.
Rhenus, *fluvius*, Sat. I, 10, 37. Ep. II, 3, 18.
Rhodanus, *fluvius*, Carm. II, 20, 20.
Rhode, *puella*, Carm. III, 19, 27.
Rhodope, *Thraciae mons*, Carm. III, 25, 12.
Rhodos, *insula*, Carm. I, 7, 1. Ep. I, 11, 17. 21. Rhodius: Pitholeon Sat. I, 10, 22. [III, 4, 55.
Rhoetus, *gigas*, Carm. II, 19, 23.

rhombus Epod. 2, 50. Sat. I, 2, 116. III, 2, 42. 48. 95. 8, 30.
Roma Carm. III, 3, 38. 44. 5, 12. 29, 12. IV, 3, 13. 4, 37. 14, 44. C. S. 11. 37. Epod. 16. 2. Sat. I, 5, 1. 6, 76. II, 1, 59. 6. 23. 7, 13. 28. Ep. I, 2, 2. 7, 44. 8, 12. 11, 11. 21. 14, 17. 16, 18. 20, 10. II, 1, 61. 103. 256. 2, 41. 65. 87. Romanus Carm. III, 6, 2. Epod. 7, 6. 9, 11. Sat. I, 4, 85. II, 1, 37. 4, 10. Ep. II, 3, 54. Romani Epod. 7, 17. Romanus: habitus Sat. II, 7, 54. populus Ep. I, 1, 70. Ilia Carm. III, 9, 8. iuventus Sat. II, 2, 52. legio I, 6, 48. lyra Carm. IV, 3, 23. militia Sat. II, 2, 10. pubes Carm. IV, 4, 46. res C. S. 66. Ep. I, 12, 25. equites peditesque Ep. II, 3, 113. poetae 264. pueri 325. scriptores II, 1, 29. vates II, 2, 94. viri I, 18, 49. ora I, 3, 9.
Romulus Carm. I, 12, 33. II, 15, 10. IV, 8, 24. (*cf.* III, 3, 31. IV, 8, 22.) Ep. II, 1, 5. Romulus (= *Romuleus*): gens Carm. IV, 5, 1. C. S. 47.
Roscius, *Q., comoedus*, Ep. II, 1, 82. — *alius* Sat. II, 6, 35. — *cf.* Otho. — Roscius: lex Ep. I, 1, 62.
rostra Sat. II, 6, 50.
Rubi, *Calabriae urbs*, Sat. I, 5, 94.
Rufa, *nomen*, Sat. II, 3, 216.
Rufillus Sat. I, 2, 27. 4, 92.
Rufus, *vid.* Nasidienus.
Rupilius Rex, *P.*, Sat. I, 7, 1.
Ruso, *fenerator*, Sat. I, 3, 86.
Rutuba, *gladiator*, Sat. II, 7, 96.

Sabaea, *Arabiae pars*, Carm. I, 29, 3.
sabbata tricesima Iudaeorum Sat. I, 9, 69.
Sabellus (= *Sabinus*) Ep. I, 16, 49. Sabelli Sat. II, 1, 36. Sabellus: anus I, 9, 29. ligones Carm. III, 6, 38. carmina Epod. 17, 28.
Sabini Carm. III, 4, 22. Ep. II, 1, 25. Sabinus: ager Sat. II, 7, 118. diota Carm. I, 9, 7. silva I, 22, 9. uxor Epod. 2, 41. vallis Carm. III, 1, 47. caelum Ep. I, 7, 77. Sabinum (*vinum*) Carm. I, 20, 1. Sabina (*praedia*) II, 18, 14.
Sabinus, *Horatii amicus*, Ep. I, 5, 27.
sacra arcana Epod. 5, 52. Cereris Carm. III, 2, 26. Sat. II, 8, 14. Cupidinis Epod. 17, 57. divum Sat. I, 3, 117. Iunonis I, 3, 11. Minervae Carm. IV, 6, 13. — sacra via Epod. 4, 7. 7, 8. Sat. I, 9, 1.
Sagana, *venefica*, Epod. 5, 25. Sat. I, 8, 25. 48.
Salamis, *insula*, Carm. I, 7, 21. 29. Salaminius: Teucer I, 15, 23.
Salernum, *Piceni urbs*, Ep. I, 15, 1.
Salii, *Martis sacerdotes*, Carm. I, 36, 12. IV, 1, 28. Saliaris: carmen Ep. II, 1, 86. dapes Carm. I, 37, 2.
Sallustius Crispus, *C.*, Sat. I, 2, 48. *ad eum scr.* Carm. II, 2.
Samnites, *gladiatores*, Ep. II, 2, 98.
Samos, *insula*, Ep. I, 11, 2. 21. Samius: Bathyllus Epod. 14, 9.
Sappho, *Lesbia*, Carm. II, 13, 25. (*cf.* IV, 9, 12.) Ep. I, 19, 28.
Sardinia Carm. I, 31, 4. Sardus: mel Ep. II, 3, 375.
Sardis, *Croesi regia*, Ep. I, 11, 2.
Sardus Tigellius Sat. I, 3, 3. *cf.* Hermogenes.
Sarmentus, *scurra*, Sat. I, 5, 52.
satira Sat. II, 1, 1. 6, 17.
Satureianus caballus Sat. I, 6, 59.
Saturnus Carm. I, 12, 50. II, 12, 9. 17, 23. Saturnius: numerus Ep. II, 1, 158. Saturnalia, *festum*, Sat. II, 3, 5.
Satyri, *dei agrestes*, Carm. I, 1, 31. II, 19, 4. Ep. I, 19, 4. II, 2, 125. 3, 221. 226. 233. 235.
Scaeva, *Cassii Scaevae, ut videtur, filius; ad eum scr.* Ep. I, 17.
Scaeva, *homo prodigus*, Sat. II, 1, 53.
Scamander, *Troadis fluvius*, Epod. 13, 14.
Scaurus Sat. I, 3, 48. Scauri Carm. I, 12, 37.
Scetanius, *malae notae homo*, Sat. I, 4, 112.
Scipiades = *Scipio Africanus minor* Sat. II, 1, 17. 72. *cf.* Africanus.
Scopas, *statuarius*, Carm. IV, 8, 6.
Scorpius, *sidus*, Carm. II, 17, 17.
scribae Sat. II, 6, 36.
scurrae Sat. I, 5, 52. 8, 11. II, 3, 229. 7, 36. Ep. I, 15, 28. 18, 4.
Scylla Ep. II, 3, 145.
scyphus Carm. I, 27, 1. Epod. 9, 33.
Scythes Carm. II, 11, 1. IV, 5, 25. 14, 42. Scythae I, 19, 10. 35. 9. III, 8, 23. 24, 9. C. S. 55. Scythicus: amnis Carm. III, 4, 36.
Semele, *Bacchi mater*, Carm. I, 19, 2.

Semeleius: Thyoneus (= *Bacchus*) Carm. I, 17, 22.
Septembres horae Ep. I, 16, 16.
Septicius Ep. I, 5, 26.
Septimius, *T., Horatii amicus*, Ep. I, 9, 1. *ad eum scr.* Carm. II, 6.
sepulcreta, *in Esquiliis*, Sat. I, 8, 8. II, 6, 32.
Seres, *populus Indicus*, Carm. I, 12, 56. III, 29, 27. IV, 15, 23. Sericus: sagittae I, 29, 9.
Servilius Balatro, *scurra*, Sat. II, 8, 21. 33. 40. 83.
Servius, *Sulpicius*, Sat. I, 10, 86.
servi: *eorum cibus* Sat. I, 5, 68. *diaria* Ep. I, 14, 40. *manumissio* Sat. II, 7, 76. *pretium* II, 7, 43. Ep. II, 2, 5. *vesiitus* Sat. I, 1, 97. — servum pecus, imitatores, Ep. I, 19, 19.
sesquipedalia verba Ep. II, 3, 97.
sextarius Sat. I, 1, 74.
Sextilis Ep. I, 7, 2. 11, 19.
Sextius, L.: *ad eum scr.* Carm. I, 4.
Sibyllinus: versus C. S. 5.
Sicanus (= *Siculus*): Aetna Epod. 17, 32.
Siculus: Epicharmus Ep. II, 1, 58. poeta (*Empedocles*) II, 3, 463. unda Carm. III, 4, 28. mare II, 12, 2. fructus Ep. I, 12, 1. tyranni I, 2, 58. dapes Carm. III, 1, 18. undae IV, 4, 44. vaccae II, 16, 33.
sigilla Ep. I, 20, 3. Tyrrhena = *vasa* II, 2, 180.
Silenus Ep. II, 3, 239.
Silvanus, *deus agrestis*, Carm. III, 29, 23. Epod. 2, 22. Ep. II, 1, 143.
Simois, *Troadis fluvius*, Epod. 13, 14.
Simon Ep. II, 3, 238.
Sinuessa, *Campaniae urbs*, Sat. I, 5, 40. Sinuessanus: Petrinum Ep. I, 5, 5.
Siren Sat. II, 3, 14. Sirenes Ep. I, 2, 23.
Sisenna Sat. I, 7, 8.
Sisyphus, *Aeoli filius*, Carm. II, 14, 20. Epod. 17, 68. Sat. II, 3, 21.
Sisyphus, *Antonii nanus*, Sat. I, 3, 47.
Sithonii, *Thraciae populus*, Carm. I, 18, 9. Sithonius: nix III, 26, 10.
Smyrna, *Ioniae urbs*, Ep. I, 11, 3.
soccus Ep. II, 1, 174. 3, 80. 90.
Socraticus: domus Carm. I, 29, 14. sermones III, 21, 9. chartae Ep. II, 3, 310.
Sol Carm. II, 9, 12. IV, 2, 46. 5, 40. 14, 5. 15, 16. C. S. 9.
soleae Sat. I, 3, 128. II, 8, 77. Ep. I, 13, 15. [1, 163.
Sophocles, *poeta tragicus*, Ep. II,
Soracte, *Etruriae mons*, Carm. I, 9, 2.
sortilegi Delphi Ep. II, 3, 219. *cf.* Sat. I, 9, 30.
Sosii, *bibliopolae*, Ep. I, 20, 2. II, 3, 345.
Spartacus, *belli servilis auctor*, Carm. III, 14, 19. Epod. 16, 5.
Spes Carm. I, 35, 21.
squillae Sat. II, 4, 58. 8, 42.
Staberius, *dives*, Sat. II, 3, 84. 89.
Stertinius, *stoicus philosophus*, Sat. II, 3, 33. 296. Stertinius: acumen Ep. I, 12, 20.
Stesichorus, *poeta lyricus*, Carm. IV, 9, 8.
Sthenelus, *Capanei filius*, Carm. I, 15, 24. IV, 9, 20.
Stoicus Sat. II, 3, 160. 300. *cf.* I, 3, 125 sqq. stoicus: libelli Epod. 8, 15.
stola Sat. I, 2, 71. 99.
strix nocturna Epod. 5, 20.
Styx, *Orci flumen*, Carm. I, 34, 10. Stygius: unda II, 20, 8. fluctus IV, 8, 25.
Suadela Ep. I, 6, 38.
subucula Ep. I, 1, 95.
Suburanus: canes Epod. 5, 58.
suffragia, *punctis data*, Ep. II, 2, 99.
Sulcius, *accusator*, Sat. I, 4, 65.
Sulla, *L. Cornelius*, Sat. I, 2, 64.
Sulpicius, *vid.* Servius.
Sulpicius: horrea Carm. IV, 12, 18.
Surrentum, *Campaniae urbs*, Ep. I, 17, 52. Surrentinus: faex Sat. II, 4, 55.
Sybaris, *adolescens*, Carm. I, 8, 2.
Sygambri, *Germaniae populus*, Carm. IV, 2, 36. 14, 51.
Syrius: malobathrum Carm. II, 7, 8.
Syrtes, *vada ad oram Africae sita*, Carm. I, 22, 5. II, 6, 3. 20, 15. Epod. 9, 31.
Syrus, *gladiator*, Sat. II, 6, 44.
Syrus, *servi nomen apud comicos*, Sat. I, 6, 38.
Syrus: merx Carm. I, 31, 12.
tabernae, *librariae*, Sat. I, 4, 71.
tabulae: *computatoriae* Sat. I, 6, 74. Ep. I, 1, 56. *iudicum* Sat. II, 1, 86.

legum Ep. II, 1, 23. *pictae* I, 2, 52. II, 3, 6. *syngraphae* Sat. II, 3, 70. *testamentorum* II, 5, 52. 66. *votivae* Carm. I, 5, 13.
Taenarus, *Laconiae promontorium cum specu in Tartarum ducente*, Carm. I, 34, 10.
talenta Sat. II, 3, 226. 7, 89. Ep. I, 6, 34. II, 3, 238.
talorum lusus Carm. I, 4, 18. Sat. II, 3, 171. 7, 17.
Tanais, *Scythiae fluvius*, Carm. III, 10, 1. 29, 28. IV, 15, 24. *cf.* III, 4, 36.
Tanais, *spado*, Sat. I, 1, 105.
Tantalus, *Pelopis pater*, (*cf.* Carm. I, 28, 7. II, 13, 37.) Carm. II, 18, 37. Epod. 17, 66. Sat. I, 1, 68.
Tarentum, *Italiae urbs*, Carm. I, 28, 29. (II, 6, 11.) III, 5, 56. Sat. I, 6, 105. II, 4, 34. Ep. I, 7, 45. 16, 11. Tarentinus: venenum Ep. II, 1, 207.
Tarpa, Maecius, *Sp., criticus*, Sat. I, 10, 38. Ep. II, 3, 387.
Tarquinius Superbus Sat. I, 6, 13. — superbi Tarquinii fasces Carm. I, 12, 35. *ad Tarquinium Priscum referuntur.*
Tartarus Carm. III, 7, 17. Tartara I, 28, 10.
Taurus, *T. Statilius, cos. a. u.* 727, Ep. I, 5, 4. [86.
Teanum, *Campaniae urbs*, Ep. I, 1,
Tecmessa, *Teuthrantis Phrygiae regis filia, ab Aiace capta*, Carm. II, 4, 6.
Teius: Anacreon Epod. 14, 10. fides Carm. I, 17, 18.
Telamon, *Aiacis pater*, Carm. II, 4, 5. *cf.* I, 7, 21. *et* Aiax.
Telegonus parricida Carm. III, 29, 8. [7, 40.
Telemachus, *Ulixis filius*, Ep. I,
Telephus, *Herculis ex Auge filius*, Epod. 17, 8. Ep. II, 3, 96. 104.
Telephus, *invenis Graecus*, Carm. I, 13, 1. IV, 11, 21. *ad eum scr.* Carm. III, 19.
Tellus Carm. II, 12, 7. IV, 7, 3. C. S. 29. Epod. 16, 43. Ep. II, 1, 143.
Tempe Thessala Carm. I, 7, 4. 21, 9. III, 1, 24.
Tempestates Epod. 10, 24.
Terentius, *P., poeta comicus*, Sat. I, 2, 20. Ep. II, 1, 59.
tergemini honores Carm. I, 1, 8.
termini agrorum Carm. II, 18, 24. terminus C. S. 27. terminalia, *festum*, Epod. 2, 59.
ternarius numerus Carm. I, 28, 36. III, 3, 65. 22, 3. C. S. 23. Sat. II, 7, 76.
Terra Carm. III, 4, 73. IV, 7, 3. *cf.* Tellus.
testudo = *lyra* Carm. I, 32, 14. III, 11, 3. IV, 3, 17. Epod. 14, 11. Ep. II, 3, 395.
Teucer, *Telamonis filius, Salaminius*, Carm. I, 7, 21. 27. 15, 24. IV, 9, 17. Sat. II, 3, 204.
Teucrus: pulvis Carm. IV, 6, 12.
Thalia, *Musa*, Carm. IV, 6, 25.
Thaliarchus: *ad eum scr.* Carm. I, 9.
Thebae, *Boeotiae urbs*, Carm. I, 7, 3. IV, 4, 64. Sat. II, 5, 84. Ep. I, 16, 74. II, 1, 213. 3, 118. Thebanus: arx Ep. II, 3, 394. Semele Carm. I, 19, 2. modi Ep. I, 3, 13.
Theoninus: dens Ep. I, 18, 82.
Theseus Carm. IV, 7, 27.
Thespis, *tragoediae inventor*, Ep. II, 1, 163. 3, 276.
Thessalus: victor Carm. II, 4, 10. vox Epod. 5, 45. ignes Carm. I, 10, 15. portenta Ep. II, 2, 209. Tempe Carm. I, 7, 4. venena I, 27, 21.
Thetis, *dea marina*, Carm. I, 8, 14. IV, 6, 6. Epod. 13, 12.
Thraca Ep. I, 3, 3. 16, 13. Thrace Carm. II, 16, 5. III, 25, 11. Threx Ep. I, 18, 36. Thrax: Lycurgus Carm. II, 19, 16. Gallina Sat. II, 6, 44. Thraces Carm. I, 27, 2. Epod. 5, 14. Thracius: ventus Carm. I, 25, 11. animae IV, 12, 2. Threicius: Aquilo Epod. 13, 3. Orpheus Carm. I, 24, 13. amystis I, 36, 14. Thressa: Chloe III, 9, 9.
Thurinus: Ornytus Carm. III, 9, 14. Viscus Sat. II, 8, 20.
Thyestes, *Pelopis filius*, Carm. I, 16, 17. Ep. II, 3, 91. Thyesteus: preces Epod. 5, 86.
Thyias = *Baccha* Carm. III, 15, 10. Thyiades II, 19, 9. [III, 7, 3.
Thynus (= *Bithynius*): merx Carm.
Thyoneus = *Bacchus* Carm. I, 17, 23.
thyrsus Carm. II, 19, 8.
Tiberis, *fluvius*, Carm. I, 2, 13. 8, 8. 29, 12. II, 3, 18. (*cf.* III, 7, 28.) Sat. I, 9, 18. II, 1, 8. 3, 292. Ep. I, 11, 19. Tiberinus: lupus Sat. II, 2,

l. flumen Ep. I, 11, 4. undae Carm. I, 12. 7.
berius, *vid.* Claudius.
berius, *Oppidius*, Sat. II, 3, 173.
ia Carm. I, 1, 32. 12, 2. III, 4, 1. 30. 19, 19. IV, 1, 23. 15, 30. Epod. 5. Ep. II, 3, 202.
bullus, *vid.* Albius.
bur, *Latii urbs*, Carm. I, 7, 21. 18. II, 6, 5. III, 4, 23. 29, 6. IV, 2, 31. 10. Ep. I, 7, 45. 8, 12. II, 2, 3. Tiurs: via Sat. I, 6, 108. poma II, 70. [I, 7, 13.
burnus, *Tiburis conditor*, Carm.
gellius, *M.*, *Sardus*, Sat. I, 2, 3. 3, 3.
gellius Hermogenes, *vid.* Hermogenes. [46.
gris, *Asiae fluvius*, Carm. IV, 14,
llius, *Cimber, senatu motus a Caesare*, Sat. I, 6, 24. 107.
magenes, *rhetor*, Ep. I, 19, 15.
mor Carm. II, 16, 15. III, 1, 37.
iresias, *vates*, Sat. II, 5, 1.
iridates, *Armeniae rex*, Carm. I, 26, 5.
isiphone, *Furia*, Sat. I, 8, 34.
itanes Carm. III, 4, 43.
ithonus, *ab Aurora raptus*, Carm. I, 28, 8. II, 16, 30.
itius, *eques Romanus*, Ep. I, 3, 9.
ityos, *Terrae filius*, Carm. II, 14, 8. III, 4, 77. 11, 21. IV, 6, 2.
ga Carm. I, 36, 9. III, 5, 10. Epod. 4, 8. Sat. I, 3, 14. 31. II, 3, 77. Ep. I, 1, 96. 14, 32. 18, 30. 19, 13.
nsores *et* lippi Sat. I, 7, 3.
ral *et* toralia Ep. I, 5, 22. Sat. II, 4, 84.
rnare Ep. II, 3, 441.
orquatus, *L. Manlius*, Epod. 13, 6. *ad eum scr.* Carm. IV, 7. Ep. I, 5.
rabalis clavus Carm. I, 35, 18.
ragoedia: *eius origo apud Graecos* Ep. II, 3, 275 sqq. *apud Romanos*, II, 1, 161.
rausius Sat. II, 2, 99.
rebatius Testa, *C.*: *ad eum scr.* Sat. II, 1. [I, 4, 114.
rebonius, *malae notae homo*, Sat.
ribus Ep. I, 6, 52. 19, 40. tribulis I, 13, 15.
rigon Sat. I, 6, 126.
riquetrus (= *Siculus*): praedia Sat. II, 6, 55. [9, 21. 23.
riumphus Carm. IV, 2, 49. Epod.
triumviralis: flagella Epod. 4, 11. [I, 5, 79.
Trivicum, *Apuliae oppidum*, Sat.
trochus Carm. III, 24, 57.
Troia Carm. I, 8, 14. 10, 15. III, 3, 60. 61. IV, 6, 3. 15, 31. C. S. 41. Sat. II, 3, 191. 5, 18. Ep. I, 2, 19. II, 3, 141. *cf.* Ilion *et* Pergama. Troes Carm. IV, 6, 15. Troianus: bellum Ep. I, 2, 1. II, 3, 147. tempora Carm. I, 28, 11. Troicus: pulvis I, 6, 14. Troius: sacerdos (*Ilea Silvia*) III, 3, 32. *cf.* Dardanus.
Troilos, *Priami filius*, Carm. II, 9, 16.
Tullius, *Servius, rex Romanus*, Sat. I, 6, 9.
Tullus, *Hostilius, rex Romanus*, Carm. IV, 7, 15.
Tullus, *L. Volcatius, cos.* 688 *a. u.*, Carm. III, 8, 12.
tunica Carm. I, 6, 13. Sat. I, 2, 25. 132. II, 7, 10. Ep. I, 1, 96. 7, 65. 18, 33.
Turbo, *gladiator*, Sat. II, 3, 310.
Turius, *iudex severissimus*, Sat. II, 1, 49.
Tusculum, *Latii urbs*, Epod. 1, 29. cf. Carm. III, 29, 8.
Tuscus: alveus (*Tiberis*) Carm. III, 7, 28. amnis Sat. II, 2, 33. vicus (*Romae*) II, 3, 228. mare Ep. II, 1, 202. aequora Carm. IV, 4, 54.
Tydides = *Diomedes* Carm. I, 6, 16. 15, 28.
Tyndaridae = *Dioscuri*, *sidus*, Carm. IV, 8, 31. = *Tyndari liberi* Sat. I, 1, 100.
Typhoeus, *gigas*, Carm. III, 4, 53.
Tyrius: colores Ep. I, 6, 18. muricis Epod. 12, 21. merces Carm. III, 29, 60. vestes Sat. II, 4, 84.
Tyrrhenus: parens Carm. III, 10, 12: progenies III, 29, 1. aequor IV, 15, 3. mare I, 11, 6. III, 24, 4. sigilla Ep. II, 2, 180. [402.
Tyrtaeus, *poeta lyricus*, Ep. II, 3,

Ulixes, *Laertis filius*, Carm. I, 6, 7. (*cf.* 15, 21). Epod. 16, 60. 17, 16. Sat. II, 3, 197. 204. 5, 3. 59. 100. Ep. I, 2, 18. 6, 63. 7, 40. *cf.* Ep. II, 3, 141.
Ulubrae, *Latii oppidum*, Ep. I, 11, 30.
ulva Sat. II, 4, 42.
Umber: aper Sat. II, 4, 40.
umbilicus, *in re libraria*, Epod. 14, 8.

umbrae convivarum Sat. II, 8, 22. Ep. I, 5, 28.
Umbrenus Sat. II, 2, 133.
Ummidius Sat. I, 1, 95.
unguis, *in proverbio usurpatum*, Carm. III, 6, 24. Sat. I, 5, 32.
urna, *dimidia pars amphorae*, Sat. I, 1, 54 *al.*
urtica marina Ep. I, 12, 8.
Ustica, *mons prope villam Horatii*, Carm. I, 17, 11.
Utica, *Africae urbs*, Ep. I, 20, 13.
uva pensilis Sat. II, 2, 121.

Vacuna, *dea Sabinorum*, Ep. I, 10, 49.
vadatus Sat. I, 9, 36.
Vala, *vid.* Numonius.
Valerius, *vid.* Laevinus.
Valgius Rufus, *C., Horatii amicus, grammaticus et poeta*, Sat. I, 10, 82. *ad eum scr.* Carm. II, 9.
vappa Sat. I, 5, 16. II, 3, 144. = *homo nequam* I, 1, 104. 2, 12.
Varia Ep. I, 14, 3.
Varius, *L., poeta epicus et tragicus, Horatii et Virgilii amicus*, Carm. I, 6, 1. Sat. I, 5, 40. 93. 6, 55. 9, 23. 10, 44. 81. II, 8, 21. 63. Ep. II, 1, 247. 3, 55. [46.
Varro, *Atacinus, P., poeta*, Sat. I, 10,
Varus, *vid.* Quinctilius.
Varus Epod. 5, 73.
Vaticanus: mons Carm. I, 20, 7.
Veia, *venefica*, Epod. 5, 29.
Veianius, *gladiator*, Ep. I, 1, 4.
Veiens: arvum Ep. II, 2, 167. Veientanum (*vinum*) Sat. II, 3, 143.
Velabrum, *Romae vicus*, Sat. II, 3, 229.
Velia, *Lucaniae urbs*, Ep. I, 15, 1.
Velina, *tribus Romana*, Ep. I, 6, 52.
Venafrum, *Campaniae urbs*, Carm. II, 6, 16. Sat. II, 8, 45. Venafranus: oliva II, 4, 69. agri Carm. III, 5, 55.
Venus Carm. I, 4, 5. 13, 15. 15, 13. 18, 6. 19, 9. 27, 14. 30, 1. 32, 9. 33, 10. 13. II, 7, 25. 8, 13. III, 9, 17. 10, 9. 11, 50. 16, 6. 18, 6. 21, 21. 26, 5. 27, 67. IV, 1, 1. 6, 21. 10, 1. 11, 15. 15, 32. C. S. 50. Sat. I, 3, 109. Ep. I, 6, 38. 18, 21. — Veneris iactus Carm. II, 7, 25. — *cf.* Cytherea, Erycina.
Venusinus: colonus Sat. II, 1, 35. silvae Carm. I, 28, 26.
verbena Carm. I, 19, 14.
vernae procaces Sat. II, 6, 66.
Vertumnus, *deus agrestis*, Ep. I, 20, 1. Vertumni Sat. II, 7, 14.
Vesper Carm. II, 9, 10. III, 19, 26.
Vesta Carm. I, 2, 16. 28. III, 5, 11. Sat. I, 9, 35. Ep. II, 2, 114.
vestes Coae Carm. IV, 13, 13. Sat. I, 2, 101. [sacra.
via Appia, *vid.* Appius. — sacra, *vid.*
Vibidius, *conviva Nasidieni*, Sat. II, 8, 22. 33. 40. 80.
vicarius Sat. II, 7, 10.
vicus Ep. II, 2, 177.
Villius, *Sullae gener*, Sat. I, 2, 64.
vina, *vid.* Albanum, Caecubum, Calenum, Chium, Falernum, Formianum, Lesbium, Massicum, Methymnaeum, Sabinum. — *vini liquandi ars* Carm. I, 11, 6. Sat. II, 4, 51 sqq. *vinorum genera* Sat. II, 8, 15.
Vindelici Carm. IV, 4, 18. 14, 8.
Vinnius Asella: *ad eum scr.* Ep. I, 13.
Virgilius, *Maro, P., poeta epicus et didacticus, Horatii amicus*, Carm. I, 3, 6. Sat. I, 5, 40. 48. 6, 55. 10, 45. 81. Ep. II, 1, 247. 3, 55. *ad eum scr.* Carm. I, 24. — alius: *ad eum scr.* Carm. IV, 12.
Virtus Carm. II, 2, 19. III, 2, 17. C. S. 58. Epod. 9, 26.
Viscus, *Vibius, Horatii amicus*, Sat. I, 9, 22. 10, 83.
Viscus Thurinus Sat. II, 8, 20.
Visellius Sat. I, 1, 105.
vitta Carm. III, 14, 8.
Volanerius, *scurra*, Sat. II, 7, 15.
Volumnius, *vid.* Eutrapelus.
Voranus fur Sat. I, 8, 39.
Vulcanus Carm. I, 4, 8. III, 4, 59. = *ignis* Sat. I, 5, 74.
Vulteius Mena Ep. I, 7, 55. 64. 91.
Vultur, *Apuliae mons*, Carm III, 4, 9.

Xanthias Phoceus: *ad eum scr.* Carm. II, 4. [6, 26.
Xanthus, *Lyciae fluvius*, Carm. IV,

Zephyri Carm. III, 1, 24. IV, 7, 9. Ep. I, 7, 13. [42.
Zethus, *Amphionis frater*, Ep. I, 18,
zona Carm. I, 30, 6. III, 27, 59. Ep. II, 2, 40.



3 2044 020 183 406

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 (617) 495-2413

WIDENER
STALL-STUDY
CHARGE
CANCELLED